

ACTA ERUDITORUM

ANNO
M D C C V I I

publicata.

*Cum S. Cæsareæ & Regiæ Poloniæ
Majestatum Privilegiis.*

L I P S I Æ,

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCH,
&
FRID. GROSCHUF.

Typis JOH. SAMUELIS FLEISCHERI.
A. M. D C C V I I.

ACTA
ERUDITORUM

ANNO
MDCCLVII

publicata.

Curæ & Typis Polonicis
Magistram Putschin.

LEZIE

Magnum quod JOEL GROSSI Hædus
JOEL FRID. GEDITSCH.

&
ID. GROSSIUS.

Typis JOEL SANDERIS FRISCHEN
A. M. DCCLVII.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anni M D C C V I I.

JULII POLLUCIS ONOMASTICUM,
Græce & Latine ex variis Codd. MSS. emendatum, sup-
pletum & illustratum, cum notis W. SEBERI, commenta-
riis itidem GOTHOFR. JUNGERMANNI & JOACH.
KUHNII; quæ omnia contulere, & ex aliis codicibus V. L.
notasque item suas adjecere, septem prioribus libris JOH.
HENR. LEDERLINUS, post eum reliquis
TIBERIUS HEMSTERHUIS.

Tomi duo.

Amstelod. ex offic. Wetsteniana, 1706. fol.

Constat Imus Tomus Alph. 8. Idus Alph. 9.

Splendidissimum opus, magno apparatu adornatum, produ-
 cimus, de quo ipsa tamen potius res quam verba nostra lo-
 quantur. Nempe in *Julii Pollucis Onomastico*, post Venetam
 editionem anni 1502, Florentinam Juntæ anni 1520, & Basileen-
 sem Grynei anni 1536, primus quod sit operæ precium fecit,
 Wolfgangus Seberus, qui textui Græco, cum interpretatione La-
 tina Rudolphi Gualtheri, Francofurti anno 1608 edito, eruditas
 notas adjecit. Veruntamen omni, Viri optimi diligentia & stu-
 dio effici non potuit, ut non multis partibus luxatus, mancus
 atque ægrotus Pollux relinqueretur. Quamobrem nequic-
 quam obstante Seberiana editione, sub idem tempus ab institu-
 to suo de Polluci medela afferenda non destitit charissimum
 eruditis nomen, Gothofredus Jungermannus, qui Palatino in pri-
 mis usus codice, & Labbeano ex parte, qua erat ingenii felicitate,
 A
 singu-

singularem plane huic auctori operam præstitit. At invidit ejus labores publicæ luci præmatura Viri doctissimi mors, qua factum, ut integro fere seculo eis cum blattis & tineis fuerit luctandum. Neque Clarissimo *Kuhnio*, novo post illum *Atlantem Herculi*, tam felici esse licuit, ut postquam succedere in has partes, suasu atque instinctu celeberrimi *Wetstenii*, animo destinasset, *Jungermannianis* schedis potiri posset. Nihilominus tamen ille ingenii viribus pariter ac egregiis, a *Wetstenio* maximam partem procuratis, subsidiis nixus, opus aggressus est. Suppeditaverat nempe ei Bibliotheca Patrum Soc. J. Antverpiensis chartaceum *Demetrii Chalcondylæ* codicem: Bibliotheca *Is. Vossii* autem lectiones egregii illius codicis, quem *Illustri Spanhemio* in observationibus ad *Juliani Cæsares* p. 337 tantopere commendatum meminimus. Atque istis primum instructus opibus, tantum specimen suarum ad *Pollucem* observationum, ante annos aliquam multos, egregium sane, & quod salivam omnibus eruditis moveret, in lucem protulit. *Salmasianas* inde lectiones, collationesque cum MSS, Palatinis maxime & *Pithœano*, imo & observationes nactus est: *Henrici* item *Valesii* observationes & emendationes. Quibus adjutus textum Græcum restituit, ex Græcis veteribus allegata correxit, notulis emendationum fundamenta indicavit, conjecturas ex ingenio proposuit, confirmavit, Latinam versionem passim emendavit, ut spes jam esset propediem si non integrum plane, multo magis certe quam antea sanum *Pollucem* in lucem proditurum esse. Sed nescio quo fato *Pollucis*, altera vice mors, quæ oppressit inopina *Cl. Kuhnium*, denuo spes conceptas suspendit & distulit. Non abjecit tamen, qua est in litteras juvandas immota constantia, animum *Cl. Wetstenius*. Sed illustri *Obrecht* conciliatore, *Kuhnii* discipulum, *Cl. Lederlinum*, Orientales litteras in Academia Argentinenfi hodie cum laude, publica auctoritate, docentem, operis nactus promotorem, qua semel coepit, strenue ire perrexit. Potitus autem interea fuerat *Wetstenius* *Jungermannii* commentario, Sebero ab eo testamento olim legato, tum vero *Altorffi* apud futorem latitante, cui pro quatuor imperialium summula fuerat oppigneratus. Apud eum
reper-

reperitum Vir Illustris J. C. *Artopæus*, Sereniss. Ducis Saxo-Ci-
 zensis hodie Cancellarius, ad Obrechtum miserat, hic Wetstenio
 concesserat describendum, cujus cura totus novæ huic editioni
 insertus fuit a Lederlino. Eidem uti licuit codice, quem Fal-
 kenburgianum ille cum Cl. Grævio credidit, quamvis ejus esse
 in dubium vocet Hemsterhusius, manum aliam esse existimans.
 Ceterum eum ille in adornanda hac editione ordinem jam fuit
 secutus, ut integris Seberi, Jungermanni & Kuhnii subjectis no-
 tis, quid in textu Pollucis a Kuhnio correctum atque additum,
 aut etiam resectum fuisset, diligenter moneret, inde ex codice
 Falkenburgiano varias lectiones & emendationes adderet, ut &
 Canteri in quas inciderat restitutiones, paucula ipse quoque ex
 ingenio quandoque adjiceret. Quo quidem ordine ad Libri
 VII caput usque XXVII cum opus istud produxisset, ad Profes-
 soris munus in Academia patria evocatus, lampadem Cl. Hem-
 sterhusio, Philosophiæ & Matheseos in illustri Athenæo Amste-
 lodamensi hodie Professore, tradidit. Ille, ea accepta, eodem
 modo ad finem usq; opus illud pertexuit, nisi quod paulo plura de
 suo addiderit, ex nummis quoq;, a celeberrimo Wildio maximam
 partem suppeditatis, librum inprimis nonum illustraverit. Qui-
 bus tamen sibi ipsi, uti videtur, vix fatisfaciens, majores in Pol-
 lucem Commentarios minatur. Ceterum textus in distinctiones
 minores apte divisus, & legendi, & allegandi facilitatem præbet,
 indicesque accuratissime sunt confecti, ut nihil facile quærentis
 industriam fugere possit. Ille denique chartæ est & typorum
 nitor, ea adhibita in emendate typis omnibus exscribendis cura,
 ut commendatissima omnibus non esse non possit splendida illa
 Onomastici Pollucis Sophistæ editio.

In Præfationibus de Polluce nonnulla ejusque rebus ob-
 servarunt Kuhnus, & diligenter inprimis Hemsterhusius; qui ex
 instituto, quæ ad vitam ejus, gesta & scripta pertinent, recenset.
 Patriam Naucratin in Ægypto fuisse Philostrato, Suidæ, & Tze-
 tzæ omnino assentiuntur. Ad Suidæ autem quod attinet verba
 τινες δὲ Ἀρδέννας γράφουσι σοφιστὴν παίζοντες, (in quibus
 nullum *jocum* aut *salem* animadvertens Cl. Suidæ restaurator, post
 Pearsonum παίζοντες rescripserat,) de iis ea est Kuhnii senten-
 tia,

tia, scommata aduersariorum illud fuisse, quo Pollucem *Arduennæ Sophistam* dicerent, mordentes eum quasi ex cultioribus gentibus discipulum nancisci posset nullum, sed sectatores tantum haberet ex iis, quæ humanitatis & culturæ haberent parum, quales essent quæ circa Arduennam, horridam Galliæ sylvam, habitarent, inter quos *μη̄ εἰδότες ἐν μη̄ εἰδόσι* eminere fuerit facile. Suidam vero hoc male accepisse, & ex *Arduenna* nescio quam urbeni Phœniciaë exsculpsisse, quam Polluci patriam non nullos tribuisse dicat. Eoque etiam refert Luciani istud, quo in Lexiphane *κέλτιον μέλημα* (sic enim emendat pro *κλητίς μ.*) *puerum qui maxime sibi cura sit ex Gallia* ad Pollucis Scholam adducere non nemo fingitur. Priorem ex his conjecturis non improbat Cl. Hemsterhusius, firmatq; aliis huiusmodi nominibus per jocum Sophistis adscriptis, inter quæ *ἐπιθύρῃ* refert cognomen Secundo tributum: at pro illo *ἐπίθρῃ* certissime legendum erat, ut Salmasio ad Sol. p. 775 & Bocharto in Geogr. S. P. I. p. 647. jam pridem monitum. Posteriolem de loco Luciani conjecturam & emendationem, qua ea nititur, plane rejicit, in allegato Luciani loco *κλυτίς μέλημα* cum Grævio potius legendum ducens. De Parente Pollucis agens, quem *κριτικὸς λόγος εἰδότης* Philostratus dicit, optime monet *κριτικὸς λόγος* nihil aliud esse, quam ipsam *κριτικὴν*, certe enim *σοφιστικοὶ λόγοι* in immediate sequentibus, sunt ipsa *σοφιστικὴ*. Solebantque *κριτικὴν* exercere Sophistæ, ne vocibus parum Atticis, vel parum rebus accommodatis uterentur. Nec erat proinde, cur hæsitaret vir doctissimus, locumque forte esse posse putaret ineptæ Bonfinii & Morelli versioni, qui *κριτικὸς λόγος controversias forenses* interpretati fuerunt. Scrupulum omnem eximere poterat, quod idem Philostratus narrat, *κριτικὸς τῶν λόγων* Herodem exercuisse apud *Munatium*: Qui Munatius plane Rhetor non fuit, sed *κριτικὸς*, quo nomine diserte appellatur ab eodem Philostrato in vita Polemonis. Nam quod ibi *κρητικὸς* legitur in editis, unde *Cretensem* eum esse somniarunt interpretes, errore fit manifesto, cum *Tralles* patriam Munatium habere paulo post eodem loco diser-

p. 562.

p. 537.

diser-

diserte indicetur. Dum de munere agit Pollucis, cui ut satisfacere, duas quotidie orationes habuit, ut ipse narrat præf. lib. VIII. τὸν μὲν ἐκ τῆς θρόνου τὸν δὲ ὀρθοσάδην, alteram in cathedra sedens sophistica, alteram stans, Cresollium castigat, qui L. III. Theatri Rhet. c. 13. verba Philostrati in Scopeliano, quibus ille ἀπὸ τῆς θρόνου ξὺν ἀβρότητι, ὅτε δὲ ὀρθὸς διελέγετο ξὺν ἐπισροφῇ declamasse dicitur, de una eademque oratione accepit. Nempe aliter se rem habere ipse putat, & plane diversa illa declamationum genera, quæ ἀπὸ τῆς θρόνου, & quæ ὀρθοσάδην fierent, existimat. At saltem non semper ita se rem habuisse, rursum docere poterat Philostratus, qui de Polemone Herodem narraſſe refert, ἀναπηδῆσαι τῆς θρόνου περὶ τὰς ἀκμὰς τῶν ὑποθέσεων, τοσῶτον αὐτῷ περιεῖναι ὄρμης, h. e. tantum Polemoni fervoris fuisse, ut ea parte argumenti tractandi, quæ τὸ παθητικὸν in primis admitteret, ex cathedra, in qua sedens orabat, exiluerit. Quem locum ob oculos habuisse Cresollium, ipsa illa verba mihi prodere videntur, quæ castiganda fumsit Hemsterhusius: sic enim ille: Porro Sophista vulgo declamabant sedentes, nisi forte in graviore quadam amplificatione (sic ille vertebat ἀκμὰς τῶν ὑποθέσεων) exurgerent. Athenodorum, Pollucis æmulum dum fuisse refert, ex Philostrato recte contra Morellum tuetur vocem ἐπικόπτειν, quam in ἐπισκώπτειν pessime ille mutabat. Defendi poterat vera lectio ex ipso Philostrato in proœmio Vitis Sophistarum præmissa, ibi enim eodem plane sensu vox ἐπικόπτειν occurrit. At reliqua in loco Philostrati de Athenodoro, an satis feliciter sollicitaverit Vir Clarissimus, dubitamus. Nempe pro ἐπέκοπεν αὐτὸν ταῖς διαλέξεσι ὡς μεираκιώδη, λέγων· Ταυτάλα κῆποι, quorum verborum in proclivi est sensus: nempe Athenodorum in lectionibus suis (hoc enim sunt διαλέξεις, a μελέταις passim ipsi Philostrato distinctæ) perstrinxisse Pollucem, dicentem Tantalii hortis eum similem esse. Ut non fuerit, cur vir doctus rescribi mallet vel: ἐπέκοπεν αὐτῶ ταῖς διαλέξεσι ὡς μεираκιώδεις, vel: ἐπέκοπεν αὐτὸν ὡς μεираκιώδη ταῖς διαλέξεσι. Scilicet fraudi illi fuit, quod non ani-

p. 537-

p. 488-

inadverteret *διαλέξεις* non *declamationes*, sed *lectiones*, & qui-
 dem non Pollucis, sed Athenodori notare, qui suis scilicet *διαλέ-*
ξεσι, apud discipulos, ut facere quandoque solent in lectionibus
 suis artium professores, Pollucem perstringebat. Diligens au-
 tem in primis Hemsterhusius in eo est, ut ostendat Luciani sales,
 quorum in Lexiphane & Rhetorum præceptore adeo fuit prodi-
 gus, ad Pollucem, ut creditum fuit plerisque, minime pertinere.
 Argumenta, quibus Lexiphanem nihil ad Pollucem pertinere con-
 tendit, sunt ista. I Vocabula obsoleta, quæ ad risum in eo dialo-
 go Luciani prostituuntur, in Pollucis onomastico non reperiri
 omnia. II Perpetuum quoddam scriptum non onomastico eo
 perstringi, quibusdam locis fieri manifestum: nempe *διανοιῶν*
τοῖς ῥήμασι κατακεκοσμημένων meminit Lucianus, quibus
 nullus in Lexico locus. Lexiphanes item in dialogo hæc profe-
 rens sistitur *ἀντισυμποσιάζων τὸν Ἀρίωνος*, unde verosimile
 sit, Symposium ad imitationem Platonis scripsisse eum, quem per-
 stringit Lucianus. III Autori, qui a Luciano perstringitur, voces
 exprobrari ab ipso confictas, nullas autem a se confictas voces
 Pollucem in onomastico exhibere. Nec *Rhetorum præceptore*
 Pollucem a Luciano peti putat. Quod primum evincit eo, quod
 non facile probari possit Pollucis patrem fuisse *ἄφανῆ καὶ ἑκα-*
θαρῶς ἐλεύθερον, matrem *ἀκέρειαν ἐπαφρόδιτον*, quales pa-
 rentes Rhetoris, quem perstringat Lucianus. At nec quo-
 modo id negari possit video, nemine veterum illustre ei genus tri-
 buente. Præterea Satyram de ejusmodi rebus liberalius loqui,
 satis nos docent ea, quæ Æschini de genere objecit Demosthenes.
 Porro vitam profligatissimam tribuere Rhetori suo Lucianum,
 quam si Polluci esse novisset Marcus Imperator, filio Commodo
 fuisse daturum præceptorem, haut esse probabile. At notum
 magna quandoque latere diu flagitia: multa etiam viris innocen-
 tibus ab hominibus, qualis Lucianus fuit, impudenter affingi.
 Denique ex ipsis verbis Dialogi, quibus cum maxime Græculus,
 primus sententiæ, quæ hic impugnatur, autor, Pollucem a Lucia-
 no tangi contendit, contrarium suadere. En ea: *πρῶτον μὲν*
ἐκέτι ποθεινὸς ὀνομάζομαι, ἀλλ' ἤδη τῆς Διὸς καὶ Λήδας
παισὶν

παισιν ὁμώνυμος γεγένηται. Nempe ex his rectius cum Palmerio colligi putat, *Dioscuri* vel *Dioscuridæ* nomen fuisse ei, qui hic perstringitur, quam *Pollucis*, non enim alterum ex Jovis & Lædæ filiis hic, sed utrosque significari: id vero etiam argumentum an non frequente adeo numeri-enallage admissa eludi possit, doctiorum esto iudicium.

Verum satis de istis. Quantum ad notas attinet, fieri non potuit, ut cum integri virorum doctorum exhibeantur Commentarii, multa identidem non repetantur. Sed istarum repetitionum tædium compensat, quod plerumque tamen se suppleant mutuo atque perficiant, quæ viri docti observarunt. Sic ut unicuique exemplum adducam Lib. IX. c. VI. Sect. 27. Ἰπποκράτης παρακαταθήκη allegabatur, & ex ea Jambis quidam recitabantur. Ubi Jungermannus sola conjectura ductus Σωσικράτης rescribit, pro Ἰπποκράτης, cuius nomine παρακαταθήκη allegata antea quoque fuerat a Polluce, prout quidem MSS. ejus textum repræsentabant L. IV. f. 173. Ipsos Jambos vero alii docto viro Jungermannus restituendos reliquit. Kuhnus Σωσικράτης in margine codicis Vossiani quoque adscriptum observat, itidemque ad Pollucis locum L. IV. f. 174. provocat. Ceterum Jambos ex illo autore allegatos ita restituit:

Ὅταν γὰρ, οἶμαι, λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς,
 Ἀργὸς, τὸ τρυφᾶν εἰδῶς, λάβη δίκελλαν
 Πεντασάτηρον, γίγνεται τὸ πνεῦμ' ἄνω.

Sensum esse ait, hominem delitiis innutritum, non esse ferendis laboribus: opus enim facientem ligone quinquelibri, spiritum eum crebro anhelitu in summo pectore recipere. Eamque in rem locum Platonis Polit. VIII. allegat, qui divitem τρυφερόν in periculis ἀσθενείας dicat καὶ ἀπορίας μεσόν. Præterea ille Obrechtum tamen in secundo versu εἰδῶς τρυφᾶν male observat: Ad explicandum autem τὸ λευκὸς ἄ. ex Damasceni excerptis Peiresc. exemplum Parsondæ advocare, qui ex milite strenuo γυναικῶν ἀπαλώτερος καὶ λευκότερος τὴν χροιάν sit factus. Ipse addit locum Excerptorum ex Diodoro, ubi Tyro hoc nomen indepta dicitur, διὰ τὴν λευκότητα καὶ σώματος
 μαλα-

μαλακότητα, ut cetera, quæ addit, præteream. Denique Salmasium in Tr. de modo Usurarum *Cratetis* nomen hic reponere pro *Hippocrate* observat, locumque Comici ita repræsentare, ὅταν γὰρ οἶμαι λευκὸς ἄνθρωπος, παχὺς, ἀργός, λάβη δίκελλαν, εἰδὼς ἐντροφᾶν πεντασάτηρον: se tamen lectionis, quam proposuerit, nondum poenitere. Hisce ita succinit Cl. Hemsterhusius: Retinet Hippocratem Scaliger de Re Numm. p. 18. Comicumque eum appellat, quod, quo fiat indicio, se ignorare ait, neque aliter tamen habere Meursium ad Chalcidii Timæum, qui incertum tamen fateatur, cui hoc opus sit tribuendum. Salmasium decepisse locum Pollucis IV, 173. ubi κράτηλος παρακατάδηκη legatur, cum Σωσικράτης ibi Manuscripta habeant, quamobrem ægre ferre videtur, a Cl. Lederlino illo loco Σωσικράτης in textum non receptum fuisse. Ipse hoc loco, de quo agimus, Σωσικράτης in textum admisit. Sed mirum *Hippocratem* in versione, quæ, quod in textu est, repræsentare debebat, eum reliquisse. Inde repræsentat Scaligeri restitutionem Jamborum hujus Poetæ, in secundo tantum & tertio versu a Kuhniana abeuntem:

Ἀργὸς λάβη δίκελλαν, εἰδὼς τροφᾶν
Πεντασάτηρον, πνίγεται τὸ πνεῦμ' ἀνώ.

Ipse tamen postremo frustra hic Jambos quæri putat, proorsam nempe censens hujus παρακατάδηκης orationem fuisse, non vorsam, argumentum non Comicum, sed philosophicum. *Socratis* autem Rhodii διαδοχὰς Diogenem Laertium passim citare: κριτικά, vel ut rectius legatur κρητικά Athenæum allegare, Suidam item & Apostolium: Φιλαδέλφους denique Athenæum, quo opere Philadelphorum historiam sit complexus. Eum & παρακατάδηκης esse autorem. Ceterum λευκὸν ἄνθρωπον esse hominem nitidum qui cuticulam curet, εἰδὼς τροφᾶν esse ponendum post ἀργός, & eleganter dictum τροφᾶν εἰδὼς pro deliciis assuetis, qui usus verbi εἰδὼς non fugiat Græcæ linguæ elegantissimos.

*Q. ENNII FRAGMENTA, AB HIERON. CO-
LUMNA* *conquisita, disposita & explicata, nunc novis
accessionibus locupletata, accurante FR. HESSELIO.*

*In fine subnectuntur eadem fragmenta, prout a
P. MERULA olim sunt
edita.*

Amstelædami, apud Wetstenios, 1707, in 4to.

Constat Alphab. 2. plag. 18.

HAbuerunt jam superiora duo secula viros ex eruditorum
cavea non postremos, qui *Ennii*, poetarum parentis inge-
nioque maximi, at, quod hirsuto sordidoque velut palliolo at-
que in partes foede discerpto, pro ætatis incuria incederet, ad
ima quasi subsellia deturbati, vicem serio dolerent, eundemque
orchestræ suæ restitutum impense cuperent. Ludovicum Vi-
vem equidem vix est ut in hunc censum referamus, utpote
quem in nuda saltem lacinias Ennianas colligendi voluntate,
cujus ipse ad Augustinum de Civit. Dei l. 2. c. 21. indicium de-
dit, substituisse constat. Felicius longe res successit ambobus
Stephanis, Roberto atque Heinrico, quorum diligentia complu-
ra carminum Ennii fragmenta, tam historica, quam comica &
tragica, tanquam e naufragio servata, brevibusque ceris miniatu-
lis perpolita, inter alias Poëtarum veterum reliquias, Parisiis A.
1564 in lucem prodierunt. Verum & his quoque palmam præri-
puit Hieronymus Columna, Nobilis Romanus, Vir admirandæ
doctrinæ, qui multo spissiore gemmularum ejusmodi farragi-
nem accumulavit, & quod caput rei est, commentariis elegan-
tissimis explicuit, ipse autem operis editioni non superfuit, sed
filius Joannes, cui illud inscripserat, quadriennio post ejus de-
cessum A. 1590 Neapoli publico id indulsit. Quod cum ne-
sciret Paulus Merula, homo multæ industriæ atque eruditionis,
ad idem forte pensum, nisi quod Annalium Ennii spicilegium
unice institueret, animum adplicuit, neque illud postea abjecit,
tum quia varia fragmenta, Columnæ invisa, e codicibus manu-
scriptis, imprimis vero e vetusto illo bibliothecæ S. Victoris Pa-
risiensi

risiensi, cui titulus: *L. Calpurnii, L. F. Pisonis V. C. de Continentia veterum Poëtarum ad Trajanum Principem*; conquiſiverat, tum quoniam commentarii ſui folia aliquot imprimi jam fecerat, dictamque editionem Neapolitanam valde raram in Belgio eſſe adverterat, ideoque ſuam Lugduni Batav. A. 1595 in vulgus exire paſſus eſt. Qualia autem ſint Enniana lipſana, Lugduni A. 1603 procuſa, quorum ampliffimæ Bodlejaneæ catalogus mentionem injicit, id quidem compertum minime habemus, hariolari tamen libet, ante recenſita hic nova duntaxat forma apparuiſſe. Ita Martinus Antonius Delrio in tragœdiæ Latinæ ſyntaxmate, quod A. 1593 typis Plantinianis innotuit, tragœdiarum Ennii ſicilimenta, ab aliis coagmentata, cum opinionibus ſuis denuo publicavit. Nec incongruum porro viſum fuit Petro Scriverio, inter collectanea veterum Tragicorum Lugd. Batav. A. 1620 eadem recentare, ita tamen, ut Voſſii patris caſtigationibus ac notis haud leve pretium illis ſuperadderet. In hac vero iterata editione, quid Clariff. Heſſelius, J. C. & Roterodamensis Athenæi Eloqu. & Historiarum Profeſſor, egregii præſtiterit, paucis nunc indicandum. Primo nempe integrum Columnæ (cujus elogium e Thuano adducit,) volumen, qua ipſos Ennii confragoſos verſus, qua commentarium doctiffimum ac vitam poëtæ exhibet, recudi curavit, retentis etiam in margine priſtinis paginarum numeris. Tum ante laudatorum Delrii & Voſſii animadverſiones omnes, quin & Gronovii patris, Lipſii, Rutgerſii, Salmafii, Schefferi, Turnebi, Ullitii aliorumque emendationes undique conſtipatas uno agmine ſequi jubet. Quare tamen Stephanorum non ſane nullius momenti obſervatiunculas hic loci exauctoraverit, non nemo mirari poſſet, niſi iſtam jacturam ſcholiis, quæ nescio quis eruditorum collectaneis Scriverianis allevit, Celeberr. Almeloveenius autem, pro inſigni humanitate ſua, Noſtro communicavit, quadanterus penſatam dixeris. Hinc index omnium verborum, quotquot in Ennianis occurrunt poëmatibus, Wetſtenii cura conſectus annectitur; autorum vero ac rerum elenchi ab alia manu ſunt. Tandem, ne quid deeſſe videatur, Annalium textus, prout Merula eum juxta annorum ſeriem diſpoſuerat, ſeparatim proſtat, omiſſo ta-

men illius commentario, quoniam diversissimæ a Columna conjecturæ ibidem proponantur, ceu Autor in præfatione innuit, qui etiam Ennii emendandi consilium sibi adhuc superesse monet. Interea Illustris Grævii, incomparabilis illius eheu! quondam bonarum literarum vindicis, opinionem circa decantatum Poëtæ versum: *O Fides alma apta penneis, & jusjurandum Jovis,* quam is J. Scherpezelio rescripserat, depromit, quod scil. priora verba ita sananda censeat: *O fides albo nupta panno &c.* ut inde Horatius illud: *Albo velata panno,* mutuare potuerit.

GEORGII HENRICI GOETZII, D.
Superintendentis Lubecensis, Meletemata Annæbergensia varii argumenti.

Lubecæ & Lipsiæ, apud Jo. Wiedemeierum, 1707. in 8.
 Alph. 3. plag. 4.

INde a primis doctæ suæ juventutis annis Summe Reverendus Götzius delectari visus est brevioribus schediasmatibus de materiis curiosis, & quarum tractatio non ubique habetur obvia, conscribendis & in lucem publicam emittendis; a quo instituto dimoveri nec istis quidem potuit temporibus, quæ officiis sacris primariam operam ut dicaret, ab ipso flagitarunt, unde in numerum illa excreverunt maximum, & si colligenda forent singula, voluminum aliquot grandiorum spatia haud difficulter iisdem implere liceret. Sed dum cætera plurima hinc inde dispersa ab Eruditis, quibus omnino ad palatum sunt, studiose asservantur, Autor de Orbe erudito non minus ac Ecclesia meritissimus exiguam eorundem particulam in fascem hunc collectam dat, qui illa modo meletemata complectitur, quæ Annæbergæ, cum ibidem ante paucos annos Pastoris atque Superintendentis munere dexterrime fungeretur, conscripta sunt. Absolvuntur eadem viginti Dissertationibus, quarum contenta paucis indicare fas est. Primo loco se sistit *Observationum Sacrarum specimen*, editum in memoriam Jubilæi Annæbergæ, VIII. Decembr. Anno M DC XCVII. celebrati, propter elapsam alterum tunc seculum, ex quo illa civitatis jura

atque privilegia obtinuit. Agitur ibidem de *Religione Pontificia* haud præter rem *muliebris* titulo insignienda, quod Mariæ, Annæ, Catharinæ, Margarethæ, fœminisque pluribus aliis Divinum cultum deferat; de *Sixto Senensi*, ejusque, quod sectatus fuerit in *Bibliotheca Sancta*, instituto; de *versionis Vulgatæ auctoritate* temere jactata; & de *Petersenii Chiliafmo*. Secunda *Dissertatio Centurionem sub cruce Christi*, cujus conversionem Evangelica memorat Historia, considerat. Tertia libri A. 1635. Lugduni sub titulo: *Musei, sive Bibliothecæ tam privatæ, quam publicæ, extructio, instructio, cura, usus*, a Claudio Clemente editi, recensum instituit, & quædam in illo obvia sub examen revocet. Quarta Salvatoris illud dictum Joh. XIV, 26. quod *extraordinariam Spiritus Sancti missionem* tradit, expendit, atque observationibus Exegetico - Porismatico - Problematicis illustrat. Quinta de *viris claris*, qui *Schmidiorum* nomine innotuere, ac vel libris conscriptis, vel muneribus publicis inclarescentes omnium meruere admirationem, verba facit. Sexta id agit, ut *Commentarios in Sacram Scripturam a Cornelio a Lapide* constructos paulo contempletur accuratius, Eruditorum de illis conferat judicia, & ἐπίκρισιν iisdem subjungat, ac breviter istorum Lectores, quo sibi bene consulant, admoneat. Septima ostendit, quam proterve Pontificii *Scripturam Sacram, eamque Canonicam, remota Ecclesiæ auctoritate, ejusdem esse valoris* perhibeant, ac *Fabulas Æsopi vel Titum Livium*. Octava *Lutherum* absolvit ab impacta ipsi per Pontificios profana censendi libidine, qua *librum Jobi cum Terentii scriptis & Virgiliti Æneide* contulerit, & appendicis loco brevem quandam in *Epistolam Judæ* introductionem annexam habet, cui ad latus jungitur Max. Rev. Christiani Lehmanni, Götzii in Ephoria Annæmontana antecessoris, epistola de *Threnis Jeremiæ*. Nona de *Theologis Pseudo-Medicis* agit, & quæstionem: *num Theologo artem Medicam exercere liceat?* in negativam partem definit. Decima *Concionatoribus castrensibus* regulas quasdam practicas præscribit, & quomodo se in militia degentes gerere debeant, ut suo satisfaciant officio, commonstrat. Undecima *Principem Concionatorem seu Concionatores illustres* exhibet. Duodecima *vestibus sacris in*
admi-

administratione cœna Dominica usitatis ex instituto patrocinaatur. Decima tertia observationes Exegetico - practicas in textum 2. Cor. XII, 20. 21. accumulatur. Decima quarta *Imperatores nonnullos Romano - Germanicos, qui fidem Lutherano - Evangelicam morte confirmarunt*, introducitur. Decima quinta *Lutheranismum Divi Bernhardi* adstruit. Decima sexta *Principem Hebraice doctum* in fronte gerit, ac de Imperatoribus, Electoribus, Ducibus, aliisque illustri loco natis ac Rempublicam administrantibus, qui Hebrææ linguæ, imo & Arabicæ, reliquarumque Orientalium periti fuerint, instruit. Decima septima cum duabus sequentibus *cultum Abrahami, Josephi, item Patris Christi, & Annæ* denique, *Christi aviæ* (cujus veneratio & in Misniam introducta fuerit,) expenditur. Vigesima (quæ sola Lipsiæ jam A. 1689. fuit evulgata,) *Amœnitatum Juris Divini* refert *Eclogam*, in qua de *Lectioe Commentariorum Biblicorum, tam Latinorum, quam Germanicorum, & de salute Caini* disseritur. Quæ integro volumini præmittitur epistola Dedicatoria ad Celeberrimum *Schmidium* nostrum, notissimi illius Heidelbergensis Ecclesiæ quondam Pastoris, *Adami Neuseri, transitum ad Turcarum sacra*, quem alii, & Christophorus imprimis Sandius, in dubium vocarunt, omnino contigisse idoneis argumentis probatur.

Ex tanto ergo rerum diversissimarum adparatu quamplurima, eaque Lectoribus haut ingrata, facile adferri possent; sed cum brevitatis ratio nobis habenda sit, ex illa tantum commentatione, quæ *Principem concionatorem* seu *concionatores illustres* talesque sistit, qui vel Regis Principisve profapia orti sunt, & majores illustres honore ac nomine venerantur, vel Regis ac Principis dignitatem tuentur, quædam delibasse sufficiat. In duas vero illa sectiones dispescitur, quarum *prima historica* est, & ex historia antiquiori juxta ac recentiori, sacra pariter ac profana, *illustrium concionatorum* exempla suggerit. Commemorantur ergo hic *Melchisedechus*, cui sacre litteræ regiam pariter ac sacerdotalem dignitatem tribuunt, quam tamen utramque *Davidem* conjunctam habuisse, aliis quamvis secus sentientibus, Autor negat, uti nec *Salomoni* concionatoris titulum accurate deferri posse docet, utpote qui proprie dicendo verba ad popu-

lum non fecerit; *Jesaias*, eorum saltim judicio, illustribus concionatoribus annumerandus, qui ipsum regio sanguine cretum fuisse reputant; *Constantinus M.* de quo *Eusebius* memoriæ prodidit, quod conciones ad populum habuerit; *Imperatores Byzantini*, qui, teste *Valesio*, conciones catecheticas & de rebus sacris habere consueverint, quo de argumento Autor noster, quasdam Fratris sui *D. God. Christ. Götzii*, Viri Consultissimi ac in colligendis hisce Actis egregiam operam navantis, observationes secum communicatas, in medium producit, quas non possumus non hic referre. Observat scilicet V. Cl. inter alios titulos, quos sibi arrogaverit olim Imp. Constantinopolitanus, hunc imprimis eminuisse, ut ἐπισημονάρχης, i. e. doctrinæ ac disciplinæ ecclesiasticæ Præses diceretur, pari fere ratione ac fecerit *Henricus VIII. R. Angliæ*, qui post iras cum Pontifice Romano susceptas supremum ecclesiæ Anglicanæ caput, ad sensu curiæ utriusque insigniri voluerit, quem honorem nec *Eduardus VI. filius ejus*, nec *Maria Regina*, quantumvis Pontificia, regni sui primordio averfati fuerint. Vim memoratæ vocis distinctius explicatam inveniri apud *du Cange* in Glossar. Gr. Barb. v. ἐπισημονάρχης, ubi quoque ἐπισημοναρχὴν σοφίαν *Manueli Comneno* adscriptam fuisse referatur. Istud autem ideo factum videri, quod ad Imperatorem non minus atque ad Patriarcham docendi munus olim pertinuerit, eoque intuitu ille & rubra & prasina cera in signandis diplomatibus usus fuisse legatur, ceu adpareat ex *Meursii* Glossario v. κηρόβυλον, ubi celebris locus *Balsamonis* adducatur, qui & hic repetitur propterea, quod Imperatoris potestatem circa sacra maxime declarat. Quandoquidem vero Imperator rebus ecclesiasticis summa autoritate præfuerit, hinc cum sæpe contingere posset, ut peregre abesset, Patricium aliquem ejus locum tenuisse additur, qui ὑπεκκλησίων hac de re adpellatus fuerit, tantaque polluerit autoritate, ut Patriarchæ ipsi par censeretur, proximus quippe ab Imperatore, & licet ob honorem atque reverentiam ipso prior nominatus fuerit Patriarcha & Episcopus, sedisse tamen eum supra Præfectum Prætorii & Episcopos omnes adferitur; quam-

vis *Cangius* in v. ὑπεκκλησίῳν ita explicet hanc dignitatem, quod eadem præditus vices Imperatoris in silentiis publicis sive confessibus obierit, ejusque nomine oraverit. Sed videri partium studio adductum id fecisse, ut denegaret Imperatoribus omnem in rebus ecclesiasticis potestatem, cum tamen eandem in v. ἐπισημονάρχης ipsis antea adseruerit. Porro Illustrium Concionatorum numero accensentur *Oswaldus* R. Angliæ, *Godescalcus*, Vandalorum Dux, *Arinaldus*, e Marchionum stemmate ortus, *Sigismundus* Imp. *Ernestus*, Saxonix Dux, & Archiepiscopus Magdeburgensis, *Adolphus II.* & *Georgius IV.*, Anhaltini Principes, ac denique *Wilhelmus Ernestus*, Dux Saxo-Vinariensis, hodie adhuc felicissime imperans, qui in ætate tenera A. 1670 antequam rerum potiretur, suggestum adiit, ac præsentem & admirante magna Principum & Nobilium turba fidei suæ confessionem concionando edidit, versum 31. cap. XVI. Act. publice ita exponens, ut in brevissima accuratissimaque synopsi totius Augustanæ confessionis summam repeteret, placuitque Autori nostro integram concionem commentationi suæ inferere, cujus ceterum posterior pars *Theologica* est, & illam quæstionem: *num princeps clavum Reipublica tenens concionatoris officium gerere possit?* ita discutit, ut extra necessitatis casum negativa sententia adprobetur.

LES QUATRE EN UN

i. e.

HISTORIA EVANGELICA ORDINE NATIVO representata, sive nova Harmonia quatuor Evangelistarum, auctore ABRAHAMO COUET DU VIVIER.

Hagæ, apud Thomam Johnson, 1706. in 4. ch. aug.

Alph. 2. plag. 8.

Recordabuntur benevoli Lectores, Harmonias Evangelicas complures in hoc Actorum opere fuisse recensitas, in his Bernhardi Lamii, Stephani le Roux, Jo. Clerici, quibus post tot

vete-

veteres volvere hoc saxum placuit. At enim cum plerique augustum hoc institutum ita fuerint exsecuti, ut non desint, quæ desiderari in uno alteroque possint, ac ipse etiam Clericus, cujus diligentiam, ac perspicuitatem Autor noster in Præfatione laudat, eodem tamen iudice non tulerit omne punctum, non minima sane laboris hujusce pars doctissimo Auctori relicta est, quam ille non infelici successu, inter sacras curas, (agit enim Ecclesiæ Ministrum Hagæ Comitum) exantlavit.

Hanc igitur ingressus viam est, ut primo omnium extradubium poneret, nullum Evangelistarum contra temporum ordinem scribere; removendas potius esse causas, quibus inducti scriptores unum cum altero commiserint. Inter hanc præcipuam esse, quod, si quæ narrationes Evangelistarum velut parallelæ, aut saltem uno alteroque momento convenientes, occurrerent, statim pro iisdem haberentur, etsi revera diversæ actiones, locis temporibusque distinctis factæ exponerentur. Duplicem v. gr. sanationem socrus Petri, duplicem restitutionem aridæ manus, geminam curationem cæci Hierichuntini, alteram ante ingressum in urbem, post egressum ex ea alteram, narrari, idque rem ipsam loqui. Similiter parabolam de semine binis vicibus a Christo fuisse recitatam, bis etiam Servatorem e templo institores eiecisse. Argumento esse, quod unus idemque Evangelicus scriptor, v. gr. Matthæus, sermones Christi, qui iidem prorsus videantur, diversis temporibus, cap. XII, 39. & cap. XVI, 4. pronunciatos fuisse testetur, quos, si duo Evangelistæ traderent, pro uno procul dubio omnes habuissent. Addit Orationem Dominicam, quam sine dubio Servator bis diversis in locis, in Galilæa nimirum Matth. VI, 9. & Bethaniæ in Judæa Luc. XI, 2. docuit. Noster itaque, sequestrato prorsus hoc præjudicio, non dubitat, idem bis vel ter dici potuisse; actiones etiam distinctas interdum inter se convenire.

Præterea ad loca singularum actionum Christi, quæ *stationes* vocat, omni cura respicit, ratus, hoc se pacto Servatoris cursum eo certius secuturum, si utramque circumstantiam, temporis locique, perpetuo ante oculos haberet. Omnem igitur Christi historiam CXX stationibus complectitur, quarum quæ-

vis, quoties Dominus locum commutavit, terminatur. Hac methodo observata, sequentem in modum Evangelicas narrationes connectit, ut Lucæ caput I. omnes antecedit, addita Joannea præfatione, dehinc Matthæi cap. I. II. & Lucæ II. pari passu ambulent, nec minus Matthæi cap. III. IV. Marc. I. Lucæ III. IV. & Joannis I. II. III. IV. Deinceps æquo gressu incedunt Marci cap. II. Lucæ cap. V. & Joannis cap. V. posthæc Matthæi cap. V. VI. VII. Marci cap. III. Lucæ cap. VI. VII. porro Matthæi cap. VIII. IX. X. Marci IV. V. VI. & Lucæ cap. VIII. IX. Matthæi vero capita XI. XII. XIII. sola progrediuntur, reliquis silentibus. Cum Matthæi capite XIV. concordat Marci cap. VI. altera parte & Joannis cap. VI. VII. Matthæum capite XV. solus Marcus cap. VII. VIII. IX. comitatur. Sed cum Matthæi capite XVII. XVIII. conspirant Marci & Lucæ caput IX. Lucæ autem caput X. comites habet Joannis cap. VIII. IX. X. Solus posthæc incedit Lucas capite XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. Postea amplissimo consensu consonant Matthæus capite XIX. XX. Marcus cap. X. Lucas cap. XVIII. Joannes cap. XI. Hic vero solus canit capite XII. Hinc *παράλληλως* scribunt Matthæus cap. XIX. XX. Marcus cap. XI. Lucas cap. XIX. ac porro Matthæus cap. XXII. XXIII. Marcus cap. XII. Lucas cap. XX. XXI. & præterea Matthæus cap. XXVI. Marcus cap. XIV. & Lucas cap. XXII. Inde solus Joannes cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. loquitur. Conveniunt post illa Matthæi caput XXVII. Marci cap. XV. Lucæ cap. XXIII. & Joannis cap. XVIII. XIX. nec minus Matthæi caput XXVIII. Marci cap. XVI. Lucæ cap. XXIV. & Joannis cap. XX. Tandem Joannes solus capite XXI. Historiæ Evangelicæ finem imponit. Atque ita se res *ὡς ἐν πλάττει* habet; accuratior enim facies ex ipso Auctore petenda est.

Ille vero, postquam in Præfatione fundamenta suæ methodi tradidisset, firmassetque argumentis, chorum velut quendam Musicum repræsentat, in quo mox quatuor vocum concentus, mox trium aut duarum observetur, ceteris silentibus, interdum unus, quiete reliquis concessa, cantum continuet. Posthæc figuris æneis Palæstinam, Hierosolyma, templique aream

repræsentat, atque ad ipsam harmoniam progreditur; quam ita disposuit, ut in quavis statione quatuor columnis parallelis singulorum verba Evangelistarum ad istam stationem pertinentia exhibeat, deinde uno & continuo orationis tractu omnes jungat. Indicibus vero admodum accuratis & Tabula Chronologica hoc opus concludit.

*CORONA AUSTRALIS IN POLO POLONIÆ,
inter tergemina diademata augustissima constellatione re-
fulgens: sive, Sereniss. e stirpe Austriaca Reginarum Polonia
immortales virtutes, Ethicis, Politicis, Historicis observa-
tionibus propositæ per ULADISLAUM TURLAT,
Equitem Lituorum, Notarium Castrensem, Palati-
natus Trocensis.*

Vilnæ, typis Academicis Soc. Jesu, 1705. 4.

Alph. i. plag. 18.

Panegyrici hi Augustissimo Imperatori JOSEPHO dedicati, variisque locis communibus exornati, ab Auctore Litvano stylo magnifico illique nationi solenni conscripti sunt. Celebrantur autem hic Reginae Poloniae, quotquot ex Austriaca familia prodierunt, adhibito ubique coronæ cujusdam schemate. Itaque sub titulo Coronæ Gnossiæ, Elisabethæ, Alberti Austriaci, Rom. Imp. filia, Casimiri III uxoris virtutes deprædicantur, quæ quatuor Regum parens decessit A. 1505, die 30 Augusti. Inde Elisabethæ, Ferdinandi I Imp. filia, Panegyri, quod nuptiis Sigismundi Augusti vix integro biennio gavisa esset, quippe A. 1545, 18 Cal. Jul. anno ætatis decimo octavo exstincta, Coronæ Floreæ titulum imposuit. Sequitur Corona Solis & Lunæ, a Suetonio in Caligula C. 43 memorata, quam Annæ, Sigismundo III nuptæ, Caroli Austriaci filia, sorori Ferdinandi II. Imp. tribuit, sexto post nuptias anno mortuæ. Ejus sororem Constantiam, quæ eidem Sigismundo post septennii cœlibatum, annuentibus Clemente VIII & Paulo V, Pontificibus, nupsit, ob constantiam in adversis mariti rebus demonstratam, sub Coronæ Oleaginæ symbolo celebrat, simulque ostendit repentina

ejus

ejus morte, quæ in diem 10 Julii anni 1631 incidit, adeo fuisse consternatum Regem, ut & ipse haud multo post e vita excesserit. Uladislai IV uxorem Cæciliam Renatam corona Radiata exornat, & orationes Latinas, quibus ad connubium Regis a Ferdinando III fratre deposcebatur, & arcus triumphalis, per quem in Varfaviensem urbem invehebatur, inscriptiones exhibet, tandemque A. 1544 mense Martio extinctam epitaphiis celebrat. Denique corona Imperiali cingit Eleonoram, Ferdinandi III Imp. filiam, quæ A. 1670 Regi Michaeli Wisniowieccio nupsit, cujus pariter virtutes fusius enarrat. His varia, ut diximus, passim insperguntur, ut de malis mulieribus p. 30, de ominibus, quæ mortem foeminarum Illustrium antecessere p. 48, de liberalitate Principum Austriæ p. 66, de rosa p. 80, de his, qui brevi spatio regnarunt p. 83, de quorundam somno, per aliquot annos aut menses continuato, p. 107, de foeminis, quæ bellis materiam præbuere p. 121, de glebæ adscriptitorum, quos *Kmetones* Poloni vocant, conditione p. 129, de pædagogis Principum p. 145, eorundemque adulatoribus p. 148, de eclipsi Lunæ, Regnis funesta, p. 156, de constantia quarundam foeminarum p. 177, de etymo & significatione vocabuli *Rokosz* p. 193, de lascivis Principum uxoribus p. 214, de inæqualibus Principum nuptiis p. 227, de inconstantia fortunæ Principum p. 277 & de pietate Principum Austriæ p. 297. Sed hæc de Panegyricis his memorasse sufficiat.

*ACTA CONSISTORIALIA CREATIONIS
Eminentissimorum ac Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium
instituta a Sanctissimo D. N. CLEMENTE XI.*

*P. M. diebus 17. Maji & 7. Junii Anno Sal. 1706. Accessit eorundem Cardinalium brevis
delineatio.*

Coloniæ, 1707. Constant 4 plag. in 4.

Acta hæc creationis S. R. E. Cardinalium, ex S. Consistorii monumentis descripta, J. Vincentius Gravina, qui inter eruditos Italiæ magno loco est, ad Excellentissimum Virum, Henricum Huysseium perferri curavit, ut publicis typis in Ger-

mania imprimerentur. Quæ sane eo magis digna sunt, ut oculis omnium exponantur, quo majori admiratione rerum in illis contentarum magnitudo, & exemplorum novitas Lectorum mentes adficit atque percellit. Videas enim hic miram Pontificis M. constantiam, atque in uberrima honorum distributione neglectum sui atque suorum incredibilem, quando quidem nullis Eminentissimorum Cardinalium precibus expugnari potuit, ut *D. Annibalem Albanum*, germani fratris filium, adolescentem omnibus doctrinis & virtutibus ornatissimum, quem ille jure sibi depoposcerat adjungendum, ad amplissimam dignitatem, adsumere dignaretur. Quin cum iterata vice ac validioribus, quam antea, precibus singuli Patrum Pontificem adgrederentur, ut nepotem suum sacra decoraret purpura, ipse propositi tenax novam hanc oppugnationem fortiter excepit propulsavitque, quinimo vultu commotior dixit, se eorum suffragia exquisivisse pro iis, quos Cardinales creare intendebat, non autem pro iis, quos creare minime intendebat, adeoque omnino ab ejusmodi sibi molesta petitione desisterent. Quibus verbis universos dimisit, ingenti profecto admiratione perfosos, quod Pontificia constantia obnixis iteratisque totius Collegii precibus flecti minime potuisset. Rara quoque ac singularis est, quæ in his actis memoratur *Gabrielis Philippucci*, Signaturæ Justitiæ Votantis, moderatio ac humilitas, qua oblatam sibi a summo Pontifice præcellam Cardinalis dignitatem constanter recusare non dubitavit. Curaverat is quidem, jam ante promotionis diem, per Eminentiss. Cardinalem *Mariscottum* summo Pontifici non obscure indicari animum suum a tantæ dignitatis, quam sibi deferendam audiverat, fulgore refugientem, sed hic Christiana ista & rara Viri humilitate in suscepto consilio potius confirmatus, d. 17. Maji 1706, cum aliis novendecim principibus ac gravissimis viris eundem Purpuratorum numero in convocato istum in finem consistorio adscripsit, in quo tamen postmodum idem *Philippuccius* clarius ac disertius sensus suos Pontifici aperuit supplici libello, per eundem Eminentiss. Cardinalem *Mariscottum* exhibito, quo Cardinalis dignitatem, cujus oneribus ferendis se prorsus imparem agnosceret, recusabat vehementer.

hementer, atque obnixe deprecabatur. Quo facto Pontifex, etsi animum a compellendo invito alienum ostenderet, adferens, se toto Pontificatus sui tempore neminem unquam renuentem ad Episcopale munus suscipiendum coegisse, & cæteroquin expediens ducere, ut præclara hæc Christianæ humilitatis exempla ederentur, noluit tamen hac in re quidquam tunc illico decernere, sed meritissimo Viro longius tempus ad deliberandum, in re tam gravi se concedere velle declaravit. Misit itaque postridie *P. Franciscum Mariam Casinum*, ex familia Capucinorum, sacri Palatii Apostolici Concionatorem, pietatis, prudentiæ doctrinæque laudibus insignem, qui, nullo hortationis genere prætermisso, hominem de suscepta sententia revocare, & ad accipiendam Cardinalitiam dignitatem adducere niteretur, eique præterea subsidia exponeret, quibus Pontifex domesticæ illius rei angustiis liberali plane animo subvenire decreverat. Irritus tamen fuit Pontificius conatus. Nam *Philippuccius* propositi tenax nullis omnino rationibus flecti potuit; quinimo, ex ejusmodi sibi permolesto successu, eam suscepit animi ægritudinem, ut in admodum gravem ancipitemque corporis morbum delapsus fuerit. Quod ubi rescivit Pontifex, illico misit Illustriss. *D. Jo. Mariam Lancisum*, Medicum intimum Pontificium, qui suo nomine ægrum inviseret, eumque consolari & a suscepto mœrore abducere conaretur. Explorato vero jam satis superque *Philippuccii* animo, P. M, ne quid inconsulte decerneret, exquirendum censuit votum complurium Cardinalium, sapientia & rerum usu præstantium, ipsisque negotium serio ac diligenter expendendum commisit. Hi itaque coacta hanc in rem peculiari congregatione, discussoque mature dubio, an *Philippuccius* a Pontifice cogendus esset præcepto sanctæ obedientiæ ad Cardinalatum suscipiendum, ejusque insignia gestanda, cæteraque solennia peragenda, tandem unanimi consensu nullam renuenti vim adhibendam esse censuerunt. Interim idem *Philippuccius* in proposito usque magis constantior perseverans, ne de fixa deliberataque ejus voluntate recusandi, refutandi ac etiam renunciandi Cardinalatum unquam dubitare contingeret, omnia & singula in supplici antea exhibito libello

contenta confirmavit ampliavitque, ac uberius adhuc & solennius animum suum hac in re declaravit, publico desuper celebrato instrumento, cujus exemplum in Actis subjicitur. Cernens itaque P. M. nullam jam sibi reliquam esse spem flectendi viri constantiam, vimque renuenti juxta Congregationis sensum adhibendam non esse ducens, tandem ad enixas illius preces exaudiendas benignum animum inclinavit, indicique propterea jussit Fer. II. d. 7. Junii 1706 sacrum consistorium, quo rite coacto presentibus Eminentissimis Patribus numero XXXVII. renuntiationem *Philippucci* se admittere publice declaravit, eidemque forsan aliquando illud ipsum se dicturum esse addidit, quod B. Gregorius cuidam Sebastiano, qui commissum sibi ab Anastasio Patriarcha Ecclesiae regimen recusaverat, rescripserit, videlicet: *Sensum ac Sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, laudavi vehementer & vos felices, me infelicem esse deputavi, qui hoc tempore regimen Ecclesiae suscipere consensi.* Hinc Pontifex adprobatam Cardinalium consensu sententiam, ac *Philippucci* renuntiationem solenni decreto admisit & comprobavit, ac postremo, ut eximiam suam, ac vere paternam in *Philippucium* charitatem aliquo alio minime respuendo beneficii genere declararet, simulque ejus honestae sustentationi opportune prospiceret, peracto Consistorio illi attribuit & assignavit annum subsidium mille scutorum monetæ Romanæ, quoad vixerit, ex Camera Apostolicæ proventibus persolvendum, quamvis isto beneficio *Philippuccio* haut diu frui licuerit, utpote quem d. 15. Julii 1706. supremum obiisse diem accepimus.

Cæterum, ne ignotum esset, quibus hæc Acta accepta referenda sint, præmisit Typographus iisdem *Gravina* ad *Huyssenium* epistolam, quæ lectores certiores reddit, fore, ut posteriores libri eruditissimi *Gravina* de *Originibus Juris*, quorum prior Neapoli primum editus, curate in Germania recusatus fuit, propediem, ut ibidem quoque lucem publicam adspiciant, transmittantur. Promittit etiam Cl. Autor addere & *Institutiones Juris* eleganter contextas, & *orationes septem* ad morum & litterarum emendationem ac regimen pertinentes; nempe

primam

primam de instauratione studiorum ad Clementem XI. Pont. Max. secundam de Sapiencia universa; tertiam de Juris prudentia; quartam pro novis Philosophis; quintam de repetendis fontibus doctrinarum; sextam de recta in jure disputandi ratione; septimam de canone interiori. Quæ singula opuscula, quin Juris pariter atque litterarum elegantiorum cultores avidè expectent, non est quod dubitemus. Ne quid denique ad historiam recens creatorum Cardinalium deesset, nonnulla de eorum vita ex idiomate Italico translata in fine horum Actorum adjecta sunt a Typographo, ad quæ ergo lectores remittimus.

Schau-Platz der streitenden, doch unüberwindlichen Christlichen Kirche.

i. e.

**THEATRUM MILITANTIS, SED INVINCIBILIS Ecclesie, Auctore DAVIDE
NERRETERO.**

Norimbergæ, apud W. M. Endterum, 1707. 8.

Constat alph. 3½. & plurimis figg. æn.

CLarissimus Auctor omnes religiones atque hæreses, quæ in universo hoc terrarum orbe unquam extiterunt, delineare in animum induxerat. Quem finem ut eo facilius obtineret, libri Alexandri Rossæi, qui eundem scopum sibi præfixerat, lingua Anglicana conscriptum elegit, eumque non solum in vernaculum nostram vertit, verum etiam multis in locis emendavit, prætereaque multis accessionibus, quæ molem libri Rossæi longe superant, eundem auxit. Jam sex circiter anni elapsi sunt, ex quo primus Tomus hujus operis lucem adspexit, in quo admirandum Judaico-Ethnicum Templum aperitur, eorumque tum verus tum spurius cultus, variaque idololatriæ genera copiose atque erudite exponuntur, quibus omnibus doctissimus Autor luculentam narrationem de origine idololatriæ, nec non de fabulis Poëticiis earumque genuina significatione subjungit. Hunc primum Tomum haudita
multo

multo post alter subsecutus est, in quo Mahummedanæ religionis origo, incrementa, sectæ, imperia, varii ritus, ac denique conjecturæ de ejusdem interitu proponuntur. Deinceps totus Alcoranus, juxta optimam Ludovici Marraccii editionem, in Germanica lingua legitur, simulque breviter refutatur. Jam tertius Tomus, quem præ manibus habemus, Historiæ Ecclesiasticæ enarrandæ destinatus est, utpote in quo ad ductum sectionis septimæ de diversis cultibus Alexandri Rossæi, de Ecclesiæ origine, incrementis, propagatione, impedimentis, persecutionibus, hæresibus, schismatibus eorumque causis fuse ac diligenter disseritur, prætereaque ostenditur, quo pacto schismata, divina annuente gratia, tolli, & Ecclesiæ a se invicem divulsæ absque syncretismo ad veram unionem reduci possint. Totum opus decem quæstionibus absolvitur, in quibus evolvendis Auctor eandem methodum adhibet, qua in antecedentibus etiam Tomis usus fuerat, ut scilicet singulis Anglici Auctoris paragraphis additiones prolixissimas subjiciat. Altius vero ab ipsa Christianismi origine rem arcessit, ita, ut religionis Christianæ veritatem pluribus confirmet, & singula prope modum Veteris Testamenti de Salvatore nostro vaticinia excutiat, omniaque veri Messæ *ὑπαρίσματα* Jesu Nazareno competere demonstrat. Quo facto doctrinam, cultum & varios ritus primitivæ Ecclesiæ enarrat, & postea causas rimatur, quæ puriorem primitivæ Ecclesiæ Christianismum corruperint, easque non alias fuisse dicit, quam perversam hominum voluntatem, Episcoporum imprimis ambitionem, malitiam Satanæ, & tandem justissimum Dei omnipotentis judicium. Ecclesiam vero post decem persecutiones magis magisque depravatam esse asserit, donec Papatus, cujus historiam ab ejus origine usque ad tempora reformationis nervose & perspicue exponit, erectus fuerit. Quibus absolutis, historiam hæresium & hæresiarcharum, qui Ecclesiam mox ab initio, signo quasi a Simone Mago omnium hæreticorum patriarcha sublato, miris modis turbarunt, contexit. Ea occasione prolixum de hæresi instituit discursum, & in quo vera ejusdem natura consistat, abunde docet. Ostendit præterea, quemadmodum omni tem-

pore Diabolus ejusque instrumenta hoc vocabulo ad opprimendos bonos abusi fuerint. Sub finem denique de unione Ecclesiarum, a se invicem dissentientium, differit, eamque tum possibilem, tum necessariam esse, sibi persuadet; minime tamen per syncretismum, quem pro hæresi venditare non dubitat, eam in actum deduci posse censet, quin potius per unionem cum Deo trinuo in Christo, juxta Apostolico-Catholicam fidem, quæ per charitatem erga Deum & omnes homines sit efficax. Hac fini exemplar Christianæ unionis in fide subjungit, in quo omnes partes, quæ ad doctrinam & vitam Christianam necessario requiruntur, ad ductum Catechismi nostri exhibet, quas si modo homines amplectantur, omnes & singulos sine dubio salvari posse contendit.

LE DROIT DE LA NATURE ET DES
GENS, &c.

i. e.

*JUS NATURÆ & GENTIUM, SEU SYSTEMA
Generale Principiorum momenti maximi Moralium, Juris-
prudentiæ & Politicæ, ex Latino B. Baronis de PUFEN-
DORFF traductum, auctore JOH. BARBEYRAC.*

*Cum notis Interpretis, & Præfatione, Introductionem
in universum Opus continente.*

Amstelodami, apud Gerh. Kuyper, 1706. in 4, chartæ augustæ.
Constat Alph. 6. Plag. 8.

Cum pridem communi Eruditorum adsensu adprobatum sit
Illustri Pufendorffii Jus Naturæ ac Gentium, suæ quoque
genti utilissimam operam præstiturus Cl. Barbeyracius, in Galli-
cum idioma illud transtulit, pulcherrimisque notis ac præfa-
tione adornavit. In doctissima præfatione quidem potissimum
de natura doctrinæ moralis, per quam Ethicam, Jus naturæ &
Politicam, sive omne id, quod ad vitæ beatam rationem te-
nendam scitu factuque necessarium est, intelligit, erudite agit.
Hanc simplicissimorum etiam captum non excedere, sed ut

D

omni-

§. 1.

omnibus æque necessaria sit, ita & omnibus facilem perceptu esse, & ipsorum præceptorum ratione, & maximorum testimonio Philosophorum ostendit. Hanc ut idiotæ etiam clare perspicere queant; ita eam eruditos, quorum subactiora ingenia sint, evidentibus demonstrationibus & mathematica certitudine, imprimis cum principia hic æque clara multoque, quam in aliis disciplinis, pauciora habeantur, sapientissimi *Lockii* iudicium secutus, tradere posse affirmat. Quicquid hic a multis difficultatum in conciliandis diversis Ethicæ præceptis fingatur, vel hominum affectibus ac præjudiciis, vel negligentia tribuendum, qua impediti accurate satis virtutum naturam & officia considerare vel nolint vel nequeant. Hac occasione *Charronis* potissimum, & *Montani* objectionibus scite respondet, omnemque doctrinæ moralis, quam accusant, difficultatem, non tam in ejus principiis, quam applicatione, & circumstantiarum consideratione, latere declarat.

Si vero omnino quædam sint ita difficilia, ut ea mens humana capere non posse videatur, eorum ignorantia vel veniam nos apud Deum habituros, vel remedium tandem, majori ac sinceriori adhibito studio, inventuros, adeoque certam quidem doctrinæ moralis scientiam, quanquam non continuo omnibus numeris partibusque absolutam & perfectam consecuturos ait.

Neque diversas, & sæpe contrarias hominum de vitiis ac virtutibus sententias, quicquid hic ogganniant *Pyrrhonii*, ipsius doctrinæ certitudini quicquam derogare; sed illud saltem probare docet, quod homines sæpe vel abutantur, vel non recte utantur ratione sua. Qua occasione, ut controversiam *Cartesii*, *Lockii*, & *Scherlokii* de idearum etiam in moralibus natura doctè examinat; ita in justissimas querelas diffunditur, quod in nulla fere disciplina minori opera uti mortales, pravissima voluntatis inclinatione seducti, voluerint, quam in ea, quæ ad ipsos maxime pertinet, deque moribus ac vitæ felicitate agit.

Cum enim duo potissimum sint genera hominum, qui præ aliis excolere hanc doctrinam deberent, *publicorum* scilicet *religionis interpretum*, & *eruditorum universus ordo*; per neutros satis eidem consultum fuisse perhibet. Theologos enim,

vates

Vates & Sacerdotes inter *Paganos* plerosque, moralem doctrinam a Religione separasse, & vel aperte turpia de Diis suis tradidisse, vel externam modo honestatis speciem utcunque servasse. *Judeorum* Doctores, post captivitatem Babyloniam, moralem doctrinam corrupisse potius, quam excoluisse: in ritibus externisque ceremoniis observandis totos fuisse, traditionibusque suis ipsa naturalis juris præcepta oblitterasse, & a *Servatore* nostro propterea pluribus locis castigatos fuisse, commemorat. Et quanquam ab hoc, ejusque discipulis sanctior morum doctrina restituta esset, non defuisse tamen plures falsos doctores, qui, testantibus Paulo, Petro, Johanne, & aliis, illam additamentis suis turbare auderent. Auctum illud malum fuisse, post *virorum* excessum *Apostolicorum*, a *Patribus*; qui fabularum, allego-riarum, vanæ eloquentiæ & paganæ Philosophiæ perverso studio ducti, sanioris Logicæ & Hermeneutices destituti præsidio, ambitione denique, & abstractioribus de variis hæresibus controversiis agitati, doctrinam tam utilem & necessariam vel neglexerint, vel obiter & confuse tradiderint; quin, ut prolixè docet, crassissimos plerique errores admiserint. Inde plures nobis controversiarum quam moralium libros enatos: inde sermones etiam ad plebem habitos, potius polemicam, quam moralem doctrinam sapere: quin hæreseos prope suspectos fieri, qui moralia potius, quam dogmatica tractent. Quare nec a Theologis superioris seculi, sed ab *illustri Grotio* primum doctrinam moralem in justum Systema redactam fuisse: imo feliciter fere a Laicis & privatis morum præcepta exculta esse, quatenus illa vel traditione vel suæ usu rationis cognita ipsis fuerint; quanquam & eruditissimis in omni antiquitate *Philosophis* nonnihil doctrina moralis debeat: quorum tamen sententias non nisi e Græcorum literis cognoscere liceat, unde eas *Marshamus*, & *Stanlejus* potissimum collegerint. *Chaldæorum* quidem dogmata plurimum in Physicis, Astronomicis, Metaphysicis ac Pnevmatologicis versari. Paucula quædam illorum de moribus præcepta superesse, quæ Autor Clarissimus e *Chaldæorum oraculis* breviter repetit: quæque potissimum animi nostri ad superiora illa, unde orti sumus, cogitanda, ἀπο-

§. 7.

§. 8.

§. 9.

- §. 12. *Χειρῶν* vitandam, & ἔργα εὐσεβείας exercenda excitationem continent. De *Ægyptiorum* morali doctrina, in primis cum supposita sint *Mercurii Trismegisti* opera, ipsique symbolis ac hieroglyphicis figuris omnia obscuraverint, pauca etiam nobis constare. Ea, quæ de officiis hominum adversus se invicem tradant, pleraque cum Decalogi præceptis convenire: nisi quod v. g. filias ad nutriendos indigentiores parentes obligarent, filios eo pietatis officio eximerent, utrosque autem majorem patri, quam matri honorem exhibere ideo juberent, quod mater solum scilicet foetui habitaculum ac nutrimentum, dum in hanc lucem ederetur, præbuisset.
- §. 13. *Persarum* moralem Philosophiam ut *Chaldæorum* similem, ita subobscuram fuisse perhibet. Ejus autem culturam potissimum e Principum juventutis, nobiliumque puerorum a *Xenophonte* & *Platone* descripta educatione patere. Reliqua e celeberrimi *Hydii historia de Religione Persarum veteri*, & compendio doctrinæ *Zoroastris*, *Sadder* dicto posse intelligi; in quibus scilicet inter optima de moribus præcepta, multa superstitiosa, multa etiam insipida & insulsa sint: quorum nonnulla Cl. Autor noster repetit.
- §. 14. *Sinensium* moralem doctrinam, judice celeberrimo *Leibnitio* in præfatione ad *Novissima Sinica*, Europæorum fere omnium sapientiam superare: multaque in *Confucii* libro esse præstantissima, quæ brevibus recensentur ab Autore nostro: quin e parvo libello, quo ille *Regem imperandi artem docet*, plura disci posse, quam ex ingentibus nonnullorum Ecclesiæ Patrum voluminibus. Cæterum prævalere hodie alterius *Philosophi Foe* dicti apud Indos impia præcepta; cujus discipuli exteriori sua doctrina in officio continere populum studeant, interiori autem, magisque recondita, proxime ad *Spinoza* & *Δεόνηλα* accedant.
- §. 15. Ad *Græcos*, perlustrato Oriente, pergit Autor, eosque Orientalium discipulos morales doctrinæ præstantia ipsos superasse Magistros perhibet. Prima illorum dogmata, orientalium more, fabulis, ænigmatibus, symbolis, versibus concepta fuisse: quod ex *Hesiodo*, *Æsopo*, *Theognide*, *Homero*, aliisque, Tragicis potissimum Poëtis, appareat: quanquam horum opera multa obscure & confuse, infraque morales doctrinæ dignitatem sint tradita.

Septem Græciæ Sapientes, viros rebus agendis, Reipublicæque gubernandæ deditos, brevibus, sed prudentissimis oraculis, a *Laertio* aliisque proditis, suam sapientiam declarasse. *Pythagoram* magis quidem excoluisse morum regendorum prudentiam, sed pleraque sua symbolis numerisque obscurasse: multum tamen autoritate, eloquentia, exemplo profecisse, præstantissimosque legislatores *Zaleucum* & *Charondam* formasse: multis itineribus factis prudentiam auxisse, Dei unitatem, omnium rerum numerosam harmoniam, *μετεμψύχωσιν*, sapientiæ finem Dei similitudinem, via purgativa & unitiva, veritatisque studio obtinendam statuisse; quibus similia ejus quoque discipuli traderint. *Anaxagoram* primum post *Thaletem* Ionicæ Sectæ firmatorem, quanquam inter Atheos relatum, agnovisse tamen principium hujus universi, spiritum quendam infinitum, omnique relicto patrimonio, solius studio speculativæ sapientiæ vacasse, *Homeri* etiam Poësin, tanquam Ethicam allegoricam, magni fecisse. *Archelaum* Physicæ imprimis deditum, naturæ jura negasse, omnesque res, nisi accedente lege humana, indifferentes reputasse. Ejus contra discipulum, virum optimum, ac sapientissimum, *Socratem*, primum plus studii ordinisque ad moralem doctrinam attulisse, quanquam nil ipse scripserit; ad *fastum Sophistarum* reprimendum, singulari quæstionum methodo, suæque extenuatione scientiæ usum fuisse, qua perhibebat, se solum id scire, quod nihil sciat. Cæterum unum & solum Deum, Ens summum, agnovisse; quodque non omnes, de Diis inferioribus, turpes fabulas crederet, capitis damnatum fuisse: Dei providentiam celebrasse, eamque dignis invocandam precibus statuisse: jura naturæ ab ipso Deo orta, ideoque sancte servanda, dixisse: doctrinæ ejus summam e *Xenophonte* potissimum ac *Cebetis* tabula cognosci harum rerum studiosis posse. *Platonem*, discipulum ejus, inter Scepticos nequaquam referendum, dialogis suam doctrinam proposuisse, inque iis omnibus moralem potissimum Philosophiam tractasse. Cujus eo abeant principia: finem omnium actionum nostrarum esse bonum: id unum esse summeque perfectum, ens infinitum, patrem & causam omnium entium: hoc bonum paucos possi-

§. 16.

§. 17.

§. 18.

§. 19.

§. 20.

dere: ab hoc manare lumen scientiæ & veritatis, sanctitatis & justitiæ, quibus homines uniantur Deo, unde summa voluptas & tranquillitas, immortalitas & æterna felicitas; cum impios premant in hac vita, maneantque in altera summæ miseriæ. Hæc principia sublimi a Platone stylo, mysticisque phrasibus proponi, interdum tamen & nugas de affectibus impurioribus admisceri: quibus quidem ipsis moralia & politica dogmata, sint involuta, unde non sine fructu legi ejus opera queant. Ibi certe doctrinam de animorum immortalitate, de precibus pure mente in omnibus rebus ad Deum faciendis, de Philautiæ damnis, de mortis meditatione, patientiæ studio, charitatis officiis sæpius inculcari: dogmata Reipublicæ perniciose refutari; ideam denique boni viri talem ab ipso proponi, ut multi eam vaticinium quasi de Servatore nostro habuerint. Politicæ doctrinæ verissima principia Platonem constituisse, & omnia ad totius salutem civitatis legibus obtinendam retulisse, quamquam ex optimis principiis conclusiones nonnullas a vera morali alienas v.g. de communione bonorum, foeminarum, liberorum, derivare videatur. *Antisthenem* ejus discipulum, *Diogenem*, aliosque Cynicos, optimi præcepta doctoris, *Socratis* nimirum ita excoluisse, ut veritatem assererent proverbio: *rara magna ingenia ab omnibus ineptiis libera esse*. Inde, quod Socrates moralia potissimum excolenda putaret, omnes illi bonas literas, Logicam quoque, Physicam, Geometriam, Musicam repudiabant. Bene docti erant: solam ad felicitatem virtutem sufficere. Sed male inde omnes vitæ transigendæ commoditates repudiabant, extremamque ultro sibi paupertatem accersebant: omnem decori rationem, actionumque circumstantias negligebant: omnium sibi rerum usum ex eo principio vendicabant, quod omnes omnium opes Dei, ipsisque adeo, ut Dei amicis, communes essent: spretis omnibus humanis legibus, soli naturæ juri, cujus monstruosam fati ideam habebant, obtemperabant: inde monetæ cudendæ facultatem sibi tribuebat, mulierum, jurisque naturalis nobis cum bestiis communio- nem assererat *Diogenes*. *Aristippum*, Cyrenaicæ Sectæ conditorem, vitæ liberioris voluptatisque jucundæ, in qua & sum-
mum

§ 21.

§ 22.

mum bonum collocabat, ac decori studiosum, civilibus, non naturæ legibus omnia metitum esse, inque ejus Ethicæ Systemate virtuti veræ vix locum fuisse, Autor Cl. docet. Scilicet alii, ejus discipuli, aperte Atheismum profitebantur; alii, *Hegesia* nimirum discipuli, *αὐτοχρηστῶν* tanto successu commendabant, ut interdiceret ipsis has doctrinas necesse Ptolemæus Rex haberet. Inde *Aristotelis*, celeberrimi Platonis discipuli, Sectam examinat Autor Cl. eumque contra *Rapinum*, non iisdem fundamentis, principiis atque ordine, quibus Platonica utitur, gaudere; sed cum Platonis Philosophia sublimis esset, & ad divinarum cogitationem rerum nos duceret, Aristotelis moralem doctrinam intra hujus cancellos vitæ contineri, & ad externa potissimum, civiliaque respicere, demonstrat. Parum apud eum de Deo, ejus providentia, animæ immortalitate; sed de Diis, Intelligentiisque stellarum sphaeris affixis plura inveniri. Omnem ejus Theologiam ad ista duo capita abire: esse Deum, qui hoc universum virtute sua comprehendat, darique Deos inferiores: naturam Supremi illius Numinis instrumentum esse, quo ille ad res certis finibus producendas utatur. Actionum humanarum principia, virtutisque naturam satis quidem distincte ab ipso tractari; sed deesse tamen pluscula, quominus Aristotelis Ethica, quod Rapinus velit, omnium perfectissima haberi queat, quod e resolutione librorum Ethicorum ad Nicomachum accuratissima Autor ostendit: ubi cum Grotio imprimis falsitatem definitionis, qua Aristoteles virtutis naturam in mediocritate ponit, defendente licet eum Gronovio, observat, eamque justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magnanimitatis, mansuetudinis exemplo declarat: errores etiam in dividendo jure, tradendisque virtutibus intellectualibus satis crassos notat. Cæterum quæ in *libris X. Nicom.* tradita erant, eadem prolixius in *duobus magnorum Moralium* libris repeti & explicari docet. *Arcefilam*, secundæ Academix fundatorem, Scepticismi professorem, moralis veritatem doctrinæ plane propemodum evertisse; *Carneademque* tertiæ statorem Academix, paria fere fensisse, quanquam ad aliorum evitandam invidiam paulo Scepticismum suum mitigasse videri voluerit; *Pyrrhonem* vero omne

§. 23.

§. 24.

discrj-

§. 25. discrimen inter justum & injustum, honestum & turpe, ab arbitrio consuetudineque hominum derivasse; cum *Carneade* vanum justitiæ nomen efficere voluisse, adeoque & Academicos, & Pyrrhonios, *Indifferentissimum* moralem sua jam ætate proposuisse demonstrat. *Epicurum* Arcesilæ æqualem unam omnino substantiam, corpus scilicet, inque ea extensionem, soliditatem, magnitudinem, figuram, situm, motum agnovisse, simul tamen plures Deos, otiosam in intermundiis vitam agentes, hominum nulla cura tactos, ab his tamen, ob suæ excellentiam naturæ ac felicitatis, colendos, politica, vana satis chimericaque ratione tradidisse, ideoque a Posidonio jure *Atheum* dictum, neque a *Gassendo* illo crimine omnino liberatum fuisse ostendit. Moralem tamen doctrinam eundem in nonnullis haud incommodam tradidisse addit: summum bonum enim in voluptate sive tranquillitate ab ipso positum fuisse: istam voluptatis notionem sinistre quidem a multis acceptam, odioque omnium dignam reputatam fuisse: in quo, quanquam errare putat plures Autor Cl. illud tamen monet, nec vere summum bonum, nec solidam virtutem tradi ab Epicuro per suam hypothesin potuisse, cum omne hujus vitæ bonum, felicitas omnis, sine Deo imperfecta sit. Duo igitur potissima Epicuræ Ethicæ vitia esse: primum, quod virtutem omnem e præsentis utilitate vel commoditate vitæ metiatur: alterum, quod ejus de voluptatibus sententiæ plures omnino in hac vita turbas in animis mortalium necessario fere gignant. Porro ad *Stoicorum* Sectam, *Zenone* Autore ortam, Epicuræ in omnibus pene contrariam, describendam Autor pergit, illorumque in Physicis plura dogmata absurditatis arguit. Et profecto, cui illa de mundo animali, cujus anima sit ipse Deus, i.e. substantia activa ignea, pro diversitate materiæ, cui uniatur, plures quasi Deos inferiores, & ipsos aliquando in communi hujus universi incendio perituros constituens; illa de hominum animabus in æthera redituris & corruptibilibus; illa de fati necessitate, ipsum quoque Deum obstringente, cum qua tamen summa illa hominum, quam toties jactant, libertas constare possit, absurda non videantur? Saniora prædicat Autor Cl. ea, quæ de morali doctri-

§. 26.

doctrina tradiderint: in qua cuncta ad vitam naturæ conformem revocabant, mundumque hunc regnum appellabant, cuius Rex Deus esset, homines cives, ad mutua commoda promovenda sanctissime obligati: e quibus principiis *M. Antoninus, Seneca, Epictetus*, plurima pulcherrimaque monita derivabant. Sed hic etiam habent Stoici, quæ sapientioribus probari nequeunt. Præter vanitatem enim morumque in his Philosophis malignam hypocrisin, ipsa etiam morum præcepta, perhibente Autore nostro, non satis erant accurata. Virtutis ideam formabant satis quidem magnificam, sed neque omnino perfectam, neque solido satis fundamento nixam; quippe qui alterius præmia vitæ ignorantes, ipsam etiam virtutem inter res vanas referre debebant. Inde laudes Sapientis Stoici vanas & chimericas, & paradoxa pleraque, ambigua, nulliusque ad solidam virtutem implantandam momenti esse, Autor declarat. *Eclecticam* denique *Philosophiam*, a *Potamone* quodam, Augusto Romanis imperante, introductam, multis probatam fuisse Autor Cl. ostendit. *Ciceronem* non magis Peripateticos, quam Stoicos sequi in libello de officiis, quo omnium fere inter antiquos perfectissimum moralis doctrinæ systema contineri, Autor noster existimat: quanquam multa eidem specialius monenda desint, ordoque interdum & principia decidendi accuratiora desiderari queant. Jacturam *Libri Ciceronis de Republica* Autor merito dolet, istam tamen quodammodo *libro pulcherrimo de legibus*, compensari docet; in quo quidem elegantia Ciceronis principia solidioribus firmata rationibus, plusque sapientiæ quam eloquentiæ lectoribus datum fuisse optat; quod magis e *Seneca*, quanquam confuse ac *μετεωρολόγως* scribente, potissimum vero e *Plutarcho* peti possit: qui tamen ipse profundius sæpe & explicatius tractare sua dogmata potuerit. *Epictetum* & *Marcum Antoninum* *Seneca* solidiores Autor censet: sed isti ingenium animique dignam Philosopho elevationem; huic tersam principiorum puritatem, stylique claritatem defuisse queritur. Philosophorum Stoicorum studia imitatos fuisse plerosque *Ætos Romanos*, suaque industria Juris naturæ doctrinam potissimum perfecisse Autor Cl. adfirmat: prorsus

§. 27.

ut dolendum sit, *Justinianum*, fragmentis quibusdam illorum in digesta relatis, ut jurisprudentiæ quoddam quasi compendium redderet, ingens præstantissimorum Scriptorum dispendium fecisse, *Tribonianique* opera, pro clarissimorum virorum luminibus, obscurum nobis legum chaos reliquisse. *Platonis* sectatores *Plotinus*, *Amelius*, *Porphyrus*, *Jamblichus* & *Proclus*, Metaphysicas potius *Platonis* ideas, quam moralem doctrinam, Autore nostro perhibente, illustrare studuerunt. *Aristotelis* recentiores sectatores, scilicet *Scholastici* & *Casuistæ*, plura etiam morali doctrinæ, quam speculativis scientiis præjudicia intulerunt, confusum quoddam ejus corpus e sententiis *Aristotelis*, jure Civili, Canonico, Divino, Patrumque dictis, sine ordine & accurata connexionione consuentes.

§. 28.

Cum immortalium in Rempublicam literariam meritorum Vir, *Franciscus Bacon Verulamius*, viam reformandæ Philosophiæ feliciter ostendisset, & *Philippus Melanchthon* in suis Ethicis, nec non *Benedictus Winckler* in suo libro de Principiis juris anno 1615 edito, radios quosdam clarioris luminis edidissent; tandem *Hugo Grotius*, divini Vir ingenii, felicissimo successu luculentissimam morali doctrinæ lucem affudit, opere suo de Jure belli & pacis Parisiis A. 1625 primum edito, & ob summam sui præstantiam, communi omnium Eruditorum applausu recepto. Grotium laudabili æmulatione sequutus *Seldenus* eruditissimum opus, de Jure naturæ ac gentium, e doctrina Hebræorum edebat, in quo tamen ordinem, perspicuitatem, & dogmatum principia satis firma, Autor Cl. desiderat. Brevi ante Grotii obitum, *Thomas Hobbesius*, Vir profundissimi judicii, turbis patriæ suæ indignatus, in lucem edebat Parisiis A. 1642 *Traëtatum suum de Cive*: in quo principii loco ponit sui conservandi, propriæque utilitatis, in bello quasi omnium adversus omnes studium, Regibusque ac Principibus omnium rerum absolutam potestatem tribuit: quam doctrinam excussit singulari libello *Lambertus Velthuysius*, & ipse Hobbesius declaravit in *Leviathane suo*. In quo tamen nonnulla Atheismi vestigia, quin & non satis sibi invicem cohærentia, quod Hobbes omnia cogitata sua aliis communicare veritus sit, Autor noster esse judicat.

cat. Denique Illustris *Pufendorffius*, literarum humaniorum, & Philosophiæ, ac inprimis Matheseos singulari scientia, iudicio solido, exquisito, & a præiudiciis aliorum libero, sedula optimorum Autorum lectione, Eruditorumque suæ ætatis familiari opera adjutus, incluta inprimis Grotii vestigia sequi, & quæ imperfecta in Juris Naturæ ac Gentium doctrina videbat, heroico conatu, successu felicissimo, freudentibus licet plurimis, tantique gloriam operis ipsi invidentibus, ipse perficere cœpit. Meditatus enim ea, quæ in *Grotio*, *Hobbessio*, aliisque legerat, & ordine Geometrico complexus, amicorum suasu primum in Belgio edidit A. 1660 *Elementa Jurisprudentiæ universalis*. Deinde *Heidelbergam* ab Electore Palatino, *Carolo Ludovico*, Professor Juris Naturæ ac Gentium vocatus, dum Grotium publice interpretaretur, quid suis deesset Elementis quotidie magis intelligens, Illustrissimi potissimum *Boineburgii* suasu excitatus, quam *Bæclerus*, *Conringius*, *Rachelius* præstare operam de formando methodico Jurisprudentiæ Naturalis systemate noluerant, ipse modeste suscepit, dexterrime præstitit, edito A. 1672 Lundini, quo Professor Juris primarius a Rege Sueciæ vocatus fuerat, opere majore de *Jure Naturæ ac Gentium*, quod duobus interjectis annis quarta fere parte auctius prodiit Francofurti. Hoc opus cum interpretandum Autor noster suscepit, accurata potius paraphrasi, quam panegyrica opera defungi maluit; quam potissimum superfluum censuit esse in eo opere, quod communi nunc Eruditorum approbatione fruitur, tot repetitis editionibus imprimitur, tanto studio & ab aliis gentibus desideratur: cui sane desiderio & suam hanc paraphrasin, & *Doctores Kenneti* versionem Anglicam, notasque amplissimas nondum editas deberi existimat. Porro, comparatione *Grotii Pufendorffii*que facta, stylum quidem Grotii magis concisum, ideoque paulo obscuriorem, nec nisi sapientioribus intelligibilem, Pufendorffii clariorem, omniumque lectorum captui accommodatum Autor judicat: generalem totius operis ordinem in Pufendorffio meliorem, in specialioribus pertractandis accuratiorem esse Grotio putat: in materiis ipsis pertractandis plura Grotio deesse, qui scilicet noluerit perfectum

§. 29.

§. 30.

moralis doctrinae Systema condere; Pufendorffium autem inde ab actionum humanarum principiis orsum, omnes conclusiones studiosissime deducere ostendit: multa quidem hausisse Pufendorffium e Grotio fatetur, sed ita, ut ista vel distinctius explicaret & applicaret, vel Grotii etiam errores notaret. Multis igitur modis Pufendorffii opus præstare Grotiano concludit, quanquam nihil ea re de laudibus tanti Viri imminutum, vel quenquam a sedula ejus lectione prohibitum velit, potiusque doleat, quod a *Curtino* tam male in linguam Gallicam traductus, notisque ejus magis obscuratus, quam illustratus sit Grotius. §. 31. Sua quidem hac Pufendorffii interpretatione, & juvenibus bonarum literarum, & moralis doctrinae studiosis succurrere, & illis potissimum, qui a literis alieni, nullam plerumque Juris naturæ vel Ethicæ naturalis aut revelatæ cognitionem habeant, salutarem operam præstare Autor Cl. nititur. §. 32. In hac, præter styli Gallici puritatem, claritatem & elegantiam, omnia, quæ ad illustrandum Pufendorffium pertinere videbantur, contulit. Singulorum materias capitum in ora paginae superiori notavit, paragraphorum contenta sub illorum initia singulatim adjecit, ipsos Pufendorffii paragraphos longiores diversasque complexos materias distinxit, plura argumenta numeris notavit, Autorum adductorum loca, ne contextum læderent, in marginem rejecit, ipsos aliorum textus falso vage citatos rectius indicavit, & a Pufendorffio rebus potius, quam verbis intento, sensu non satis accurato adductos emendavit; supervacaneæ adductos omisit, omniaque illa removit, quæ cupidum legendi animum turbare sive oculum impedire possent: concisa magis explicuit, abundantia refecuit, negligentius & contra Autoris sententiam posita emendavit, citata Autorum loca, ita, ut & Pufendorffium magis illustrarent, minorique tædio lectoribus essent, accommodavit, ipsumque sæpe Autoris sui textum, ut melius sibi cohæreret, aliter disposuit. In notis potissimum singularem operam præstitit. Exhibet ibi loca veterum Autorum ab Autore notata quam emendatissima. Cæterum jam Autoris sententias, si quæ istis defunt, supplet, confirmat, defendit; jam etiam examinat,

critica.

criticaque virgula notat, jam eleganti digressione lectoris studiosi animum delectat. Quæ declararemus pluribus, nisi e fontibus potius ipsis haurire ista lectorem mallems, & nostra hæc scriptio excerpti fere modum excederet. Possunt tamen, quibus ista curæ sunt, notarum Auctoris Cl. specimina ex istis capere, quæ Tom. I. p. 48. n. 5. p. 87. n. 7. p. 89. n. 2. p. 142. n. 1. p. 211. n. 4. p. 307. n. 1. p. 480. n. 2. Tom. 2. p. 29. n. 3. p. 139. n. 2. p. 192. §. 7. n. 1. doctissime notata sunt.

Sub calcem libri duplex index adjectus est, Auctorum alter qui vel ad confirmanda dogmata Pufendorffii adducti, vel ab eo aut Paraphrasta confutati, aliave de causa notati sunt: alter rerum, tum in Pufendorffii contextu, tum in Auctoris nostri notis occurrentium utilissimus.

*B. DN. W. A. LAUTERBACHII COLLEGIi
Theoretico Practici, a Libro Vigesimo Pandectarum usque
ad Digestum Novum, Pars Secunda.*

Tubingæ apud J. G. Cottam, 1706. 4to. 7. A. 8. pl.

Quartum jam agitur lustrum, ex quo præstantissimi hujus Operis prima pars prodiit, quam exhibent Acta hæc A. 1690 M. Julio p. 366. sq. Alteram nunc edendam curavit Excellentissimus Ulricus Thomas Lauterbachius, Camerae Imperialis Assessor gravissimus, turbulentis bellorum motibus, domicilii mutatione, ac muneris amplissimi negotiis hæctenus impeditus, quo minus citius promissis suis, & orbis eruditi desiderio satisfaceret. Continet ea eruditam ac plenissimam expositionem Libri Pandectarum vigesimi & sequentium, usque ad Librum trigesimum nonum, sive Digestum novum, a quo partem ultimam Paterni Operis auspicabitur Excellentissimus Autor, cujus propediem edendi otium ex hoc diuturno Camerae Imperialis justitio nactus spem in Præfatione facit certissimam. Utilitatem summam ac præstantiam hujus Collegii non est quod commendemus prolixius, cum omni commendatione major sit applausus, quo prior ejus Tomus exceptus est, & communis Synopsæos Schützianæ æstimatio, quam ubi-

que illustrat, explicat & emendat hoc Opus, ac perfectissimi in eam Commentarii vicem plenius, quam cujuscunque annotationes aut observationes præstat. Superest, ut more nostro specimenis loco ex selectis Juris quæstionibus, quibus hæc pars referta est, quasdam non ubique obvias subjiciamus. Ita Lib. XX. Tit. I. §. 22. observat, Jus Patronatus principaliter oppignorari non posse. Fisco ratione pœnarum, Jure non Communi, sed Württembergico, tacitam hypothecam competere, eod. Lib. Tit. 2. §. II. Cessionario privilegium, quo uxor intuitu dotis fruitur, denegat, ibid. §. 21. Utrum Notarii communi sigillo instrumenta valide queant subsignare, disquirat Lib. XXII. Tit. 4. §. 41. Ob mutatam religionem sponsalia recte dissolvi, tradit Lib. XXIII. Tit. I. §. 54. matrimonium non æque L. XXIV. Tit. 2. §. 4. Pupillo, qui finita tutela tutorem convenire cupit, ob pecuniam non bene collocatam, incumbere onus probandi tutorem occasionem habuisse, idoneos inveniendi creditores, affirmat L. 26. T. 7. §. 24. Curatoris ratihabitionem instar consensus esse, ac negotium minoris validum reddere, defendit Lib. seq. T. 10. §. 35. In testamentis Christianorum a Turcis captorum fictionis Legis Cornelie opus esse, censet L. XXVIII. T. 1. §. 24. In testamento parentum inter liberos nuncupativo, fœminarum admittit testimonium Lib. XXIX. Tit. 1. §. 34. In eodem §. 31. parentibus jus exhæredandi liberos concedit. Legata ad pias causas non hæredi tantum Falcidiam deducere cupienti, sed & reliquis legatariis nocere, exemplis declarat L. 35. Tit. 2. §. 25. Universam vero materiam successionis, secundum Jus Novissimum, fuse & eleganter exponit post finem Libri 38. Sed specimenis loco hæc quidem sufficiunt, quare ad ipsius Operis non injucundam nec minus utilissimam lectionem avidos hujusmodi observationum Cultores Jurium remittimus.

*ANDREÆ ADAMI HOCHSTETTERI, SS. THEOL. D.
& Prof. in Academia Tubingensi, Tractatio Synoptica
Moralis de Jure Pœnarum, IX Exercitationibus
comprehensa.*

Tubingæ typis J.C. Reisii, 1706. in 4. plag. 18.

Diffi-

Difficile, magnique omnino momenti argumentum Academia hac tractatione exponitur; eo fine, ut, quod paucis hactenus tactum, ac velut impervium visum est, ex interioribus principiis eruatur, ostensisque genuinis rerum fontibus, nihil facile, quod ad ordinatam, perspicuam & innoxiam materiam de pœnis delineationem desiderari possit, negligatur. Et primum quidem demonstrata Pœnarum necessitate, earum a *restitutione & vindicta* differentia proponitur; addita memorabili observatione, præcipuum in magnis scriptoribus defectum esse, quod Pœnarum naturam non in abstracto, ut ajunt, sed *velut ad Rempublicam referuntur*, considerarint. Unde factum, ut non pauca confuse, multa intricate, plurima præter usum tractarint. Eam quoque rationem esse, quod *multi finem pœnarum internum* non perspexerint, quia de pœnis saltem humanis fuere solliciti, in quibus is prima, ut ajunt, fronte, non adeo pervius est. Hic ergo finis eo sollicitius demonstratur; quum in delictis non nuda occurrat punibilitas, sed meritum ac dignitas pœnæ, & naturalis ad eam obligatio. Præcipue quidem, si eorundem ad Conditorem habitus ratioque consideretur, quo intuitu peccatum sit injuria in Deum, quæ necessario debeat expiari. Usus argumenti in theologia ipsa tractationis inspectio docebit. Nobis enim omnes rationum nervos congerere non licet. Inde docetur, pœnam non dari, nisi quæ a superiori in inferiorem proficiscitur, neque jure naturali, hoc est abducto a divinis cæteris humanisque legibus, innocentem habere jus puniendi nocentem. Quod pluribus contra formulam Viri doctissimi confirmatur, addita legis, quæ objici poterat, de Jure Zeli Deut. XIII. 9. factaque Phineesi expositione. Ex quo consequitur, naturalem puniendi facultatem adscribi omnibus non posse, quippe quos inter nulla est naturaliter superioritas; neque pœnam irrogare licere.

PARIBUS ob delicta in DEUM, qui ipse *μέτρον* delictis statuat. Genes. XV. 16. Matth. XXII. 32. de ea, quæ verbis fit, correptione non dubitari. Cæterum, si quis instrumentum sit interficiendi hominis innocentis, eum a culpa & reatu ab-

p. 1. 2.

p. 9.

p. 16.

- p. 22. 23. solvi non posse. Quidquid aliis videatur, de ministro meræ, ut vocant, exsequutionis. Additur, probandum non esse quarundam morem gentium, quo rei sibi ipsis mortem consciscere, suarumque pœnarum activa instrumenta esse jubentur. Ut a *Ricautio* de Turcis memoretur, non esse gloriosius martyrium opinantibus, quam manu, & quidem propria, vel saltim jussu Imperatoris necari. Interim conceditur, fieri a reo optionem pœnæ posse, quia quod eligit, gradum solum ac modum pœnæ concernit. Sed & hoc, uti par erat, luculenter evincitur, Deum non e mero dominii jure punire; nec obstare, post ultimum ejus judicium impios non emendari, quia præter emendationem, alius quoque sit pœnarum finis, nimirum compensatorius. Pœna homicidii capitalis, an ad Jus positivum universale referenda? disquiritur, ac de Jure in vitam civium *directo & indirecto* disputatur. Ubi & obiter de obsidibus, an & quomodo innocentes puniri possint? late deducitur, junctis de servitute pœnali observationibus. Universitatem ob delicta ante tres pluresve generationes perpetrata puniri non posse, deciditur. Dehinc, cur in foro humano capitalem pro reo pœnam vas subire non possit? rationes afferuntur, secus ac in foro divino *Christi exemplum* comprobet, cui sanctissimo Sponsori *jus fuit in vitam* propriam, Principi quippe ac Domino vitæ Joh. X, 18. Cæterum quando Princeps pœnis exemptus esse probatur, idem contra Judæos, & ob *Cromwelli* tempora *meticulose loquentem Seldenum*, de Regibus Hebræorum asseritur; & quid de Herode, in Synedrium, velut judicium vocato, sentiendum sit, ostenditur. Primum enim dubium esse, an ullum tale unquam Synedrium magnum, nisi fortasse *ab Hasmonæorum temporibus* extiterit? Deinceps, Herodem Galileæ Præfectum fuisse, vivente adhuc Patre. Ac demum armatum comparuisse, & sufficienti militum manu instructum, ut si sequiorem ferrent sententiam, ipse mactatis judicibus evaderet. Quid? quod *Sext. Cesar*, Syriæ Præses, ad Hyrcanum scripserit, ut Herodem absolveret; minis additis, si contra fecisset. His expositis, de objecto pœnarum, atque an ad id referendi sint *actus interni?* ex instituto agitur; ac

MENSIS JANUARI A. M DCCVII.

Lex forensis de falso teste, Deut. XIX. 17. uti plures per hunc librum alia, explicatur. Scilicet, eo in casu non occurrere actum internum, sed qui jam exterius proruperit, licet voto non fuerit potitus. Et quum vexata inter Doctores quæstio sit: An delinquentes ad pœnam teneantur, eamque DEBEANT? affirmans modeste, additisque rationibus firmatur. Ubi & ostenditur, non dari actus malos, qui neque directe, nec indirecte ad societatem humanam pertineant. Namque & illum Rempublicam lædere, qui corpore aut rebus suis abutitur, qui avarus est, qui concupiscentiis indulget, & si quæ alia his similia committit. Cæterum pœnarum objectum per se non est hæresis, aut error in fide. Quod argumentum solide prudenterque excolitur, expensa lege Deut. XIII. 10. & distinctione Ludovici Maimburgii inter hæreticos natos & veluti factos. Ubi & Augustini contra Donatistas denique severioris exemplo probatur, quod δευτέρως φροντίδες non semper sint σοφώτεραι. Frustra quæri: an ob negatas ab integra gente notiones generales ab alia pœnæ eidem infligi possint? quum dari ejusmodi gentem moraliter impossibile, & ab Auctore, post Apologeticum pro humano genere a Joh. Ludov. Fabricio editum, peculiari dissertatione de Religione naturali sit ostensum. His subjungitur, pœnis etiam subjacere delicta ante legem pœnalem commissa, ubi tamen aliter legem pœnalem a Grotio de J. B. & P. II. 20. 22. aliter communi apud Doctores significatu accipi monetur. Formam pœnæ in proportione & exæquatione, justaque commensuratione inter malum actionis & passionis constituit; & irrogationem ejus ad Justitiam commutativam refert, additis rationibus, e sublimiore etiam sanctioreque disciplina, de compensatione injuriæ adversus Deum. Quod egregie ac præ aliis viderit longiore vita dignissimus Schornerus. Ubi simul specimen moderationis in decidendis quæstionibus, magno animorum fervore agitatis, exhibetur; dignum quod & alio loco sequamur. Cæterum ad Formam non pertinere talionem simplicem, quæ nec possibilis semper sit, nec justa, sed periculosa, immo noxia. Postea adversus Petrum Puteanum probatur, præscriptionem pœnam non esse. Neque dimissa culpa pœnæ locum dari probatur, argu-

53.

57.

65.66.

72.

77.

mentis ex natura rei desumptis. Nec ob delicta aliena poenam irrogari posse, totumque adeo argumentum de *communicatione poenarum* proponitur, solutis quæ in speciem opponi possunt. Circa quæstionem: an poena aut malum irrogari possit delicto nondum probato? injustitia purgationumque varii generis demonstratur, addito nobili *Agobardi*, Lugdunensium Episcopi effato: *unde probari potest, judicium esse Dei, quod Deus nunquam præcepit?* Ubi & obiter advertitur, esse qui de explorata *Kunigundis* Imperatricis innocentia narrationem, pro fabula declaraverit. Neque doctrina de *merito*, & *culpa*, ac *reatu*, *poenarumque taxatione* prætermittitur; quæ quantum in vita humana usum præstet, nemo facile ignorat. Inde ad *exasperationem poenarum*, & *moralem peccatorum reviviscentiam* devenitur, ususque hujus sententiæ demonstratur. An *veniam* dare liceat? & qui ea a *dispensatione*, a *mitigatione*, a *dilatione poena*, ab *ἐπιεικεία* differat, satis docetur. Dehinc ad causas veniæ proceditur, quæ interiores, & extrinsecæ. Memorabile punctum est: *An dispensatio locum habeat circa poenas lege universali positiva definitas?* ubi de homicidii poena speciatim disquiritur, subjuncto de *jure gratiæ Principis judicio*; & doctrina de *calculo Minervæ*; ut & *asylis*, ubi argumenta pro immunitate templorum solvuntur, & excerpta e *Castro Palao* ac *Antonino Diana* suppeditantur. Denique variæ poenarum divisiones recensentur, subjunctoquæ totius Operis breviario & conspectu, finis eidem imponitur. Fruantur hoc Opusculo, qui difficilem de poenis locum ex instituto & perspicue expositum cupiunt, atque rerum in primis omnium summam, brevi ac rotunda definitione in libri frontispicio comprehensam, diligenter expendant.

90.

ANALECTA DE CALAMITATE LITTERATORUM. PETRI ALCYONII Medices Legatus, sive de Exilio libri duo: accessere JOH. PIERIUS VALERIANUS, & CORNELIUS TOLLIUS de Infelicitate Litteratorum, & JOS. BARBERIUS de Miseria Poëtarum Græcorum; cum Præfatione JOH. BURCHARDI MENCKENII.

Lipsiæ, apud Joh. Fridericum Gleditsch, 1707. 12.

Alph. 1. pl. 4.

Cum ob propagatum nuper e Polonia in ipsam Saxoniam bellum, (quod exoptatissima nunc pace compositum esse, immortales Deo Opt. Max. gratias decernimus,) Musæ passim in his oris exularent, peropportunum visum est, desideratum pridem Alcyonii de Exilio dialogum recudere, cui, ut volumen justum conficeretur, Valeriani & Tollii de Infelicitate Litteratorum, & Barberii de Miseria Poetarum Græcorum libelli adjecti sunt. Præfationem ad Ill. atque Exc. DN. JOH. ROBINSON, Magnæ Britanniae Reginae ad Regem Sueciæ hoc tempore Legatum Extraordinarium & Plenipotentiarium, eo potissimum direxit Menckenius noster, ut in Regia Angliæ Societate ab aliquot annis nomen professus, non minus se nationi Anglicæ, quam Illustrissimo Domino Legato, cujus, dum Lipsiæ commoratur, expertus est favorem singularem, obstrictum publice profiteretur. Nos, cum libri novi non sint, paucissima e præfatione, de Alcyonio imprimis, delibabimus. Fuit is Latinarum litterarum peritissimus, adeo, ut fertili illo ævo, quo tot viri eruditissimi in unius Ciceronis imitatione omnem fere ætatem agebant, neminem æqualem, nedum superiorem habuerit. Et in Græcis quoque fuit optime versatus, quamquam, quæ ex Aristotele traduxit, Sepulveda mire castigavit, ab aliis nihilominus non nullo in pretio habita. Tenuibus initiis usus (nam Venetiis primum corrigendis typorum erroribus operam navabat) Joannem ante alios, Cardinalem & Legatum Medicem, nactus est Mœcenatem; cui & in ipso hoc Dialogo primariam personam assignavit, duos libros, quibus eum divisit, Medicem Legatum priorem & posteriorem, exemplo Platonis appellans, qui Alcibiadem priorem & posteriorem scripsit. Itaque Florentiæ publicam profitendi provinciam nactus, simul atque Joannem Medicem, Pontificem electum intellexerat, nondum impetrata discedendi venia, cum duo forte festa inciderent, quibus a Lectionibus vacare solent Professores, Romam evolat. Etsi vero initio non omnia

prona reperisset, quod Clemens VII Pont. facile e tanto fastigio veteres amicos despiceret, ejusque commodis Academici Romani obstreperent, inde tamen Eloquentiæ Professionem accepit, quam magna auditorum frequentia Demosthenis explicatione obivit, minori tamen ob Columnenses turbas fructu, & ut Tuscus auctor ait, *per l' amor di Dio*. Cum deinde in expugnatione Urbis, Pontificem in arcem Æliam secutus, a Cæsareanis brachium sauciatus esset, vulnus hoc duabus splendidissimis orationibus de clade Romanorum ultus est. Tandem ingrati viri exemplum dedit, quandoquidem deserto Pontifice in Columnensium familiam commigravit. De libro ejus de Exilio Paulus Manutius, Antonius Verderius, Victorius item, Colomesius, Abercrombius, & multi alii Paulum Jovium secuti, ita existimarunt, quod ea elegantia conscriptus sit, ut longe præstantiorem, atque adeo ipsum Ciceronem auctorem habuisse, necesse sit. Itaque eum ajunt Ciceronis de Gloria librum integrum, cujus hodie non nisi fragmenta exstant, in manibus habuisse & passim expilatum, ne pateret plagium, igne cremasse. Plura Jovius addit in contumeliam Alcyonii; quod hoc magis mirum videri illis debet, qui ab Alcyonio in his ipsis de Exilio libris, laudandi imprimis Jovii occasionem, alieno ferme loco studiose arreptam observabunt p. 150. At noster Richardi Bentleji, aliorumque sanio rem sententiam secutus, aliter sentit, cum maxime Jovium eo in Alcyonium male animatum constet, quod eum historiam, cui scribendæ laudem sibi præripi nolebat, meditari pariter accepisset. Prodiit vero hoc opus Alcyonii Venetiis primum A. 1522 ex Aldina typographia, quæ editio tanto est in pretio, ut nuper, cum Gudiana Bibliotheca sub hasta venderetur, undecim marcis Hamburgensibus veniret. Inde & cum Cardani libris de Sapientia & Consolatione Aureliop. 1624, & seorsim Basileæ 1546 recusum est, curante Jo. Heroldo Hæchstetten, qui eruditam præfationem præmisit; utraque tamen editio rarissime prostat, & hæc adeo infrequens est, ut ipsam doctissimi Bælii notitiam fugerit. Ceterum Menckenius longe plura eruditorum infelicium exempla, quam in hoc volumine continentur, produ-

producere se potuisse testatur, & velut speciminis loco ex Anglica gente aliquos producit. Franciscum nempe Baconem Verulamium paupertate prope in senectute oppressum, Thomam Fullerum & Richardum Bakerum, Historicos, & Robertum Greene, Poetam, pauperrimos omnes, Jacobum Usserium ex Hibernia exulem, Joannem Lelandum phrenesi, & Simonem Thurwayum, rerum omnium ignorantia, in extrema vitæ parte laborantes, Fischerum & Cannerum cæcos natos, Joh. Miltonum, non una in re infelicem, Thomam Morum, pluresque alios extremo supplicio affectos, nec non Jacobum Chalonem, Henricum Butts, Vice-Cancellarium Cantabrigiensem, & Thomam Creech *αυτόχειρες*. Nec tacemus denique, spem fieri, elegantissimas Joh. Antonii Campani, cujus hic de Miseria Poetarum poema pag. 486. insertum videas, Epistolas propediem nostris pariter typis in lucem prodituras.

LIBRI NOVI ANGLICI.

THe Posthumous Works of Robert Hooke, containing his Cutlerian Lectures, and other Discourses, read at the Meetings of the Illustrious Royal Society; publish'd by Richard Waller, R. S. Secr. London by Sam. Smith and Benj. Walford, 1705. fol.

The New World of Words, or an Universal English Dictionary, compiled by Edward Phillips. The Sixth Edition, with the Addition of near 20000 Words, by J. K. London for J. Phillips, 1706. fol.

An Essay concerning Humane Understanding, vwritten by John Locke, Gent. The fifth Edition, with large Additions. London for Awnsham and John Churchill &c. 1706. fol.

Silva, or a Discourse of Forest-Trees, and the Propagation of the Timber: Terra, a Philosophical Essay of Earth, to which is annexed Pomona, or an Appendix concerning Fruit-Trees, in relation to Cyder: also Acetaria, or, a Discourse of Sallets, with Calendarium Hortense &c. The

fourth Edition, much enlarg'd by John Evelyn, Fellow of the Royal Society. London for Rob. Scot, 1706. fol.

Optice, sive de Reflexionibus, Refractionibus, Inflexionibus, & Coloribus Lucis Libri III. Authore Isaaco Newton. Latine reddidit Sam. Clarke. Accedunt Tractatus ejusdem Auctoris duo, de Speciebus & Magnitudine Figurarum curvilinearum. Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1706. 4.

Synopsis Palmariorum Matheseos: Or, a New Introduction to the Mathematics. By W. Jones. London for Jeff. Wale, 1706. 8.

Eliza: an Epick Poëm. By Richard Blackmore. London for Auwsham and J. Churchil, 1705. fol.

Miscellaneous Tracts Volumen II. & III. By Michaël Geddes. London for A. and J. Churchil, 1705. 1706. 8.

Holy David and his Old English Translators clear'd. London for Knaplock, 1706. 8.

Miscellanea Curiosa, being a Collection of some of the Principal Phænomena in Nature accounted for by the greatest Philosophers of this Age. London for Jeffery Wale, 1706. 8.

Pharmacopœia Bateana. Or, Bates's Dispensatory &c. with Emendations, and enlarged by Will. Salmon. London for Sam. Smith and B. Walford, 1706. 8.

Praxis Medica. The Practice of Physick. Or Sydenham's Processus integri, enlarg'd by Will. Salmon. London by Sam. Smith and Benj. Walford, 1707. 18.

Novus Græcorum Epigrammatum & Poematum Delectus, cum nova versione & notis. Opera Thomæ Johnson. Londini apud Sam. Smith & B. Walford, 1706. 8.

The History of Cold Bathing. In two Parts. The first written by John Floyer. The second by Edward Baynard. London for S. Smith and Benj. Walford.

Præſagium Medicum, or, the Prognostick Signs of Acute Diseases. By James Harvey. London for George Strahan-1706. 8.

Sea Diseases : Or, a Treatise of their Nature, Causes, and Cure. By W. Cockburn. London for George Strahan, 706. 8.

A Collection of Miscellanies : consisting of Poems, Essays, Discourses and Letters occasionally written. By John Norris. London for Marship, 1706. 8.

Historical Collections, relating the Originals, Conversions and Revolutions of the Inhabitants of Great Britain to the Norman Conquest. London, for John Wyat, 1706. 8.

An Apologetical Vindication of the Church of England. By George Hickes. London for W. Kettilby, 1706. 8.

An Essay on the Revelation of St. John &c. to which are added two Dissertations, the one upon Mark II. 25, 26. the other upon Matthew XXIV &c. with a Collection of Scripture-Prophecies relating to the times after the Coming of de Messiah, by William Whiston, Professor of the Mathematicks. Cambridge for B. Tooke, 1706. 4

Sim. Ockleji Introductio ad Linguas Orientales, in qua iis discendis via munitur, & earum usus ostenditur. Cantabrigiæ, impensis Joh. Ovveni, 1706. 8.

An Epistolary Discourse, proving from the Scriptures & the first Fathers, that the Soul is a Principle naturally mortal; but immortalized actually by the Pleasure of God, to Punishment, or to Reward, by its Union vwith the Divine Baptismal Spirit; vwherein is proved, that none have the Power of giving this Divine Immortalizing Spirit, since the Apostles, but only the Bishops. By Henry Dodvvell. London, for R. Smith 1706. 8.

A Letter to Mr. Dodvvell ; vwherein all the Arguments in his Epistolary Discourse against the Immortality of the Soul are particularly answered, and the Judgment of the Fathers concerning that matter truly represented. By Sam. Clarke. London for James Knapton 1706. 8.

Caroli Daubuz pro Testimonio Flavii Josephi de Jesu Christo Libri duo. Cum Præfatione Joh. Ern. Grabii. Lond. apud R. Sare, 1706. 8.

Posthumous Works of Mr. John Lock. London printed for A. and J. Churchil, 1706. 8.

An Essay, attempting a more certain and satisfactory Discovery, both of the true Causes of all Diseases, proceeding from vitious Bloods &c. by Barth. Beale M. D. London for Richard Wilkin, 1706. 8.

A Compleate History of England: vwith the Lives of all the Kings and Queens thereof, from the earliest Account of Time, to the Death of his late Majesty King William III. The vvhole illustrated vwith large and useful Notes, taken from divers Manuscripts, and other good Authors. In three Volumes. London for B. Aylmer, R. Bonvick, S. Smith and B. Walford, W. Freeman &c. 1706. fol. *Liber proxime proditurus.*

The French Churches Apology for the Church of England; Or, the Objection of Dissenters against the Articles, Homilies, Liturgy, and Canons of the English Church, considered and answered upon the Principles of the Reformed Church of France. By J. Bingham. London printed for R. Knaplock, 1706. 8.

Reflexions upon Ridicule, or vvhhat it is, that makes a Man ridiculous; and the means to avoid it. London for Tho. Nevvbourough &c. 1706. 8.

Vitæ quorundam eruditissimorum & illustrium virorum, (Jacobi Usserii Archiepiscopi Armachani, Joannis Cosini Episcopi Dunelmensis; Henrici Briggii Geom. Professoris, Joannis Bainbridgii Astron. Professoris, Joannis Gravii Astron. Professoris, Petri Junii, Jacobi Regis Præceptoris, Patricii Junii Bibliothecarii, & Joannis Dee Mathematici Angli) scriptore Thoma Smitho S. Th. D. & Eccl. Angl. Presbytero. Londini apud Dav. Mortier, 1707. 4.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anni M D C C V I I.

EZECHIELIS SPANHEMII, LIBERI BARONIS & Legati Regii, Dissertationes de Præstantia & Usu Numismatum antiquorum. Editio nova.

Tomus I.

Londini, impensis Rich. Smith, 1706. fol.

Alph. 12.

Immortale opus, priore jam habitu omni eruditorum genti, victa, quæ nationes exercet in rebus ingenium spectantibus, æmulatione atque invidia, maxime spectatum, novo ecce multoque illustriore habitu prodit: secum ipso quasi certante illustrissimo atque excellentissimo ejus Autore, neque se, nisi a seipso superari posse, vel in his quoque, quæ animi causa suscipiat, & quibus a publicis, Regum populorumque salutem concernentibus, negotiis vacare sibi liceat horis, publice demonstrante. Nempe primariæ dignitatis virorum ægre victus precibus, subsecivas, quas Serenissimi Heri sui necessitates, in splendidissime obita ad felicissimam Brittannorum Reginam legatione, ipsi relinquebant horas, retractandis iis, quibus olim rem nummariam ex instituto illustravit, impendere instituit. Maxime dum obviam ejus rei facultatem, imo haut leve incitamentum superadderent, quos versare ipsi ab eo tempore, aut a viris præstantibus vulgatos nosse contigerat, plures antiqui & insignes nummi. Cui instituto illud insuper accedebat, ut, quæ in superiori editione deerant, aut leviter solum ibi erant delibata, plurimum tamen ad prisca æris commendationem.

facerent, velut quæ ad veterem Geographiam aut Chronologiam, ad Religionem præterea ac Theologiam gentilium adtinent, nunc demum non parcente dextra conferret. Quod dum egit, id præter expectationem contigit, ut pro quinque prioribus operis antea editi dissertationibus, novem, illæque iisdem, insuper aliquanto ampliores, conficerentur, quæ justi jam voluminis mensuram implerent, quod non expectata alterius editione jam solum tenere nos vellet. Continetque adeo illud ea suis ordinata locis, & servata, quam decebat, argumentorum serie, quæ ad tradenda primaria nummarii studii post renatas litteras incunabula, & incrementa respiciunt: ad veterem præterea haut unius gentis, Græcorum maxime ac Romanorum, litteraturam: adde ad civilem ac moralem disciplinam: ad naturalem animalium aut plantarum historiam: ad antiquam, inprimis Græcorum & Barbarorum Regum, Heraclidarum puta, Seleucidarum, Arsacidarum, aliorumque notitiam ac successiorem: ad ipsas quoque perscrutandas nobilissimarum urbium origines, dignitates, jura, privilegia, magistratus: quorum omnium cognitionem exhiberent tot vetera bonis fatis nobis servata numismata.

In prima dissertatione, qua veteris numismatis prima & secunda commendatio a dignitate continetur & voluptate, ut ea taceamus, quibus locupletata olim dicta liberaliter fuere, nova plane est de nummis Hebræorum eorumque antiquitate *διάλεξις*, quam dum dignitatem nummis ab antiquitate conciliatam persequitur, instituit. Qua de re ubi dissidere suffragiis eruditorum senatum concinne fuisset ostensum, eam fere de eo argumento *ἐπίκρισις* Vir illustrissimus subjungit. Viros præstantes, minus etiam in hac Orientis literatura exercitatos, de nummorum, Samariticis Assyriisve characteribus signatorum, antiquitate pronunciasse securius, pro affectu, quo vel in Samariticis, vel Assyriis litteras ferrentur. Haut immerito autem, pro nota recutitorum versutia, suspectam esse debere fidem id genus nummorum, qui ab ipsis proferantur. Neque tamen e falso aspectu probari continuo, nullos omnino exstitisse cusos aut signatos ante vel post captivitatem Babyloniam Hebræorum

rum nummos, sed ἀσήμους omnes fuisse & rudis metalli, quod Conringio, Wagenfeilio, Sperlingio visum. Nempe de ætate, loco & conditione erutorum id genus ac repertorum, quod fertur, in Judæa vicinisve locis nummorum, constare oportere, antequam de illorum omnium ἀυθεντία vel νοθεία tuto queat pronunciari. Ex iis enim indiciis rite exploratis, & accurata nummorum istius generis inspectione, confidentius statui posse, ab iis maxime, qui nullo hic præjudicio ducti, & præterea usu aliquo in veterum nummorum tractatione, & facultate exercitati, eos diligenter expendant. Se quidem in præclaris cimeliarchiis incidisse subinde in Judæorum nummos, & cum Samariticis quidem litteris, quos pro sinceris ac antiquis agnoscere compelleretur; adeo omnia bonæ fidei argumenta concurrerant. Neque obstare, quod ultimorum etiam Regum ævo adpenſi dicuntur nummi, quo minus signati ei esse potuerint. Sic enim apud Romanos quoque, non asses tantum librales adpenſos, verum denarios quoque, argenteosque proinde nummos, quam in rem Cassiodori locus adducitur. Nec probabile, Judæos solos signati æris usu caruisse, Gentibus omnibus circumfusis familiarissimo. Imo diserte νόμισμα suum, fat diu ante gentis sub Romanis excidium, Judæos habuisse, probare Antiochi Sidetis edictum, 1 Maccab. XV, 6: ipsosque nummos Simeonis, quibus liberatio Israelis commemoretur, additis etiam annis illius liberationis. Primum tamen initium nummorum Judaicorum, an inde sit arcessendum cum Conringio, multis rationibus allatis non satis liquere demonstratur, judiciumque omne ea de re Nicolao Toinardo, qui aliquid insigne in eo genere minari videatur, permittitur.

Jer. XXXII,
9. 10.

Var. VII, 32.

Non minus nova est in eadem dissertatione de Græcorum antiquissimis, qui supersunt, nummis διάσκηψις. Nempe Conringii hic, ante tempus Peloponnesiacum cusos non dari Græcorum nummos statuentis, error luculenter vel ex nummo Amyntæ, primi eo nomine, sexti in serie Regum Macedoniae, Cyri Cambyſisve æqualis, confutatur: quem nummum in Theſauri Brandeburgici Vol. III. p. 4 cl. Begerus edidit; multo

p. 109.


TAB. I.
Fig. I. p. 18.Can. Isag.
p. 327.

L. I. c. 94.

scilicet antiquiorem alterius Amyntæ nummo, qui sit postremus eo nomine Macedoniae Regum, magni Alexandri avus, quem e thesauris Gallorum Regis memoret Harduinus Specim. Chronol. V. T. & nummum omnium, qui sunt in Cimeliis, vetustissimum arbitretur, quam Sauoti quoque sententiam meminimus esse P. IV. c. 17. At utroque tamen haut paulo antiquiorem, ex illustrissimi Comitis Pembrociae thesauris primus hic exhibet excellentissimus Autor, vetustissimi eum primo statim aspectu rudisque operis, hinc senilis barbati capitis cum Phrygio pileo effigie, illinc monogramma duas litteras A T-complexum, representantem. Eum *Atyis* igitur esse statuit, non *Mane* quidem primo Lydorum Rege juxta Herodotum prognati, Lydi autem, a quo genti illi nomen, parentis: id enim, quo minus affirmare audeat, magnam efficere ait, quæ eidem ab autoribus tribuitur, vetustatem: sed cujusdam ex Heraclidarum Dynastia Lydiae Regis, cujus dynastiae octodecim Regum excidisse nomina, magnis Chronologis sit observatum. Immo, si Strabo audiendus sit, quod mirum, nec alii cuiquam, nec Scaligero, cui tamen ille Strabonis locus allegatus, fuisse observatum; secundæ hujus dynastiae *Atyn* fuisse, ex Herculis quippe & Omphales progenie ortum, ad quem pertineant ea omnia, quæ Herodotus ac Dionysius, tanquam gesta a vetustiore Atye, primæ apud Lydos Dynastiae Rege, referant. Firmare autem illam de nummo isto conjecturam haut parum, quod Herodotus Lydos πρώτους τῶν ἀνθρώπων, ὧν ἡμεῖς ἴδμεν, ΝΟΜΙΣΜΑ χρυσῆ καὶ ἀργύρεα ΚΟΨΑΜΕΝΟΥΣ χρῆσασθαι dicat, cujus loci diligenter contra clariss. Sperlingium vindiciæ instituntur. De aliis antiquissimis Græcorum nummis, quorum nonnullos DCCC annis Christi natalem antecedere cl. Bernardus putabat, nihil addimus, cum ipse Vir illustrissimus hic obiter tantum eorum mentionem faciat, uberiusque de iis dicendi, ubi ad secundam dissertationem perventum fuerit, occasio sese sit oblatura.

De antiquissimo ære Romano loquens, asses librales superesse, contra doctiss. Vaillantium, qui id in præf. ad familias Romanas negaverat, non tantum in Museo S. Genovefæ vulgatos

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



tos asses librales & semisses allegando, demonstrat; (quales etiam in Cimeliario Sereniss. Regis Daniæ esse audimus, & Bibliotheca amplissimi Senatus Lipsiensis asservat) verum ipsi etiam sibi in Cimeliario Pembrociano quamplures ejus generis oblatos testatur, ex quibus aliquam multos ære incidi curavit. Inter eos plane singularis nec visus hæctenus est quinqueassis, (nam quadrussis in Museo S. Genovefæ publicatus extat) seu quinque assium libralium nummus, magnæ, ut ex conspectu ejus & attrectatione pateat, antiquitatis. Ab utraque parte signatum præfert bovem, TAB. I. ex more antiquissimæ pecuniæ. Stipem quoque uncialem præ- Fig. II. terire nefas gravis æris, cum pileato utrinque imberbi capite, Fig. III. quod suspicionem magno Autori facit, ad Vindicium id genus *νομισμα* pertinere, quem ob detectam liberorum Bruti cum Tarquiniis conjurationem, libertate aliisque honoribus auctum fuisse constat.

Multo magis quam prior locupletata altera prodit dissertatio, in cujus priore parte commendatio nummorum ab utilitate in re Grammatica instituitur. Primum hic locum tueretur satis prolixa, de litteris Samariticis, & an iis prius quam Assyriacis in sacris voluminibus usi fuerint Judæi, *διασνεψις*. Cujus momentum omne cum ipsi postremo Samariticæ scripturæ fautores in veteribus nummis positum esse dicant: siquidem non satis liquido de Thalmudistarum constet suffragio: Hieronymi, Ebraicarum quippe rerum non adeo periti, nulla sit autoritas: Eusebiani vero testimonii lubrica sit fides, ut quod in melioribus codicibus MSS. sive Græcis sive Latinis Chronici ejus sit omissum, ab ipso Scaligero in sua editione deletum; ex nummis demum quid confici possit, Vir magnus inquirat. Id igitur primo censet esse expendendum, si argumentum ex nummis Samariticis valere hic aliquid debeat; an constet de nummorum ejuscemodi ante Babylonicam captivitatem cuforum fide. Hoc porro certum esse, Phoeniciam, scripturam, quam eandem pene cum Samaritica censeant Scaliger, Bochartus, alii, subinde haut parum tamen ab ea discedere. Easdemque illas litteras omnium primævas a Cl. Bernardo statui quidem, non tamen extra omne dubium id collo-

cari. Scaligeri porro singularem plane sententiam esse, statuentis, nulla ab Esra mutatione facta Samariticas litteras a Mose usque ad excidium templi & gentis receptas fuisse, eas autem, quibus hodie utantur Judæi, plane novitias esse, depravatas ex Syriacis ut ex Samariticis istæ. Neque stare vel conciliari posse Conringii sententiam: dum hinc eandem immutatarum ab Esdra litterarum adsertionem, & quidem Eusebii ac Hieronymi autoritate tueatur; illinc tamen ex quotidiano & civili Judæorum post Esdram usu, eandem Samariticarum litterarum scripturam a Judæis retentam statuatur, litteras vero Assyriacas *nonnisi demum post tempora* Hassamonæorum, h. e. CCCC fere post Esdram annis, imo forte post excidium gentis Romanum in promiscuo usu constitutas fuisse dicat: cum diserte Eusebius & Hieronymus tradant, communibus suam gentem cum Samaritis litteris uti noluisse Esdram, ne iis misceretur. Ceteras Conringii contradictiones illustri Autori observatas præterimus. Hoc postremo observandum: cum ante & post captivitatem Babylonicam proferantur cusi cum Samariticis litteris Hebræorum nummi, iique pro genuinis ex æquo a Viris eruditis, qui Samariticarum litterarum apud Hebræos antiquitatem propugnant, habiti; hinc utique ex illustri Autoris sententia opinionem de immutata omni illa ab Esdra, juxta Hieronymum, ejusque sententiæ adsertores Talmudicos aut Christianos, scriptura, ac vetustiori Samaritica Samaritanis post captivitatem relicta, plane corruere, aut vero labare eorundem nummorum fidem, ita, ut nihil certi inde in dijudicanda hac lite possit definiri. Id interea fatetur, e Judaicis illis, qui hæctenus cum Samariticis litteris prostant, minus dubiæ fidei ac vetustatis visos, qui post captivitatem demum signati occurrebant. Quo in genere æreos tres ex Cimeliario Pembrociano exhibet atque explicat, qui ejusdem tamen sunt signaturæ, seque mutuo suppleant & explicent. Continent nempe memoriam juxta magnum, quem allegat, antistitem Loydium, libertatis Simeonis Sacerdotis summi ætate restitutæ, quod notat inscriptio חרור שתיים שנה quemadmodum alii quidam nummi Samaritici, in quibus mentio גאליה *Redemptionis*, ad templi Encænia, a Juda Maccabæo facta,

facta,

facta, pertineant. Sed ea de re plura non addam, quod hanc sententiam jam publicam fecerit cl. Gagnerius in epistola, qua Relandianam nummorum quorundam Samariticorum explicationem confutavit. Ex hujusmodi vero nummis firmari sententiam Buxtorfii & Lightfooti censet, eorumque, quos illi allegant, Talmudicorum, qua legem Assyriacis litteris a Deo datam ajunt, Judæos vero cis Jordanem scriptura deinde usos, & quidem in rebus profanis, qua Cuthæi seu Samaritani solent: quam in rem duo ante a Viris doctis non observata loca producit, alterum Maiemonidæ in Mischn. Massecoth Jadim IV, 5. alterum Obadiæ de Bartenora in Mischn. Tract. de Lotione manuum c. V. §. 6. p. 490 Tom. VI. Ed. Amstel. Quibus omnibus suffragantem Theologi clarissimi Petri Allixii adducit ad se datam epistolam, ex qua, paulo quippe prolixiore, id saltem liceat annotare, quod Hieronymum, qui solus relinquitur traditionis de litteris ab Esra immutatis autor, accepisse hoc somnium existimet ab ejus furfuris Judæo, quales fuere, ex quorum officina prodiit Liber IV. Esræ, qui concinnatus sit a Judæo facto Montanista. Eo enim c. 14. statui, totam Bibliothecam sacram in excidio urbis periisse, atque adeo ab Esdra Deo dictante fuisse reparatam. Hoc nempe semel posito, nihil proclivius fuisse, quam credere, characteres etiam antiquos ab Esdra fuisse mutatos, in gratiam plebis, quæ sacram linguam in captivitate dedidicerat.

De Phœnicum porro litteratura haut paulo magis quam antea luculenter Vir illustrissimus differit, veteraque mutata sententia jam propiores eas litteris Samariticis quam Assyriacis agnoscit, variisque Virorum doctorum circa eas castigatis erroribus, in usum eorum, qui Samariticis Phœniciisque monumentis aliquid operæ dare voluptati sibi ducunt, diagramma subjungit, quo juxta cum Alphabeto Hebraico, primo Phœnicium quale a Scaligero, inde quale a Bocharto exhibitum fuit, repræsentatur: Samaritanum porro Numismaticum, quale ex Judaicis & Africanis nummis Ed. Bernhardus collegit, & postremo Babylonium & Judaicum ab eodem descriptum.

Discursui de Græcorum litteratura Eduardi Bernardi rursus præmittit diagramma, quo quadruplex Alphabetum Græcum,

cum, Cadmi scilicet, Simonidis sive Atticum, Alexandri M, atque Constantini M. prout ea quidem ex nummis, aliisque antiquis monumentis concinnaverat Bernardus, cum litteris Samaritanis sive Phœniciis comparantur, atque ex iisdem derivantur. In eo autem notam incurrere censoriam Viro illustrissimo Bernardus videtur, quod Alphabetum Cadmi XXII absolvat litteris, cum non modo XVI tantum litteras Cadmum Græcis tradidisse, veteres scribant plerique omnes: sed & $\text{Fa}\tilde{\text{u}}$, Σαδδδ & Κόππα non adeo pro litteris habitas esse, (quamvis tamen de Κόππα paulo post notet, in antiquissimis nummis illud inveniri non ἐπισήμυς , sed litteræ K vices obiens, adeoque non abs re forte in Cadmeis censeri) Ζήτα autem, ήτα , Θήτα , Ξ longe recentiores autores habere constet, atque adeo alphabetum XXII litterarum multis demum post Cadmum seculis fuerit completum. Imo & Ionicum jure dici posse Cadmi Alphabetum, dubium reddi, si iis sit locus, quæ Salmasio de alphabeto Ionico disputata fuere. Bœotis enim, non Ionibus ab eo id esse traditum: inde a Pelasgis primo usurpatum, unde Pelasgicum dictum, autore Diodoro: porro a Palamede & Epicharmo, Dorici generis hominibus auctum, ut ne tum quidem Ionicum dici queat. Imo, ne novis quidem suppletum augmentis a Simonide Ceio, Dorio homine, potuisse Ionicum appellari, quod perperam tamen visum Salmasio ad Inscript. Herod. p. 32. & in Addend. p. 132. Nec tamen etiam errorem eum feliciter emendasse in posterioribus addendis p. 228, ubi Ionicum Alphabetum dictum esse a Callistrato Samio, qui repertas variis temporibus litteras in unum coegerit in Samo, e Tzetze doceat, cum meliorem ejus rei autorem Andronem dare potuisset ex Suida, Ephorusque etiam cujus primus Vir ill. jam locum producit, apud ineditum Homeri interpretem, qui in Is. Vossii libris fuit, Peloponnesiaci belli temporibus, hanc Grammaticam adtulisse Callistratum, & Atheniensibus tradidisse testetur. Sed salvam tamen rem esse, neque obstare debere male a Salmasio disputata Bernardo, quominus Ionicum dicat Cadmeum alphabetum, in sequentibus ostenditur. Nempe diserte Herodotum, qui ante bellum Pe-

lopon-

loponnesiacum scripsit, dicere, illatis in Græciam a Phœnicibus, qui cum Cadmo advenerant, litteris, a vicinis Ionibus eas in usum receptas & immutatas fuisse, sparsaque ea de re ab ipsis fama obtinuisse, ut Phœniciaæ eadem litteræ vocarentur: quibus mox addit, se vidisse in antiquis Thebanorum inscriptionibus litterarum elementa, τὰ πολλὰ ὅμοια εἶναι τοῖς Ἴωνικοῖσι. Unde & a Phœniciis primum litteras in Græciam illatas, & ab Ionibus, a quibus acceptæ, immutatæ, divulgatæ fuere, Herodoti ævo appellatas, & Ionicas has cum Phœniciis, quibus signati erant Thebanorum tripodes, easdem fuisse affirmatur. Imo nec a Callistrato Samio XXIV litteras primum fuisse constitutas ostenditur, sed a Palamede & Simonide Ceio vel coævo ei Epicharmo, ut ex Plinio, Mario Victorino, aliisque constet, atque adeo hoc solum relinqui, ut deinde a Callistrato Samio constituta plenius, & ubique ab Ionibus, quin & Atheniensibus recepta dicatur Ionici illius XXIV litterarum Alphabeti forma. Quod autem porro Bernardus e nummis Siculis, Æginensibus, Bœotis, Atticis, aliisque collectum sibi Cadmeum sive Ionicum dicit Alphabetum, & quidem 1500 annos ante Christum natum conflatis, id suspectum viro summo. Ægienses sane in primis nummos hactenus nemini inspectos esse Elagabalo antiquiores. Præterea Achaicos, Atticos, & Bœotos nummos, in quibus ad caput Diagrammatis sui Bernardus Α Argos, FEI Epidaurum, ΘE Thebas, AΘE Athenas notare ait, DCCC annis Christi natalem haut antecedere, neque vel istam ætatem ista signa arguere. Præterea Θ non ex Cadmeis, sed autore Aristotele, ex Epicharmo inventis esse, non integris D ante Christum annis: Athenienses vero, diu post constitutam formam Alphabeti XXIV litterarum, Cadmeam tamen retinuisse, & ATHE, scripsisse pro AΘE. Denique æreos nummos sub Archonte demum Callia Athenis cudi cœpisse, testibus Grammaticis ad Aristophanem, qui proinde quinque ante Christum seculis multo sint juniores. Eadem vero ratione, a littera Θ petita, Thebanorum quoque nummos, non attingere ætatem a Bernardo indicatam, evinci. Quin & colligi ex istis minus convenientem, a veteribus traditis esse ejusdem sententiam,

tiam, qua Simonidis alphabetum cum Attico idem faciat, cum & Dorius Simonides fuerit, cui non major cum Atticis, quam cum Ionibus cognatio, & diu post Simonidem Cadmeis litteris usos Athenienses constet. Minime omnium Atticos, imo nec cetera monumenta, ex quibus confici debuisset a Bernardo hoc Simonidis alphabetum, tria episeima $\text{Fa}\tilde{\upsilon}$, $\text{Σαδδ}\tilde{\iota}$, & Κόππα , quæ tanquam litteræ in hoc alphabeto censeantur, pro talibus usurpasse, nisi quod Koppa in antiquissimis quibusdam nummis vices $\tau\tilde{\xi}$ K sustineat. Hæc de istis Bernardi diagrammatibus litterarum Græcarum, nam de Alexandri M. quidem alphabeto, prout ab eo exhibetur, liquida omnia Vir illustrissimus esse existimat.

Mutatarum autem litterarum Græcarum eam fere rationem edocet, ut scilicet primo Græcis traditas esse ipsissimas Phœnicum litteras ex Herod. V, 58 adstruat, inde ex eodem eorum cum sono modulum ab ipsis Phœnicibus mutatum, observet. Porro ab Ionibus magis immutatas agnoscat: quibus tamen mutationibus non longe a prima Phœniciarum litterarum forma recessum esse, vel ex eo constare ait, quod Thebis incisas vere Cadmeas litteras, Ionicis non dissimiles, Herodotus agnoscat. At nec Ionicarum eandem faciem semper mansisse, ut ex nummis constet & lapidibus. Sic enim litteram H in Siculorum antiquis, Himeræorum puta & Selinuntiorum, Bœotorum item & urbis *Ismenes* nummis, non η , sed adspirationem notare. Exempla $\tau\tilde{\xi}$ ρ Koppa pro littera K , non $\epsilon\pi\iota\sigma\eta\mu\omega$, positi in nummis Crotoniatarum, Syracusanorum, & Corinthiorum esse, ut quæ de variis litterarum O & Ω itemque Π Ζ Σ & aliarum figuris in antiquo ære observavit, nunc taceamus.

De Gothicis & Latinis litteris, in priore opere dictis, non adeo multa accessere, ipsa tamen alphabeta Latina varii generis cum Gothicis una & Runicis exhibentur. Paulo liberalius aucta invenimus, de varia litterarum permutatione & orthographia disputata. Sed illis diutius haut immorabimur, cum non omnes æque Lectores talibus capiantur. Ad tertiam igitur progredimur dissertationem, totam fere novam, cum eam partem vix paucis in priore opere tactam observemus, qua, quid
ad ci-

ad civilem morumque doctrinam conferat æris antiqui studium, ostenditur. Hic primum, quid ad utrumque nummi Græci conferant, docetur: Senatusque & Populi in urbibus ex iisdem observato regimine, rarissimus nummus, isque ineditus hucusque produ- TAB. I.
 ducitur, in quo signatus habetur ab altera parte IEPOΣ ΔΗΜΟΣ , Fig. IV.
 in altera vas ingens, solitum ludorum præmium, & voces p. 134.
 ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΠΥΘΙΑ . Inde de variis Provinciarum, Romanarum Rectoribus in nummis Græcis, de cultu Romæ ac Senatus in nummis Græcarum urbium, de juribus & privilegiis urbium in Græcis nummis consignatis, de fœderibus, societatibus, & concordia in iisdem, virtutum item, vel abundantia & felicitatis symbolis, agitur. Similique inde modo, quæ ad civilem & moralem doctrinam pertinent, in nummis Romanorum spectantur. Ubi de virtutibus in nummis Augustorum Augustarumque, Principumque beneficiis & parta ab illis felicitate publica copiose differitur.

Succedit quarta dissertatio, de Utilitate Nummorum ad historiam animalium: In qua inter alia multa Vir illustrissimus, quo est candore, non valde opportune in prior editione a se allegatos duos veteris Epigrammatis versus de Delphinis fateatur, quos ineditos crediderat. Scriptam vero ob eos sibi a cl. Gronovio plagii dicam, pariter ac ob fragmenta Callimachi, quæ idem Vir doctus *grassatione nefanda, & per teterrima furta* ad novam illius Poetæ editionem a Spanhemio atque Bentlejo contrectata, conquestus fuerat, de quibus jam ad Helladium monuerit Meursius, & quæ proinde ab ea *fœditate*, qua inde nempe illi inquinentur, sint *liberanda*, strenue amolitur. Quemadmodum & in præfatione, ob consimilia humanitatis specimina alia, modeste & graviter Virum illum clarissimum compellat, & censuræ in Republica litteraria perpetuæ, modo ne Domitiani ingenio administrandæ, iniquitatem ei exprobrat. Nova autem plane sunt, ut ceterorum supplementa innumera taceamus, quæ de *phoca & phocæna* in hac dissertatione ex nummis differuit, ubi contra Harduinum ostendit, non phocam quidem, bene phocænam tamen esse, quæ in nummis Phocænsium exhibetur, ipsas origines appellationis *Phocææ*, ut Heracli-

Fig. V.

p. 235.

dis de Politiis testimonio ostenditur indicantem, neque a deo primo Sponio in mentem ejus rei venisse, quod Harduinus putaverat, demonstrat.

Idem de animalibus argumentum continuatur per totam Dissertationem quintam. In qua primum locum statim obti-

- TAB. I. net capricornus, quo insignitum præterire non possumus singu-
Fig. VI. larem nummum, urbis plane ignotæ, ΑΡΟΥΕΤΑΝΩΝ, quam
p. 240. inscriptionem ad Siciliae *Agostam*, quod nulla ejus apud anti-
quos mentio sit, illustrissimus Autor referre veretur, ut quaren-
dum supersit, cujus ille nummus urbis gentisque esse debeat.
Harpyiæ ex nummis Brandenburgicis in hac dissertatione nunc
demum producantur. Inde vero sexta de Utilitate Nummo-
rum ad historiam plantarum agitur. Hic de Silphio dum differitur,
singularis Gazæ Regis Galliarum exhibetur nummus, altera par-
te Jovis Ammonis caput cum IV litteris ΒΑΡΚ, *Barcen* urbem,
Fig. VII. quæ erat una ex Cyrenaicæ Pentapoleos, designantibus, alte-
p. 296. ra Silphium repræsentans: alium item ex Pembrociano cime-
Fig. VIII. liarchio cura eodem Jovis capite, aquila fulmini insidente, mo-
p. 297. nogrammate & caulis Silphii parte. Inter nummos cum ma-
lis Hesperidum refert, qualem alibi nuspiam se observasse me-
Fig. IX. minit, inter cimelia Viri præclari Christophori Vreen obvium, al-
p. 335. tera parte caput leonis, altera arborem Aurantiæ similem ex-
hibentem, nulla addita inscriptione. Quem tamen ex illis fi-
gnis colligit, in Africana aliqua Mauritaniæ, velut Lixi aut Cy-
Fig. X. XI. renaicæ urbe esse signatum. Et ut alia infinita taceam, Balsa-
p. 360. mi Judaici figuram, ignotam fere, ex duobus nummis, Samariti-
co altero, altero Romano, accuratius nunc delineatis, exhibet.
Sed ecce ad dimidium vix nobis perducta amplissimi operis
historia, jamque tamen chartæ implevimus affatim. Quam-
obrem consultius ducimus, ut, abrupto hic recensiois filo, ad
proximum mensem, quod restat, differamus, quo longe nobilis-
simam operis partem, historiam quæ concernit, veterisque æris
in ea utilitatem percurremus.

ANT. PAGI CRITICA HISTORICO-CHRO-
nologica in Annales Baronii. Tomus IV. Studio
FRANC. PAGI.

Coloniæ Allobrogum, sumptibus Societatis, 1705. fol.

Constat Alphab. 9.

Turpem rerum divinarum humanarumque ignorantiam pessimos parere mores, & in omnem præcipitare scelerum libidinem, vel solus satis confirmat, quem historia Tomi hujus IV complectitur, Ecclesiæ status. Observavimus in Actis nostris anno superiori pag. 433 ex recensione Tomi III, fugatas ex foro & Ecclesia litteras, infecutam esse barbariem & superstitionem, profundissimam. Misera isthæc hominum ætas protulit progeniem avis sane adhuc pejorem, flagitiis addictam nefandis, a quibus etiam gentiles verecundia absterruit. Quamvis autem scelerum, tunc temporis grassantium, ignominia viri, adeo in Republica sacra pariter ac civili principes, dignitatem suam conspurcarint turpissime, eo tamen non obstante, odiosum hoc historiæ emendatæ intervallum clariss. Auctor tali continuavit candore, ut nec summorum Ecclesiæ Romanæ Episcoporum vitia silentio præteriret. Vel ideo non indignus erit Tomus præsens ultimus, ex quo, more nobis consueto, excerpamus pauca quædam memoria digniora, quæ scriptoris industriam confirmant ulterius, atque demonstrant. Telam autem narrationis suæ, a primo orsus Germanorum Imperatore Ottone Magno, ad Papam Innocentium III pertexuit, An. C. 1198 ad dignitatem Pontificis progressum, quo ipso Auctor labori coronidem imposuit. Nomen augusti hujus Principis invisum fuisse curiæ Romanæ, palam omnino rerum hoc tempore gestarum peritis, neque Noster circa An. C. 962 & sequentes reticuit, unde in odium istud inciderit: videlicet, quod decreto de ordinando eorum Cæsaris Legato Papa, exauctoratione Johannis XII, atque aliis constitutionibus Pontifices in ordinem redegit. Attamen repetiit simul, & in laudem ejus probavit ex scriptoribus coæta-
neis Reginone, Euitprando, & aliis, curam ab ipso sacris instaurandis adhibitam, præsertim quod confirmaverit donationes Pipini & Caroli M, non autem Ludovici Pii, cujus diploma supposititium esse largitur, item quod A. C. 967, Romanos, qui Johannem XIII expulerant, justo affecit supplicio, & Magdeburgensem Archi-Episcopatum in Regno Saxonum

juxta Albim, ut epistolæ Pontificis verbis utar, instituit. A. C. 964 Benedictum V, eo quod, invito Imperatore Ottone, electus erat, capta urbe remotum esse a dignitate sua & custodiæ Adaldegis Archiepiscopi Hamburgensis traditum, deductumque ab eo Hamburgum ibidem obiisse, cujus cenotaphium in templo cathedrali adhuc sit conspicuum, sed valde immutatum & corruptum. Ad A. C. 965 erudite disserit de Ecclesia Poloniæ, eamque ab Andrea Apostolo fidei quidem lucem accepisse, concedit, quæ vero temporum injuria adeo postea iterum obtenebrata sit, ut ad præsentem usque annum, quo Miecislæus, Poloniarum Regum primus, Christi sacris initiatus est, nullus publico nomine religionem Christianam palam profiteri auderet. A. C. 967 Heroldum, Archiepiscopum Salisburgensem, utroque antea orbatum oculo, eo quod seditionem excitaverat in Imperatorem, & Ecclesias deprædatus, multum Christianorum effuderat sanguinem, in Concilio Ravennatensi remotum esse ab officio. A. C. 969 alligavit nefandam Imperatoris Phocæ necem, a successore ejus Johanne patrata, qui ipse postea anno 975 veneno interiit. Circa A. C. 970 disserit de pœnitentia Edgari, Angliæ Regis septennali, a Dunstano ipsi injuncta, ob violatam Edithæ monasterio dicatæ virginitatem, quam non serius contigisse, contra Baronium defendit, quam anno 964. Eodem anno 970 Benedictum VI Papam, laqueo suffocatum, in sede Pontificis Bonifacium VII excepisse ex Sigeberti Chronico efficit. Circa A. C. 975 cometam refert comparuisse, terrorem omnibus incutientem, ex cujus conspectu fausta complurima augurati sint Imperatori Symeones, Logotheta atque Magister, nec non Stephanus Nicomediensis Præsul, viri ea ætate doctrina clari, sed plane contrarium evenisse. Ibidem agit de vera Symeonis Metaphrastis ætate, quem ad hunc usque annum superasse statuit, sicuti & Suidam eodem floruisse tempore, ex evolutione vocis 'Αδαμᾶι, quæ in Lexico ejus obvia est, colligit. A. C. 979 Pilgrinum, Archiepiscopum Laureacensem, Hungarorum conversioni dedisse operam, ex litteris ejus a Lambecio lib. 2. Biblioth. Cæsareæ p. 6410

recitatis observat. A. C. 980 tribuit persecutionem Christianorum in Dania, quam Sueno excitavit, ejurata in Christum fide, paulo ante cum patre suo Haraldo suscepta. Ad A. C. 987 eruit ex collatione Elmacini Historiæ Sarac. cum Cedreno & Sigismundo Herbersteino, circa hanc ætatem Russos seu Moscovitas sub Imperatore Basilio Christianam à Græcis accepisse fidem, qui vero nondum tunc temporis schismatis atque hæreseos rei fuerunt, id quod contra Possevinum pluribus propugnat. A. C. 993 Udalricum, Episcopum Augustensem, relatum ait in album sanctorum a Johanne XV, eumque primum fuisse, qui hoc honore mactatus sit, adversus Baronium ex Mabillonio aliisque demonstrat. Circa A. C. 996 ex Codice Diplomatico Excellentiss. Leibnitii, & monumentis quibusdam aliis efficere studet, institutionem septem Imperii Electorum Gregorio V Papæ male esse adscriptam, medio enim circiter seculo XIII, & non antea, Collegium istud illustre in electione Regis Germaniæ prævaluisse, idque ita quidem, ut numerus Electorum exiguus potentiorum usurpationi adscribendus videatur, cum antea omnes Proceres jus in electione Germanorum Regis possederint atque usurparint, neque illi renunciaisse eos ex antiquis scriptoribus pateat. Ad A. C. 999 Goldastum refellit, quod Silvestrum II ab Ottone III Papam creatum, ex subditiâ quadam Imperii constitutione probare ausus sit. A. C. 1002 vitam cum morte commutasse vult Ottonem III, *mirabilia mundi* vulgo appellatum, ob res præclare gestas, præcipue ob eruditionem, quibus omnes in admirationem rapuit. Circa A. C. 1004 floruisse Fulbertum Carnotensem ac Leutherium Senonensem, quorum prior prodromus vulgo habeatur Berengarii, non quod veritatem corporis Christi negaverit penitus, sed quia tantum dignos illud accipere statuit, quapropter etiam a Roberto Rege acriter sit increpitus. A. C. 1007 Angliam a Danis sæpius hæcenus afflictam, tandem tributum solvere illis cœpisse. A. C. 1009 Johanni XVIII successisse Sergium IV, ante occupatam Pontificis sedem *os porci* vocatum, quod nomen ab Historicis perperam Sergio III tribuatur, contra

tra fidem præstantissimorum Pontificum catalogorum. A. C. 1013 Unwanum refert successisse Libentio in Archi-Episcopatu Bremensi & Hamburgensi, tunc temporis unitis, unde etiam Archi-Episcopi illi, modo Hamburgenses, modo Bremenses ab Historicis appellentur, secus ac Baronius senserit. Hujus autem Unwani præclara esse in Ecclesiam & civitatem Hamburgensem merita. Reconciliatis enim cum Duce Saxonæ Bernardo Vandalis, Hamburgum, anno præcedenti ab illis vastatam, instaurasse, Ecclesiam Cathedralem & ædificia alia ex ruderibus resuscitasse, cives passim dispersos undique revocasse, novosque insuper incolas recepisse, opem ei ferente ipso Duce Bernardo. Ad A. C. 1016 refert primum Normannorum in Apuliam adventum, castigato Baronii parachronismo, bellaque illorum, contra Græcos fortiter gesta, sequentibus annis egregie passim collustrat. Circa A. C. 1020 morem invaluisse docet deferendi sanctorum reliquias in Concilia, ad augendam populi visitantis devotionem. A. C. 1024 Benedicto VIII successisse Johannem XIX, qui ex laico promotus est in Pontificem, inaudito hactenus exemplo. Ad A. C. 1033 depingit ex Victoris III Papæ epistola deplorandum Ecclesiæ statum, grassante præfertim in Italia simonia, ipso Pontifice Benedicto IX sacerdotium numerata pecunia ingresso, qui etiam postea dignitatem suam turpissima vita inquinavit. Ad A. C. 1034 agit de gente Leuticorum, quæ sæpius in Christianos pessime saevit, eamque sitam fuisse ostendit in Germania ad mare Balticum, in Ducatu Megapolitano. Cum A. C. 1039 connectit disquisitionem de Canonicorum Regularium instituto & ortu, & Gabrielem Pennotum refellit, qui eos ab Apostolorum usque ætate derivat, cum nulla hujus instituti in Scriptoribus Ecclesiasticis ante hanc ætatem occurrant vestigia, quin Abalardus, qui seculo demum sequenti floruit, suo tempore novum fuisse testetur. A. C. 1044 inseruit historiam schismatis inter Benedictum IX, Silvestrum III & Gregorium VI, qui eodem tempore in sedem Pontificis involarunt, eorumque simoniam, & alia scelera, neque occultat, neque excusat, ex numero autem verorum Pontificum propterea excludi debere inficiatur. Circa A. C. 1052
animad-

animadvertit, centum & amplius ante præsentem annis cœlibatum neque in pluribus Franciæ & Italiæ partibus, neque in Anglia ac Germania a sacerdotibus passim fuisse observatum. A. C. 1054 Ecclesiam Græcam divisam esse a Latina ait culpa Michaelis Cerulatii Patriarchæ, promovente schisma Michaelis Pfello, occasione azymorum Romanæ Ecclesiæ in sacra cœna usitatorum, in quo ritu præcipuam controversiæ causam fuisse statuit. A. C. 1058 alligavit ortum Patarinorum ab urbe Pataria dictorum, eo quod in illam secesserant. Fuisse autem Patarios sacerdotes docet, non concubinarios, ut Sigonius refert, sed cœlibatum defendentes, qui etiam Arialdistæ appellati sunt, ab Arialdo Mediolanensi Episcopo, præcipuo conjugii Clericorum oppugnatore. Quod tamen nomen postea etiam aliis hæreticis in Italia præcipue Manichæis a vulgo tributum sit in detestationem omnis veræ fidei corruptionis. A. C. 1059 Nicolaum II, qui superiori anno in locum Stephani IX electus erat, constitutione peculiari electionem Pontificis Cardinalibus adscripsisse, addita in favorem Henrici IV cautela, ne Pontifex antea consecraretur, quam Regi electio esset indicata. Ad A. C. 1063 retulit contentionem Canonicos inter & Petrum Damiani de proprietate bonorum & aliis, quæ in Canonicis improbavit atque rejecit. A. C. 1071 inseruit vitam ac laudem Michaelis Pfelli literarum in Oriente instauratoris celeberrimi. A. C. 1085 adsignat obitum Gregorii VII Papæ, cujus cum Henrico IV Imperatore similtates tanto persequitur studio, ut vix quicquam memoratu dignum prætermisisset, & ad suam ætatem omnia revocasse videatur, magis tamen Papæ favet partibus, quam Imperatoris. A. C. 1086 mortuum statuit Anselmum Episcopum Lucensem, scriptorum hac ætate multis, quos exclusit, ingenii fœtibus præstantem, cui etiam Collectio Canonum Ecclesiasticorum tribui soleat, sed reluctante veritate. Multa enim complecti librum hunc Pontificum decreta, ad quorum tempora Anselmus non pervenerit, nec meminisse ejus vitæ ipsius auctorem Sebastianum Tengnagelium, nec Sigebertum, nec Trithemium. Cum A. C. 1088 connectit mortem Berengarii, quem pestilentissimum quidem hæreticum vocat, sed post multiplices in hæ-

resin relapsus tandem vere resipuisse statuit, secus ac Baronius putavit, id quod probat ex Hildeberti Cenomanensis epitaphio, Francisc. Røii dissertat. de Pœnitentia Berengarii, Clarii Floriacensis Chronico Senonensi & aliis ea de re testimoniis. Ad A. C. 1090 exposuit miram officii Gallicani in Ecclesiis Hispaniæ receptionem. Cum enim ritus Gallis usitatos Clerus populusque totius Hispaniæ omnibus modis recusarent, Regique ac legatis ejus obsequium in mutandis sacris denegarent, commissa est dissensus diremtio pugnae inter duos & igni. In illa victor evasit miles officii Toletani, in igne in quem & liber officii Toletani & liber officii Gallicani conjectus erat, prior mansit illæsus. Eo tamen non obstante Regis rata fuit voluntas: servandum esse in omnibus Regni sui finibus officium Gallicanum. A. C. 1095 Synodum celebratam esse Claromontanam, ob canonem *de communione sub utraque specie* memoratu dignissimum. Prohibitum enim illo est, *ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim & sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem & cautelam.* Auctor noster canonem hunc ex Petro de Marca collustrans, pravam istam consuetudinem, panem vino tinctum in sacra cœna porrigendi fidelibus, male a Baronio adscribi Berengario asserit, cum apud plane alios, disciplinæ ecclesiasticæ ignaros, Græcos præcipue, invaluerit. Adversari hanc eucharistiæ formam institutioni Christi, qui corpus seorsim a sanguine commendaverat, concilio Bracarense III, quod similem corruptelam damnavit, confirmat. Circa A. C. 1114 floruisse offendit Petrum Abælardum, cujus vitam, eruditionem, scholam celeberrimam & amores præcipue Heloissæ, virginis eruditionis fama inclutæ, quomodo illis illaqueatus, fidei ipsius ac doctrinæ commissam defloraverit, & ob turpissimum istud scelus membro, quo peccaverat, fuerit mutilatus, paucis collustrat. Cum A. C. 1124 connectit conversionem Pomeranorum per S. Ottonem Episcopum Bambergensem. A. C. 1153 S. Bernhardum Abbatem Claravallensem, cum ætatis suæ annum sexagesimum tertium & Præfecturæ cœnobii annum trigesimum octavum explevisset, animam Deo reddidisse sentit, quæque ab eo præclare gesta sunt, summa cum diligentia passim prolixius persecutus

cutus est, atque ad ætatem suam revocavit. A. C. 1164 mortem Petri Lombardi vindicavit, patrem vero ipsi Gratianum & fratrem Petrum Comestorem fuisse, ob diversam horum patriam, inficiatur. Ad A. C. 1176 inter fabulas refert, quæ de reconciliatione Friderici Barbarossæ cum Alexandro III vulgo jactantur, quasi Imperator osculum figens Papæ, dixisset: non tibi, sed Petro; & vicissim Papa osculum admittens, & caput ejus premens, respondisset: & mihi & Petro. A. C. 1197 addit de Valdensibus, quorum historiam jam supra passim tetigerat, eos in Hispania Sabbatatos appellari, quia in sotulari, quod ibi Zabbati vulgo dicitur, signum singulare quoddam, quo ab ipsorum complicibus cognoscerentur, gestabant.

*HADRIANI RELANDI DISSERTATIONUM
Miscellanearum Pars prima.*

Trajecti ad Rhenum, ex officina Guilielmi Broedelet, A. 1706.
Plagul. 22.

Singulari Autoris Cl. humanitati debemus, quod eruditissimas ejus dissertationes hic tibi L. B. exhibere queamus. Pro ea enim, qua rem literariam juvare solertia studet, humanissime eas nobiscum communicavit, & quæ præter eas in his Eruditorum Actis speranda habeamus, luculento nobis documento demonstravit. Complectitur prima hæc pars Dissertationum Miscellanearum sex potissimum exercitationes, quas illustri Huetio, harum literarum eximio patrono, dedicavit Cl. Autor, inque iis singulare judicium, uberrimamque optimorum Græciæ, Latii, quin & Orientis, qua patet, Autorum lectionem ostendit. Prima Dissertatio de situ Paradisi terrestris ad Gen. II. v. 10 conscripta est: quod argumentum, ut vel ex his Eruditorum Actis patet, Bocharti, Clerici, Huetii, plurimumque maximorum Virorum ingenia, vario quidem successu, occupavit. Missis autem aliorum sententiis suam, veritati forte propiorem, exponit Autor Cl. In Armenia scilicet olim fuisse Paradisum ter-

§. I.

- §. 2. ergo & ipsa flumina distincta esse, nec pro ramis forte Tigridis ac Euphratis haberi debere. Phisonem igitur Phasium esse, §. 3. quanquam paulo minorem fluvium, & nominum similitudine, & situs ratione, & plurimorum testimonio Scriptorum probat.
- §. 4. Chavilam vero, a Chavila, fratre Ophir, Hebri nepote, nominatam, quam universam circumire Phison dicitur, non esse pro Amalekitica habendam, vel cum Huetio ad Persici sinus litus collocandam, sed in Scythia prope & ultra Colchidem quaerendam, §. 5. putat, quippe ubi, testibus veteribus Scriptoribus, plurima auri pretiosorumque lapidum copia habeatur, & quæ ipso nomine §. 6. ac scriptione cum Colchide conveniat, & urbem etiam aliquam
- §. 7. *Χάβαλα*, ejusdem fere cum Chavila nominis, habuerit. Quæ §. 8. fusius Autor inde a §. VII. ad XV. ex optimis Autoribus probat: primas Scytharum, antiquissimarum gentium, sedes circa Colchidem fuisse e Diodoro Siculo observat, aurum optimum §. 9. 10. in Colchide abundanter provenire, vel ex aurei velleris fabula, Strabone, Appiano, Solino, Plinio, & Agathia clarissime docet: nomina lapidum pretiosorum, in Chavila inventorum satisque omnibus obscurorum, explicat, per *כרלל*, contra Bochartum,
- §. 12. 13. Crystallum Scythiæ optimum, teste Solino, per *אבן השדה*
- §. 14. 15. Smaragdum, pariter Scythiæ præstantissimum, intelligendum esse, multorum consensu Physicorum evincit. Secundus Paradisi fluvius, cujus nomen dicitur Gihon, quique totam alluere terram Cush perhibetur, Autori nostro Araxes est, qui accolis §. 16. hodie Arras dicatur, & modo Armeniæ, modo Scythiæ flumen appelletur: quod nomen Arras cum nomine Gihon maximo-pere conveniat, cum utrumque eruptionem illam & impetum, quo flumina ferri solent, designet, unde & hoc nomen Persis commune fluviorum rapidorum sit, cujus rei ignoratio ingentem apud Geographos confusionem pepererit. Terram porro §. 17. 18. Cush, quam ille alluere dicitur, montanam regionem Cussæorum, quæ non longe abfuit ab Araxe, fuisse putat, eque Polybio, Appiano, Strabone, Diodoro Siculo, Arriano, Plutarcho probat. Tertium fluvium Chiddekel Tigridem esse, aliis consentientibus statuit, & Huetio, nomen Tigris e Chiddekel derivanti, annuit: descriptionem vero, qua is e fontibus suis fluere versus Assyriam dici-

dicitur, multo aptius suæ, quam vel Huetii, vel alius cujusdam, de situ Paradisi, sententiæ convenire dicit. Quartum denique fluvium Phrat, communi eruditorum sententia, Euphratem esse perhibet: voculam scilicet *Am* vel *Eu* aquam Persis significare, illorumque more nominibus fluviorum propriis jam postponi, jam præponi, erudita digressione ostendit. Horum igitur quatuor fluviorum confines ac vicinos esse fontes, inque Armenia cunctos positos, e Strabone, Arriano, Plinio, Diodoro Siculo confirmat, hosque omnes e fluvio uno Edenico ortos præviis sacris literis declarat: quanquam ipse fluvius Edenicus hodie a nemine ostendi possit, ideo, quod cum ipso Paradiso post Parentum lapsum a Deo deletus fuerit, nec ullibi, nisi sub terra forte, inveniri possit. In dissertatione secunda de Rubro Mari duo potissimum examinat Autor Cl. 1. quid pro mari rubro debeat haberi? 2. unde nomen rubri videatur esse deductum? Errare scilicet illos docet, qui maris rubri nomen non ultra finem Arabicum, quem sicco pede transiverunt Hebræi, extendendum esse putant: quod tamen antiquiores & recentiores Geographi in suis tabulis, & Lexicographi cum Hofmanno faciant; undeque plures Critici in explicandis Diodori Siculi, Curtii aliorumque Autorum locis crassos satis errores committant. Vastius igitur & remotius æquor a veteribus nomine maris rubri intelligi, quam ut id sinui Arabico tribui possit, existimat. Mare scilicet, quod totam Asiam a meridie alluit, rubrum appellatum fuisse, ex Herodoto, Plutarcho, Dionysio, aliisque docet: illo Indiam terminari ex ejusdem Dionysii περιηγήσει, Livio, Curtio, Mela, confirmat: Sinum Persicum, unde plures gemmæ ac margaritæ eruantur, item Sinum Arabicum mare rubrum vel maris rubri sinum dici, e Lucano, Seneca, Propertio, Beroso, pluribus aliis declarat. Hanc suam sententiam porro ex iis Scriptoribus, qui data opera de Rubro Mari scripserunt, Agatharchide & Arriano roborat. In altera Dissertationis hujus parte appellationis hujus maris rubri originem inquirat, eamque non ab Hebræis, quippe quibus non audiat hoc mare rubrum, sed a Græcis Latinisque petendam censet. His igitur ea ἐρυθρὰ appellari, quæ Soli propiora ejus

§. 20.

§. 21.

§. 22.

§. 1.

§. 2.

§. 3.

§. 4.

§. 5. 6. 7.

§. 8.

§. 9.

§. 10.

- radiis perusta quasi & rubicunda sint, unde rubicunda Africa, & plaga torrida quoque *ἐρυθρὰ* Eratostheni, Virgilio aliisque
- §. 11. rubens appelletur; rubrum igitur id mare dici, cui Sol quasi supra verticem esset, e pluribus veterum locis erudite contendit.
- §. 12. Deinde Fulleri, Scaligeri, Drusii, Bocharti aliorumque Eruditorum communem fere sententiam, qui mare rubrum ab Edom,
- §. 13. ejus accolis, vel etiam Rege Erythra in Arabico sinu suffocato, dictum volunt, multo verosimillimis rationibus confutat, & do-
- §. 14. 20. ctis ubique digressionibus, multis Poëtarum ac Historicorum Geographorumque locis explicatis, illustrat, adeoque hujus observationis suæ, qua mare rubrum vastum illum Oceanum ab extremis Indiæ litoribus usque ad orientale latus Africae se extendentem esse evincit, usum in Autorum sacrorum & profanorum lectione luculentissimum ostendit.

- §. 1. Tertia Dissertatio agit de monte Garizim. Hujus primo varias appellandi ac scribendi rationes ex Ebræo, Chaldæo, Græco, Arabico, Syro, Samaritano Latinoque idiomate notat: montem benedictum a Samaritanis a benedictionibus olim inde recitatis
- §. 2. Deut. XI, 29. a Judæis ob cultum idololatricum ibi institutum.
- §. 3. פלשניס quasi *πελεθῆ ναὸς* stercoreum templum dictum observat: ratione etymologica autem montem messorum significare docet. Deinde Epiphanii, magna fiducia hunc montem ad Jerichuntem positum fuisse asseverantis, errorem redarguit.
- §. 4. Neque tractum aliquem montium, sed unum omnino contra Gerardum Mercatorem, eumque penes urbem Sichem situm
- §. 5. fuisse Judic. IX, 7. ostendit. Ista occasione pluscula de urbe Sichem eleganter examinat. Scilicet *Μορθία* illam in antiquis nummis, a Plinio vero & Josepho Mamortham & Mabartham a loco vicino Moreh nominatam. Eandem in N. T. Joh. IV, 5.
- §. 6. Sichar, quod mendacium notat, ob cultus divini ibi exerciti falsitatem dictam: frustra autem ab Eusebio, falsa τῶν LXX
- §. 7. translatione loci Gen. XXXIII, 8. seducto, eandem Salem appellatam, nec sine errore Cl. Dherbelotii in Bibliotheca Orientali p.
- §. 8. 753. cum urbe Sebaste confusam demonstrat. Deinde ad ipsum montem reversus, singularem ejus altitudinem Judæis fabulæ occasionem dedisse commemorat, ut contra expressa Mosis verba
- §. 9. Genes.

Genes. IV, 19 hunc a diluvio separatum non fuisse fingerent. Quæ de imagine columbæ, a Samaritanis in hoc monte erecta, & culta ab Ebræis, dicantur, ea de Telesmate quodam, ænea scilicet ave, a Romanis ibi constituto, intelligenda, e Scriptoribus Samaritanis Autor docet. Deinde dum ritum Samaritanorum, ad montem Garizim, dum precabantur, vultus convertentium tradit, Epiphanii fabulam de idolis sub illo monte absconditis examinat, illamque ex historiis Samaritanis perperam intellectis petitam ostendit: deque vasibus sacris ab Ozi Sacerdote I Chron. VI, 6. DEI jussu ibi absconditis intelligendam, e Josepho, Libb. Maccabæorum aliisque Samaritanorum monumentis erudite demonstrat. Tandem Theodoti aliquod fragmentum ex Euseb. Præpar. Evang. IX. 22 de situ montis Garizim & Ebal addit, illudque critico examine in quibusdam emendat. Dissertatione quarta ut de terra Ophir cogitationes suas rectius proponeret Autor Cl. primo certa quædam & indubitata illius terræ *κρηνηρια* e 2 Chron. IX, 21. & I Reg. IX, 27 constituit, eaque omnino regioni circa urbem Ouparam in India, quæ & Suphara dicitur, uti & Ophir Sophira, competere pluribus probat. Urbem quidem Ouparam satis e Ptolomæo, Ammiano Marcellino, Arriano in Periplo notam esse: Ophir autem, quæ & a LXX Interpretibus & a Josepho ac Origene Sophir sive Sophira perpetuo fere nominetur *χρυσικην γην* veteribus Geographis dici, eoque nomine a *Χρυσικῶ νήσῳ* sive aurea Chersoneso distingui, tractumque illum circa Goam notare, e Mela aliisque perhibet. Huic regioni omnia ista competere, quæ de Ophir in sacris literis dicantur, docet. Primum ingentem ibi auri, argenti, eboris, simiarum & pavonum copiam fuisse, e Diodoro Siculo, Dionysio Periegeta aliisque Geographis ac Poetis probat, qui omnes non solam Chersonesum auream, sed universam Indiam, ut harum rerum feracem, describant, e qua in terram urbemque Ouparam celebre ac maritimum emporium illa quasi confluxerint. De eboris etiam in hac regione copia Indicorum Elephantorum multitudinem, magnitudinem & singularem præ Africanis præstantiam, tot Autorum testimoniis & *εισοψία* probatam, neminem dubitare sinere, existimat. Si-

§. 13.

§. 14.

§. 1-4.

§. 5. 6.

§. 7. 8.

§. 9-10.

§. 11.

§. 12.

§. 13.

mia-

miarum ac pavonum, quorum tamen loco psittacos substitui mavult noster, lignorum item ac lapidum pretiosorum magnum in Oupara numerum fuisse, ex Æliano & Arriano, Curtio aliisque confirmat: e quibus primum κριτήριον terræ Ophir Ouparæ, quam ea indigitari putat, vindicandum censet. Secundum quoque κριτήριον, quo in tali regione collocandam terram Ophir dicit, ad quam facilior, tutior, ac brevior via sit e portu sinus Arabici, quam maris mediterranei, terram hanc Ouparam designare, ex ipso Ouparæ situ statim patere existimat. Eadem opera & tertium κριτήριον, ne scil. in terra nimis remota Ophir statuatur, e situ Ouparæ deducit, quippe cum Salomonis tempore, imo aliquot post illum seculis, ultra Gangem non pertigerit ullarum gentium navigatio, verosimilius longe putat, naves mercaturæ faciendæ gratia circa loca Ouparæ vicina constitisse, quam easdem ad auream usque Chersonesum pervenisse. Denique quod quartum supposuerat Autor noster, non tam vicinam Ouparam Judææ fuisse ostendit, quin ad eundem eo ac redeundum pro illorum temporum navigandi modo, triennii fere spatio opus fuerit, cum littora saltem legerent, & interdum fere tantum navigarent, multisque aliis impedimentis ac ipsa mercium permutatione retardarentur. Quibus omnibus per terram Ophir Ouparam potissimum intelligendam Autor Cl. evinci posse, existimat.

§. 1.

Dissertationem quintam de Diis Cabiris scriptam a se occasione dissertationis Cl. Gutberletii, tractatusque Jo. Antonii Astorii, J. Cti Veneti, de eadem materia fuisse, affirmat. Qui quidem cum in ratione denominandi a Celeb. illis Viris tradita acquiescere non posset, humaniter sane cum eruditis egit, quod suas quoque meditationes iisdem communicavit. Id igitur antiquissimum habuit, ut ostenderet, quot & qui Dii hoc nomine olim in Samothracia culti fuerint. Post Castorem & Pollucem vero quatuor omnino tales fuisse Mnaseæ testimonio a Scholiasta Apollonii Rhodii conservato probat: Cererem scil. Proserpinam, Plutonem & Mercurium. Eos Deos Cabiros i. e. חבירי sive focios, socialia numina, Junctos appellari: quæ appellandi ratio, ut in Geminis Castore & Polluce ultro pateat,

§. 2.

ita

ita Cererem ac Proserpinam, Plutonium & Mercurium eodem nomine dictos, putat, quia isti quatuor *ἑοὶ χθόνιοι* Dei inferi in mortuorum cura communes operas jungant & collegium quasi quoddam constituent. Quæ cura ut singulis competat, prolixè ac erudite docet. Horum sacra ideo nocte celebrata dicit, quod Castor & Pollux non nisi noctu navigantibus profuerint, & reliqui quatuor inter tenebrarum numina relati fuerint. Aliam denique Etimologiæ rationem subjungit, Deosque istos Cabirios appellari, non a כביר magnus, sed a גבר quasi גבריִים potentes, censet: quocum illud egregie convenire docet, quod a Varrone Cabiri Samothracum Dii, non *magni*, sed *POTES* nominentur.

§. 4. 5.

§. 5.

§. 6.

§. 7.

§. 8.

Ultima denique Dissertatione veteris linguæ Indicæ *λέιψανα* quædam in lectione Scriptorum veterum occurrentia ordine Alphabetico collegit, & doctis conjecturis illustravit. In pluribus autem, v. g. vocibus Berberi, Byssus, Citrium, Deunus, Sid, aliisque explicandis linguæ Persicæ utilitatem expertus, in ea est opinione: multis olim minus cognitam Indiam fuisse, qui tamen, ut eo magis legentium animos percellerent, Indis multa tribuerint, quæ non nisi Persis accepta ferenda erant. Sane hac quoque opera insignem Orientalium antiquitatum peritiam Cl. Autor testatus, & de optimis Autoribus egregie meritus est. Quod ejus studium pluribus in posterum Erudito Orbi declaratum iri, læta mente ominamur.

PALLADIUM REFORMATORUM A SUA sede destructum, id est, doctrina de absoluta Dei gratia vel decreto ex Cap. IX. Epistolæ ad Romanos subruta & eversa, Autore ADAMO HEROLD, SS. Theol. Doct. Pastore & Superintendente

Ileburgensi.

Lipsiæ, apud viduam Brandenburgeri, 1706. in 4.

Alphab. 2. plag. 7.

K

Quod

Quod varios hactenus Interpretes tantopere exercuit, no-
 num Paulinæ ad Romanos Epistolæ Caput, nova nunc
 methodo a Summe Reverendo Auctore ita pertractatur, ut ubi-
 que dispalescat, Apostolo minime propositum esse, doctrinam
 in eo de electione & reprobatione stabilire, multo minus eum
 absolutum quoddam Dei in his decretum tradere voluisse, ceu
 Reformati quidem statuunt, istamque doctrinam palladium
 suum vocare nulli vereantur. Eum in finem veram Apostoli
 mentem fusius explicare modis omnibus allaborat, quam
 ὡς ἐν ἴπρω ex Auctoris nostri opinione sic referimus. Par-
 tes integri Capitis facit quatuor. *Primam* nuncupat Exordium,
 in quo a v. 1. ad 6. post gravem & elegantem benevolentia
 captationem, testantem, se minime ex odio Judæorum & af-
 fectu præpostero in Gentiles scribere, sed potius ardentissimo
 erga Judæos amore teneri, tacite Apostolus argumentum suum
 insinuet, acturum videlicet se de rejectione fratrum suorum,
 quæ mens ipsius certe ex eo colligatur, quod hanc propriæ sa-
 lutis dispendio avertere se velle asseveret. Cæterum sententi-
 am suam non statim aperte proposuisse Apostolum, observat,
 ideo, ne Judæos ad auditum doctrinæ, ipsis adeo exosæ, a dili-
 gentiori ejus consideratione abstraheret, & turbatam jam præ-
 conceptis opinionibus mentem in cognitione veritatis impedi-
 ret. Sequi hinc dicit *secundam* Partem, eamque παρασκευ-
 ασινῆν, in qua rejiciat Paulus impedimenta hujus doctrinæ
 gravissima, in exceptionibus contra eam fundata, quarum qui-
 dem exceptionum tres omnino constituit, *primam*, de promissio-
 nibus Dei ejusque verbo, quæ cessare putentur in rejectione
 gentis tot privilegiis ornata; *secundam*, de jure quodam debi-
 ti, quod sibi Judæi imaginantur, quasi Deus ob ipsorum cul-
 tum & observantiam legalem ipsis gratiam debeat, ipsosque
 citra injuriam rejicere non possit; *tertiam*, de justitia punitiva,
 quam Deus in Judæos reprobos exercere non possit, si ipsos
 voluntarie rejecerit. *Primam* proponi atque removeri ait
 a v. 6. ad 14, *secundam* a v. 14. ad 19, *tertiam* a v. 19. ad 24, & e
 singulis ad singulas responsionibus patere, dicturum esse Pau-
 lum

lum de re possibili, quæ nil omnino absurdi aut iniqui complectatur. In Parte *tertia* propius ad scopum accedentem Apostolum docere innuit, eandem esse a Deo per Prophetas prædictam, adeoque ex hypothesis incredulitatis Judæorum necessario futuram, id quod Hoseæ atque Jesaiæ testimoniis confirmetur a v. 25. ad 30. Et tum demum in Parte *quarta* totius capitis summam scopumque exhiberi, qui v. 30. & 31. thesi bimembri proponatur, & duobus versiculis ultimis per ætiologiam comprobetur. Theseos bimembris contenta eo tendere perhibet: Gentiles, qui alieni erant a civitate Ecclesiæ, abominabiles Deo, cujus verum cultum negligebant, ejusque, quem idololatria gravissime offendebant, inimici, etiamsi justitiam & modum verum Deum colendi non curabant, nec de eo addiscendo, ut profelyti justitiæ, solliciti erant, tamen ultro prædicatione Evangelii invitati, nullo inter ipsos & Judæos discrimine facto, ad Ecclesiam admittuntur, & gratiæ Dei & justitiæ veræ, qua Deo placent, participes fiunt, & quidem talis justitiæ, quam sine injuncta observatione legis Mosaicæ, sine omnibus meritis operum legalium, quibus omnino carent, statim credentes impetrant. Contra vero Judæi, populus Dei electus, & non tantum multis, quæ a Deo habent, privilegiis inclytus, ac in arctissimæ amicitiae fœdere constitutus, sed & ex sanctimonia illustris, ac in observanda lege adeo sedulus, ut etiam ultra, quam a Deo mandatum erat, observationes suas extenderent, modum verum placendi Deo non invenerunt, sed potius cultus eorum legalis nullus, &, mediatore exhibito, irritus, imo, ob accedentem opinionem meriti, damnabilis est, ipsique ob incredulitatem jure rejecti ac in sensum reprobum traditi sunt. Ætiologiam respicere quidem immediate dicit rejectionem Judæorum, at simul tamen ex opposito receptionis Gentilium rationem notare, & pro causa allegare spretum a Judæis consilium Dei, circa fidem in Christum, sine operibus legis in sola Christi gratia salutem quærentem & impetranter. Hæc cuncta per luculentam ante omnia analysin insinuantur, & per justam postea exegesin uberius deducuntur, in qua Reformatorum una detorsiones refutantur, servatis in thesi adver-

sariorum definienda plerumque verbis & opinione Christophori Wittichii, Theologi Lugdunensis Batavi, qui inter recentiores præ aliis in impugnandis ex hoc capite Lutheranis suo in Commentario se operosum exhibuit. Tum Loci Communes ex hoc Capite profluentes cumulantur, & luculenta denique Paraphrasis subjungitur.

**Das Dispensations = Recht in verbotenen
Ehen der Churfürsten ꝛc.**

i. e.

*JUS DISPENSANDI IN PROHIBITIS CON-
jugiis Electorum & Statuum aliorumque Imperii Mem-
brorum immediatorum, representatum a JOHANNE
JOACHIMO MULLERO, Secretario & Archivario
Ducali Saxonico-Vinariensi communi.*

Jenæ, impensis Johannis Bielckii, 1706. in 4to.

Alph. 2.

MAteria matrimonialis uti quotidiana est, ita suis semper premitur difficultatibus, adeoque Doctorum ingenia ad perpetuam sui culturam velut provocat. Horum classe etiam censerit voluit doctissimus Autor, qui tribus libris jus dispensandi in prohibitis conjugis, intuitu Germaniæ, explicavit. Primus liber prohibitionibus matrimoniorum destinatus est, hinc ordine disquiritur, an, & quousque Conjugia jure naturali, Gentium, Divino, in S. Scriptura revelato, Romano, Canonico & provinciali Germanico sint prohibita? In libro Secundo de autoritate horum jurium, sive virtute obligandi, tam quoad Status, quam eorum subditos, sollicitus consultissimus Autor, ostendit, legibus naturalibus in genere, ac in specie, quoad prohibitiones connubiales, omnes, etiam Imperantes, subesse, licet libidinosi quidam Principes incestu naturali se polluerint, &, velando crimini, incestuosa ejusmodi matrimonia aliis quoque permiserint. De legibus divinis, in S. Scriptura revelatis, operosior fere est disquisitio, hinc varias
illarum

illarum species Noster distinguit, singularumque auctoritatem persequitur, addita prolixiori, de existentia, indole, præceptis & sensu juris divini universalis mere positivi, tractatione. An, & quousque legibus civilibus Status Imperii obligentur, ejus judicatio ex statu Reipublicæ dependet: ea igitur res Nostro, de forma Reipublicæ Germanicæ, utrum monarchia, an mixta illa sit, nec non, de juribus Majestatis reservatis & non reservatis, differendi ansam præbuit, qua disquisitione peracta, Status Imperii jure civili Romano & Recessibus Imperii omnino obligari concludit. Alia quodammodo ratio est juris canonici; nam licet hoc a Statibus Protestantibus in suis territoriis in totum abrogari non posse, censeat Noster, nos tamen illud in rebus, confessioni suæ contrariis, non admittere, simul admonet. Succedunt leges provinciales, quarum indolem & auctoritatem ut eo rectius intelligamus, præsupponit clarissimus Autor, Statibus Imperii Majestatem vere talem non competere, nec in Germania occurrere. Systema Rerumpublicarum confœderatarum, ut nonnulli utrumque asserere soleant, quorum dogmata, velut ex adulatione aut ignorantia profecta, cordatiores Politici & juris publici Doctores rideant, nec ipsi etiam Principes prudentes approbent: ex his autem tertio inferit, leges, a Statibus Imperii latis, non proprie, sed analogice leges esse. Quibus præsuppositis, habitum legum provincialium, tam in ordine ad territoria, quam totum Imperium, ulterius declarat, ac eximiam Domus Electoralis & Ducalis Saxonicæ, in legibus provincialibus, contra jura Imperii antiqua & recentia ferendis, præ aliis Statibus prærogativam commemorat. Atque illa generaliter de jure civili Cæsareo, canonico & constitutionibus provincialibus, dicta doctissimus Autor ad matrimonia deinde transfert, ac quousque, horum intuitu, memoratæ leges Status eorumque subditos obligent, sigillatim edisserit. In libro Tertio ad ipsam dispensationem accedit, ac, præmissa ejus definitione, circa jus naturæ ne Deum quidem dispensare, actum tamen aliquando objecto laudati juris eximere posse, censet. Ex quo ultro consequitur, nec homines dispensationem, juris illius intuitu,

sibi asserere posse, licet olim Ethnici nonnulli, de facto, circa illas prohibitiones dispensaverint. Sed hodie, docente Nostro, inter Christianos pravæ illæ consuetudines cessant, adeo ut ne quidem Papa Romanus impedimenta juris naturalis, ex plerorumque Scriptorum pontificiorum sententia, possit tollere. Circa leges divinas mere positivas, Deum vere & proprie dispensare posse, deinde docet consultissimus Autor, ac, num illo jure aliquando usus sit, an vero saltem nonnullos actus, legibus illis contrarios, connivendo velut, toleraverit, amplius disquirit. Quoad homines tamen leges illæ, ex doctrina Nostri, sunt etiam indispensabiles, quamvis, ut olim quibusdam Gentilibus matrimonia fratrum & sororum fuerunt probata, ita hodie Pontifex jus circa leges divinas positivas dispensandi sibi asserat, id quod variis, ac in specie Henrici VIII Regis Angliæ, fratris viduam Catharinam ducentis, & post viginti annos denuo repudiantis, exemplis illustratur. Sed illa facti sunt; verum, enim aliquod jus Papæ competere, datis rationibus, Noster negat, eaque occasione in causas, ob quas summi Imperantes matrimonia, contra jus divinum, inire soleant, inquirit. Circa jus canonicum & civile, qua tale, dispensari posse, satis quidem certum est, cui vero illud jus, intuitu Statuum Imperii, competat, non perinde liquidum censetur, rationibus tamen & quibusdam juris Romani textibus Cæsari illud Noster adscribit, & qua ratione Pontifex id jus Cæsareum ad se traxerit, Scriptoresque pontificii ausus illos defendere soleant, distinctius enarrat. Uti autem Papa jus dispensandi sibi arrogat, ita non insolitum est, ut factam dispensationem iterum revocet, id quod exemplo Bonifacii IX doctissimus Autor declarat. Non tamen arrogatum illud jus papale semper illibatum persistit. Nam non tantum Imperator Ludovicus Bavarus jus dispensandi in matrimonialibus exercuit, historia hujus rei exempla suppeditante, sed & post Reformationem, a Protestantibus papalis illa dispensandi potestas plane negari cœpit. Post hanc igitur, ex doctrina Nostri, jus sacrorum, actu quidem primo est penes Cæsarem, sed actus secundus plerumque deficit, quoad Catholicos quidem, injuria & ex falsa ipsorum hypothese, quoad

Protestantes vero, ex pacto. Juxta hæc itaque Status Catholici, quoad dispensationem matrimonialem, tam contra jus humanum, quam divinum, faciendam, Pontifici se submitunt, sed Protestantes neque ab hoc, neque a Cæsare, eam vel petunt vel impetrant, cum ipso velut jure sint liberi: ne tamen illa libertas legibus divinis repugnet, in casibus dubiis consilia peritorum exquirere solent. Peculiaris quæstio est, an Pontifex matrimonia Principum Protestantium, contra juris canonici prohibitionem inita, nulla declarare possit, si alter conjugum pontificiam amplectatur religionem? quam, affirmantibus licet Pontificiis, consultissimus Autor negat, totamque controversiam memorabili exemplo, quod in domo Mecklenburgica, inter Ducem Christianum ejusque conjugem Christianam Margaretham, accidit, illustrat, adductis iis, quæ tam a parte Pontificis Alexandri VII, ejusque Nuncii, Cardinalis Barbarini & Cæsaris, quam conjugis Ducalis, proximorum agnatorum & totius Corporis Evangelici in hoc negotio intervererunt. His absolutis, ad territoria Noster transit, ac, quousque jus dispensandi Statibus vel Pontificiis, vel Protestantibus, præcipue quoad subditos pontificios, competat, ostendit, & num dispensatio, in casu matrimoniali, jure divino, controverso, concessa, etiam extra Principis dispensantis territorium, effectum habere queat, disquirit.

DE MORBIS ACUTIS INFANTUM, Editio secunda, priori auctior; cui accessit Liber, observationes de Morbis aliquot gravioribus Medicas complectens; annexis etiam quibusdam de Luis Venerea origine, natura & curatione, Autore GUALTERO HARRIS, Med.

D. Celeberrimi Collegii Medicorum Londinensium Socio.

Londini, impensis S. Smith & B. Walford, 1705. in 8.

13 $\frac{1}{2}$ plag.

Octodecim jam præterlapsi sunt anni, cum Autor clarissimus suum de Morbis acutis infantum librum orbi literato

rato communicasset, quem pariter anno 1690. in Actis Mens. Junio pag. 296. recensuimus. Prodiit nunc altera ejus editio, quæ non solum auctior priori existit, hinc inde novos continens interjectos paragraphos, sed Observationibus quibusdam raris & scripto de Lue Venerea est locupletata. Ut pauca delibemus ex novis illis additis, p. 52. Mercurium dulcem sexies sublimatum contra febres puerorum comatosas commendat Autor clarissimus. Pag. 81. in vomitu pertinaci & præsertim in illo, qui a lacte vitioso dependet, narcoticorum usum admittit. Pag. 82. infantibus anniculis aut bimulis, pro saburra humorum serosorum & noxiorum ex ventriculo educenda, radicis Epicamannæ gr. XV. propinare jubet. Pag. 84. in Convulsionum intervallis sanguinis modicam detractionem sive per venæsectionem, sive per hirudines, retro aures, aut brachio adhibitas, conducere dicit. Pag. 78. calida alimenta dentientibus infantibus ingerere prohibet; & sub calce libri Materiam Medicam, a veteribus Medicis traditam, non penitus negligendam esse pronunciat, eamque in rem *Justi Molleri*, Germani, *Fasciculum remediorum ex Dioscoride & Matthiolo* Basileæ excusum, etiam atque etiam commendat; nullam vero Materiam Medicam sine methodo medendi ex usu esse asseverat. De cætero etiamsi seculum nostrum nihil nunc in sublimibus cœli, neque in terræ penetralibus, notitiam suam effugere posse arbitretur, proponit tamen Noster problemata quædam de fluxu & refluxu maris, de motu stellarum & terræ, de distantia cœli stellarum fixarum a terra, &c. quæ hæctenus a nullo satis explicata ei videantur. Certe si stellæ fixæ tanta magnitudine donentur, quanta Mathematici demonstrant illas constare, supponeret Autor, lucidas illas regiones stellares esse posse spirituum cœlestium proprias ac peculiare sedes, easque fore corporum cœlestium propria domicilia, cum corpora mortalia ac pereuntia in cœlestia & perennia fuerint transmutata, & orbis illos planetarum magnos aut spatium illud amplum, quo prius errabant planetæ, post extinctum Solis & planetarum lumen, & post conflagrationem postremam esse posse spirituum malorum, dirisque devotorum hominum receptacula tenebrosa.

In Observationibus, quarum decem numerantur, egregiæ terebinthinæ vires in paralyfi pag. 134; rhabarbari in diabete pag. 139, in dolore ventriculi & colico pag. 160; sulphuris tam vivi, quam ejus florum in angina & hæmorrhoidalibus tumoribus pag. 150; spiritus vini per fotum admissi in nimio hæmorrhoidum & mensium fluxu pag. 165. & 166. collaudantur, noxæ vero ex opiatorum usu, in affectione hysterica & puerperarum torminibus & vigiliis propinatorum, pag. 157. depinguntur.

Denique in scripto de Lue Venerea in eam fere abit Auctor Cl. opinionem, natales ejus longius esse repetendos, quam communiter fieri solet. Morbum enim venenatum & maxime deleterium vocat, utpote cui eadem, quæ venenis, potissimum acribus, assumtis competunt phænomena; insignis scilicet faciei totiusque pallor, & extremorum perfrigeratio; venenosæ materiæ decubitus in superficiem corporis & partes externas; faucium & ventriculi erosiones, intestinorumque tormina; adde quod instar venenorum propria hic morbus exigat antidota. Quoad curam annotat, ligna exsiccantia tantum fere emolumenti naturæ humanæ conferre, & debilitatæ suppetiarum salutarium præbere, quantum damni & nocumenti hydrargyrosis corpori infligit, esseque veneni venerei antidota, licet, prætermisso mercurio, imperfecta. Cathartica deleteria huic morbo expugnando minus convenire, quam mitiora & blandiora medicamenta. Ab hydrargyrosi corpora crassa, obesa, phlegmatica & frigida maxime omnium lædi; si lue hac infecti & per ptyalismum aliquatenus curati in atrophiam incidant, urgente licet diarrhœa, a narcoticis & adstringentibus esse abstinendum existimat, sed antivenereis insistendum. Pro reliquiis Venereis corrigendis & educendis commendat nervina, antharthritica, amara & antiscorbutica, interpositis subinde catharticis blandioribus. Infantes a nutricibus infectos, his mutatis, farina sarsaparillæ & santali citrini polline pulticulis admisso curari commode perhibet. Curationem per remedia salivatione mitiora continuari debere injungit, do-

nec omne venenum penitus fuerit subactum, & symptomata omnia prorsus evanuerint.

*D. JACOBI DOUGLAS OBSERVATIO
de Tumore magno in anteriori colli parte.*

Ex Act. Philos. Anglic. 1706. N. 305. pag. 2214.
excerpta & hic Latine reddita.

Occasio mihi nuper suppetebat secandi mulierem 50. circiter annos natam, quæ in anteriore colli parte tumorem, fat magnum, omne spatium inter maxillam inferiorem & superiorem sterni partem replentem, obtinebat. Hic in medio enormiter protuberabat, apice versus latus sinistrum inclinante, lata vero parte in dextro hærente. Apicis cutis tenuis & rugosa existebat, alius, quam qualem reliquus tumor monstrabat, coloris, & videbatur omnino hic loci tumor ad rupturam dispositus. Quemadmodum & reliqua cutis tumorem tegens valde tenuis erat, omni pinguedine privata, nisi quod in cavitate quadam inter duos lobos in latere dextro aliqua conspiceretur; quoniam enim hic loci cutis non adeo expansa erat, cellulæ membranæ adiposæ non omni pinguedine carebant. Fibræ carneæ muscoli latissimi dorsi vix conspici poterant. Mastoidæus & Coraco-hyoidæus valde erant tenues, & ubi ascendunt, tumori subjacenti firmiter affixi. Sterno-hyoidæus & Sterno-thyroidæus, qui super partem anteriorem hujus tumoris ferebantur, usque adeo erant expansi, ut difficulter ab hoc separari possent, potissimum ultimus. Arteria carotis dextra super apicem currens, a tumore indies aucto compressa, sanguinem ad caput libere vehere non poterat. Sic & vena jugularis interna, par vagum & intercostale eundem attingebant, ubi ad thoracem descendebant. Duæ glandulæ lymphaticæ prope venam jugularem ad ovorum minorum magnitudinem intumefactæ cavitatem inter se pinguedine repletam relinquebant, & sic tumoris superficiem inæqualem in latere dextro reddebant.

Musculis & vasis dictis remotis, tumoris magnitudo, figura, peripheria & cum partibus vicinis cohærentia melius in

oculum

oculum incurrebant. Magnitudo excedebat duos pugnos invicem conjunctos. Figura triangularis fere erat, a basi lata sub mento descendebat transversim usque ad sterni partem superiorem, quam fere attingebat, tumor. Superficies inæqualis erat propter tres protuberantias, quarum maxima sinistrum latus respiciebat; reliquæ dextrum occupabant, ut dictum. Adhærebat per filamenta membranacea glandulis maxillaribus, musculus Digastrico & Stylo-hyoidæo; sub quo in latere dextro exilis ejus portio instar papillæ sub linguam protendebatur, in parte superiore & anteriore ossi hyoidæo affigebatur. Lateraliter connectebatur Levatori scapulæ, & paulo inferius illi portioni Cucullaris, quæ in claviculam terminatur. In parte postica toti asperæ arteriæ spatio, quod inter tertiam vel quartam ejus cartilagineam & os pectoris intercedit, ut & musculo capitis, Rectus internus major dicto, & cuidam Scaleni portioni adhærebat; pars inferior jugulo seu parti falcatæ sterni affigebatur. Ab his partibus omnibus facilius separari poterat, quam a glandulis thyroidæis; ubi enim hæsi- bi invicem accumbunt, paulo sub cartilagine cricoide in parte anteriore asperæ arteriæ, usque adeo his connectebatur tumor, ut absque dilaceratione nullo modo avelli posset: unde apparet, ab unione harum glandularum radices propullulasse ingentis hujus tumoris; licet, quod notandum, glandulæ hæc naturalem obtinerent & figuram & magnitudinem.

Hic tumor admodum durus & firmus erat, ejusdem consistentiæ, quam ubera vaccina cocta habent; in paucis tamen locis, ubi mollis existebat, liquorem continebat crassum. Color erat ex albo luteus, in quibusdam locis propter vasorum sanguineorum majorem copiam rubicundus.

Cum tumorem dissecares, cultri apicem in rem aliquam duram impingere non sine stupore advertebas, hinc separata omni substantia molli, duram coquebas & mundabas, ita tamen, ne partem cartilagineam teneriorem ipsi cohærentem removerem.

Hæc certe, si diutius vivere concessum fuisset agræ, eundem cum priori indurationis gradum nacta esset. Durum

hoc corpus simile videbatur corallio albo rupeo, nondum polito; num vero osseum sit, an potius ex humore viscido glandularum dictarum in irregularem ejusmodi tartaream & lapidosam substantiam concreto, vel quavis alia materia conflatum, aliorum relinquo judicio. Vid. Fig. XII.

Ante duos annos in prostaticis senis decrepiti aliquot dura corpuscula me invenisse recordor, pisis albis similia, quoad consistentiam dicto corpori respondentia, magis tamen polita, quoad faciem externam; quorum quædam ipsi harum glandularum corpori insidebant, quædam exilibus radicibus membranæ has obtegenti adhærebant. Vid. Fig. XIII.

Viginti jam abhinc annis tumor hic colli apparere cœperat, occasione venæ, ut mulier rem exprimere solebat, in partu difficili ruptæ; a quo tempore sensim accrescebat, nec tamen notabilem acquirebat magnitudinem, nisi paucos ante obitum annos; nec dolorem concitabat; erat enim totus scirrhusus. Varia quidem a variis fuerunt applicata, sed frustra. Tandem valde molestus evadere hic tumor, ingentem magnitudinem nactus, siquidem deglutitionem & liberam respirationem enormiter non solum impediēbat, verum etiam hanc tandem penitus intercipiēbat; asperam arteriam, cui incumbēbat, comprimendo.

Præter hunc tumorem alio, eoque molesto & doloroso, ultimis annis vexabatur fœmina hæc symptomate, mortem itidem accelerante. Uterus scilicet totus erat scirrhusus, & usque adeo distentus, ut totam pelvis cavitatem repleret; Coli & Ileii pars firmiter ipsi cohærebat, ut absque laceratione separari inde haut posset; ovaria & tubæ ipsi fere immerfa erant; ita ut, nisi ovaria hydatidibus hinc inde fuissent obsessa, vix ea dignoscere potuerim. Cervix uteri usque adeo erat depressa, ut sub labiorum levi admodum dilatatione in conspectum veniret; maxime insimul existeret dura, sed polita, æqualis, & adeo occlusa, ut absque sectione nihil in eam intrudere valuerim. Vesica urinaria versus os pubis adacta & compressa parum vel nihil urinæ continere potens erat, hinc eandem sæ-

pius reddere, idque nec sine dolore cogebatur misera. Sic pariter intestinum rectum compressum nihil fecum transmittibat, & laboraverat foemina ante mortem quinque septimanas alvi obstructione.

Per anum equidem aliquamdiu materia purulenta & pituitosa in sat magna copia evacuari observabatur, sed hæc utero natales suos debebat. Humor enim acris, qui alio tempore per vaginam excernebatur, jam propter firmam ejus clausuram nullum inveniens transitum, in ejus cavitate stagnaverat, & corrodingo parietes uteri, novam sibi paraverat viam ad intestinum rectum. Qualem deplorandum casum in sectionibus plus simplici vice observavi.

Uteri crassities duos fere æquabat pollices, in cujus fundo magna humoris albi & crassi copia reperiebatur, quæ digitos meos albos & rugosos cuticulam contrahendo reddebat, haud secus ac si eosdem lixivio quodam acri lavassem; quemadmodum simili modo sal causticum in sapone latens lotricum manus afficere solet. Difficulter uterus propter firmam cum partibus vicinis cohæsiõnem ex pelvi extrahi poterat.

Notandum adhuc, quod parum fecum intestina continerint, quoniam per longum tempus nihil ciborum solidorum deglutire poterat misera; quicquid autem ibidem reperiebatur, durum erat, & in varias distinctas glebas coactum.

ANIMADVERSIONES IN D. GEORGII CHEYNAEI

Tractatum de fluxionum methodo inversa, per

Abr. De Moivre. R. S. S.

Londini, 1704. apud Danielelem Midwinter & Thomam Leigh. 8.

Plag. 9.

DEbitam Cl. *Cheyneo* laudem in Actis nostris A. 1703 p. 450 & seq. tribuimus: sed eam derogare ipsi videbatur *Moi-vrens*, cum suas in ejus Tractatum Animadversiones ederet. Etenim durum admodum de Geometra insigni in eo fert judicium. Errores plures libro ejus inesse pronunciat; methodum quadrandi Curvas Mechanicas precariam vocat,

quod maximam quæſiti partem jam aliunde cognitam ſupponat, nec niſi fortuito metam propoſitam attingat. Methodum pro Curvis exponentialibus nihil concinnitatis habere ait. Quod de quadratura Curvarum irrationalium ſecundi generis traditur inutile eſſe, quia ſeries divergentes adhibeantur; prætereaque inconcinnum, quia per ſeries infinites infinitas in quantitatibus irrationalibus exprimat, quod per unicam in rationalibus exprimi potuiſſet. Perperam in Curvis altiorum graduum alium aliumque infinitatis & irrationalitatis gradum adhiberi. Methodum Newtonianam radicem ex æquatione differentiali extrahendi ita demonſtrari, ut caſus infiniti in ea comprehenſi excludantur, & in artificiis explicandis falſas aduei conjecturas: immo non aliud factum eſſe a *Cheyneo*, quam ut illam infinites perplexiorem effecerit. Investigationem theorematis *Bernoulliani*, in Actis noſtris A. 1694 p. 437 exhibiti, precariis poſtulis inniti, ipſum theoremata infinites implicatius redditum. Lubricam & incertam eſſe methodum, qua binomium vel infinitinomialium ad poteſtatem quamvis indeterminatam attollitur. Theorema ſuum pro reuerſione ſerierum infinite implicatius redditum fuiſſe. Immo calculum de centro oſcillationis, comparationem Curvarum, methodum de reducenda ſerie infinita ad valorem finitum, methodum extrahendi radicem ex æquatione differentiali, aut erroris redargui, aut momenti nullius deprehendi. In ſuis itaque Animadverſionibus totus in eo eſt *Moire*, ut dictis fidem faciat, & errores *Cheyneo* imputatos emendet, methodos meliores ſubſtituendo. Aliqua ex illis ſpecimina in medium afferre libet. Negat nempe, ſi numerus ſit x , fluxionem ſeu differentialem logarithmi x fore $dx:x$. Cum *Cheyneus* ſemper ſupponat, areas cum abſciſſa ſimul incipere; $x^{m+1} lx$; $m+1$ — x^{m+1} ; $m+1$ non eſſe ſummam ipſius $x^m dx$, niſi cum lx eſt quantitas infinita, ubi terminus poſterior reſpectu prioris prorsus evaneſcat. Culpat *Cheyneum*, quod ubi x^x conſideranda venit, loga-

logarithmos in auxilium vocet, immo in differentiatione ipsius x^x logarithmos logarithmorum, cum ipse nil præter numeros vulgares adhibeat. Indigne fert, quod *Cheyneus* theoremata ipsius pro infinitinomio ad potestatem indeterminatam elevando corollarium esse dixerit notissimi theorematis *Newtoniani* pro binomio ad dignitatem quamcumque attollendo, nempe loco quantitatis P poni saltem debere az & loco alterius $PQ, bz^2 + cz^3 + dz^4$ &c. tandemque 1 pro n . Cæterum sub finem theoremata quædam pro comparatione Curvarum in *Transact. Philos. Num.* 278 exhibita denuo proponit, adjecto inventionis modo, in casibus similibus imitando.

*RUDIMENTORUM METHODI FLUXIONUM
inverse specimina: que responsionem continent ad Ani-
madversiones Ab. de Moivre in librum
G. CHEYNÆI.*

Londini, 1705, impensis G. Strahan, in 4.

Plag. 7 $\frac{1}{2}$

Bilem *Cheyneo* moverat *Moivreus*: ad iram itaque concitatus cum scriberet, nimiumque affectui suo indulgeret, acerrimo usus est scribendi genere, quod in Mathematico merito culpandum. *Animadversiones Moivreanas* profectas esse asserit vel ex ignorantia inexcusabili; vel ex impudentia & immodestia; vel ex inhonestate & improbitate; vel ex inhumanitate & malitia: totusque in eo est, ut suas methodos defendat & *Moivreanas* vel falsas esse, vel cum suis coincidere, ostendat. E. gr. investigationem *Moivreanam* methodi *Newtonianæ* pro extrahenda radice ex æquatione differentiali a sua solis speciebus differre: nempe si in *Moivreana* loco $a + x$ ponas $p + px$, loco n scribas m & loco y denique $1 + z$, prodire *Cheyneanam*. Ipsum *Bernoullum* in Actis nostris A. 1697 p. 129 demonstrasse, si numerus sit x , logarithmus lx , esse $dlx = dx : x$. Immo in genere probat integrales differentialium positaram ab ipso assignatas esse
probas,

probas, quia ab iis non abhorret criterium, quod summus Geometra *Newtonus* in tractatū de Quadraturis p. 210 proposuit, salvis tamen calculi ac præli erroribus. Scilicet si fluentium assignatarum fluxiones colligantur, h. e. si summæ seu integrales assignatæ differentientur & differentiæ debite reducuntur, semper prodituras esse differentiales primo positas. Id vero turbasse *Moiivreum*, quod perperam assumserit, Curvarum areas investigatas esse a *Cheyneo*, cum tamen is generales summandi differentias leges explicare constituerit. Neque enim methodi fluxionum seu calculi infinitesimalis objectum esse solas Curvarum areas; sed ipsarum quoque longitudines, solidorum superficies & contenta, numerorum proprietates, logarithmos, potestates numerorum & earum exponentes, motum, celeritatem, tempus, spatia &c. verbo quantum quodcunque. Atque adeo *Cheyneus* de quantitate, quæ summæ reperiæ ob evanescentes in differentiatione quantitates prorsus incognitas adjicienda, vel prorsus non est sollicitus, vel quantitatem cognitam arbitrariam adjicit, quæ in determinatam abit, ubi de Curvarum quadraturis agitur. Ex his fundamentis

probat, $x^{m+1} : m+1 - x^{m+1} : m+1^2$ esse summam ipsius $x^m lxdx$; non autem venditari pro area curvæ. Ita $dx:x$ esse differentialem ipsius lx & momentum areæ hyperbolæ exterioris rectangulæ; non tamen lx esse aream absolute hyperbolæ exterioris, nisi ei adjiciatur quantitas infinita. Areas nempe Curvarum esse summas reperiatas, per circumstantias illarum restrictas & definitas. Contendit etiam, logarithmos logarithmorum omnino æquipollere exponentialibus secundi gradus, adeoque exponentiales secundi gradus exponendos per logarithmos logarithmorum. Similiter series rationales non esse quærendas in Curvis Geometricè irrationalibus, non nisi per irrationales suæ natura expreslibilibus, cum alias earum proprietates non manifestentur. Quod denique theorema *Moiivreanum* de infinitinomio ad potentiam indeterminatam elevando sit tantum exemplum theorematum *Newtoniani*, satis patere asserit. Uti-
que

que enim *Moivreanum* haberi, si in *Newtoniano* ponatur $P = az$, $PQ = bz^2 + cz^3 + dz^4 \&c.$ $n = r$, modo valores *ipsarum* $A, B, C \&c.$ substituuntur. Licet enim forma *Newtoniani* $\sqrt{P + PQ}$ binomialis sit, expresse tamen monuisse *Wallisum* in Algebra, Q . designare terminos reliquos per primum divisos, atque in trinomialibus exemplum exhibuisse. Hæc sufficere arbitramur, ut lector rerum Geometricarum peritus de controversiis inter *Cheyneum* & *Moivreum* agitatis iudicium ferre possit. Optandum vero foret, ut mitius se mutuo tractarent Geometræ, ne diu ipsis in disputando tributa modestiæ laus tandem periret.

NOVUM SYSTEMA MUNDI A SEBASTIANO CLERICO propositum, & ex artic. 10 Mens. April. Anni 1705 Diarii Trevoltiensis huc translatum.

DN. Clericus non alium in finem novum hæc proponit Systema Mundi, quam quia ipsi ad veritatem propius accedere videtur reliquis hætenus receptis. In compendio autem huc redit. Ponit scilicet, Terram & Solem circa centrum sui vorticis gyrari, revolutione Telluris, ut in Systemate Copernicano, intra spatium unius anni, revolutione autem Solis intervallo sex tantummodo mensium, demtis aliquot secundis, absoluta. Per hanc hypothesin non ordinaria solum cœli phœnomena, sed alia etiam hætenus non satis intellecta explicari posse contendit. Ex. gr. ostendit 1. quomodo dies naturales necessario nunc 24 horas excedant, nunc ab iisdem deficient, sine ulla motus in revolutionibus Terræ irregularitate; & quomodo hæ inæqualitates dierum istis conformes deberehendantur, quæ pendulorum ope observantur. 2. Demonstrat, motum firmamento attributum non esse, nisi apparentem. 3. Monstrat, quomodo Sol singulis annis nunc magis a nobis recedat, nunc ad nos appropinquet, nulla excentritate, neque in Telluris, neque in Solis revolutione supposita. 4. Evincit, quod circa medium anni Sol ultra 12 horas supra Horizonte

nostro commorari debeat, utut Telluris in semicirculo Meridionali non plures sint revolutiones, quam in Septentrionali. 5. Demonstrat, hypothesin Copernicanam esse absolute falsam. 6. Novos extruit vortices nostro superiores in aquis firmamenti a Mose pluribus in locis Geneseos notatis: & hos vortices in aquis cum bullis puerorum saponariis comparat. 7. Supponit etiam orbem aqueum supra firmamento, qui totum Universum involvit, in loco Geneseos fundatum, ubi Moses asserit, Deum separasse aquas supra firmamento ab aquis infra firmamentum. 8. Contendit, aquas istas in glaciem abiisse & sic orbem CrySTALLINUM constituere admodum solidum & sufficientem resistendo conatui, quem omnes vortices ad se mutuo dissipandos adhibent. 9. Probat, quamlibet fixam particulares exercere revolutiones circa centra suorum vorticum, quemadmodum Sol circa centrum nostri. 10. Denique in suo systemate nec eccentricitates, nec epicyclos, nec ullum motum violentum supponit. Omnia simplicissima sunt & Scripturæ sacre demonstrationibus Geometricis & rationibus admodum naturalibus superstructa: quemadmodum se probare posse prætendit. Cæterum in Fig. XIV A denotat centrum Tel-

Fig. XIV. luris, B centrum Solis, C Terram, D Lunam.

Optandum foret, ut pleniorẽ hujus systematis descriptionem publicaret Autor, quo Astronomi id examini suo submittere valerent, visuri, num calculus Geometricus juxta illud institutus cum observationibus conveniat.

ELEMENS DES MATHEMATIQUES PAR
M. PIERRE POLYNIER, Docteur
en Medicine.

h. e.

ELEMENTA MATHESIOS, AUTORE PETRO POLYNIER, *Medicine Doctore.*

Parisiis, apud Joh. deLaulne & Jacobum Quillau. 1704 12.
Const. i. Alph. 4 plag.

Tres Matheseos partes constituit Autor, *Arithmetica* nempe, *Algebram* & *Geometriam*: reliquas pro earundem ad Physicam facta applicatione habet. *Arithmetica* est ipsi numerorum scientia: in qua nonnisi communes Arithmeticae operationes, additionem nempe, subtractionem, multiplicationem, ac divisionem, tam in integris, quam fractis, satis perspicue explicat, & exemplis necessariis illustrat, omissis demonstrationibus. Per *Algebram* quantorum in genere consideratorum scientiam intelligit, quæ alias *Mathesis Universalis* appellari consuevit. Explicat in ea *Arithmetica* speciosam seu litteralem, in integris & methodum extrahendi radicem quadratam & cubicam ex numeris propositis vel perfectam, vel prope veram, una cum problematibus facilioribus *Algorithmi irrationalium*. Per *Arithmetica* litteralem propositiones palmarias Matheseos universalis de quantitatum proportione Arithmetica & Geometrica demonstrat, tandemque vulgares proportionum regulas in Arithmetica explicari solitas subjicit. Cæterum methodum approximandi ad radicis irrationalis valorem traditurus monet, propositam potentiam imperfectam (39) multiplicandam esse per quadratum denominatoris fractionis (169) ultra quam progredi haud libet, & ex facto (6591) extrahendam radicem quadratam (81) quæ per denominatorem prædictum (13) divisa dabit radicem prope veram desideratam ($6\frac{3}{13}$). *Geometriam* definit per partem Matheseos fundamentalem de lineis, superficiebus & solidis tractantem. Quare præmissis definitionibus, postulatis & axiomatibus cap. 1 linearum rectarum & circuli; cap. 2 superficiebus & cap. 3 solidorum proprietates demonstrat. Nulla omittitur earum propositionum, quæ Euclidis Elementa 1, 2, 3, 4, 5, 6, 11 & 12 absolvunt. Elementis hisce præmittitur discursus de utilitate Matheseos: præmittuntur regulæ, quas observare debet tyro illa cum fructu perlecturus: præmittuntur definitiones, postulata & axiomata generalia ad omnes Matheseos partes pertinentia. Ordo in hoc opere optimus: idem certe, quem *Bernhardus Lamy* in suis Elementis Matheseos & Geometriæ observavit, nisi quod præcepta *Arithmetica* numerosa seorsim explicet Noster, & pauciora, quam *Lamy*, ad *Algebram* spectantia tradat, immo fere nulla.

ELEMENS DE GEOMETRIE DE MONSEIGNEUR
le Duc de Bourgogne.

h. e.

ELEMENTA GEOMETRIÆ SERENISSIMI PRIN-
cipis, Ducis Burgundiæ.

Trevoltii 1705 in 4 impressa, venduntur Parisiis apud
Johannem Boudot.

Constant 1 Alph. 7 plag.

HÆc Elementa propria manu Serenissimi Principis, Ducis Burgundiæ, descripta, immo ab ipso composita, cum 14 annos natus anno 1696 jussu Regis a Domino *de Malezieu*, Principatus Dumbensis Cancellario, in Mathematicis instrueretur, non multum differunt ab Elementis *Arnaldi*, quibus in informatione utebatur *Malezieu*, tanquam ordine maxime naturali conscriptis & foecundioribus comprehensuque ac retentu facilio-ribus, quam Euclidea. Propositiones tamen nonnullæ minus utiles omissæ, & in earum locum utiliores substitutæ. Præmissis linearum & superficierum definitionibus, postulatis & axiomatibus, Arithmeticæ speciosæ compendium in litteris majoribus ad morem *Vieta* exhibetur, quia ejus ope propositiones aliquot in subsequenter demonstrantur. In ipsis Elementis symptomata linearum perpendicularium & obliquarum lib. 1; parallelarum lib. 2; rectorum in peripheria circuli terminatarum lib. 3; angulorum lib. 4 & 5; proportionalium lib. 6; reciprocarum (h. e. extremarum ex 4 porportionalibus) lib. 7; figurarum lib. 9 & solidorum lib. 10 pertractat. Proprietates solidorum per methodum indivisibilium demonstrat & propositionem Archimedeam de proportione Cylindri ad sphæram inscriptam per methodum *Guldini* ex centro gravitatis. Subjungitur brevis *Trigonometriæ* explicatio, cujus usus in aliquibus exemplis Euthymetricis & Astronomicis de distantia Lunæ, Solis & Jovis a Tellure ostenditur. Constructio quoque Tabularum Sinuum, Tangentium & Secantium declaratur. Ad calcem libri subjicitur sylloge problematum Arithmeti- & Geometricorum per Analysin speciosam solutorum. Bre-
vite

viter ac perspicue in his Elementis explicatur, quicquid ex Geometria communi cognitu necessarium existit.

NOVA LITTERARIA.

Ernestus Martinus Plarre, Berolinensis, amore patriæ ductus, historiam Brandenburgensem e tenebris revocare, eamque justis voluminibus complecti molitur. Hoc ille institutum edita nuper plagula sub titulo: *Schediasma πρόδρομον de Scriptoribus Rerum Marchico-Brandenburgensium, cum προσφωνήσεσιν ad eruditos, Berol. 1706, 8.* litterato orbi ita indicandum censuit, ut non modo lineas & conspectum absoluti propemodum operis de Scriptoribus Rerum Brandenburgensium exhiberet, sed mentionem quoque faceret reliquorum voluminum a se edendorum. Ac primum quidem, quod ad Commentarium Historico-Criticum de Scriptoribus attinet, ille omnis Decem Libris erit absolvendus, quorum Primo Geo-Choro-Topographici, II Genealogici, III Historici, Chronologi & Biographi universales, IV Historici particulares, V Politici, VI Ecclesiastici, VII Prætensionum ac Controversiarum, VIII Juridici, IX Naturales, X Extranei eo facientes Scriptores comprehenduntur. Singuli Libri variis iterum Classibus distinguuntur, quarum singulis quosnam Scriptores sibi notos capiat, in Schediasmate professus est. Huic operi succedent deinde alia: I de Viris Illustribus Marchiæ, II Theatrum Nobilitatis Marchicæ, III de Urbe & Rebus Berolinensibus, IV Annales Marchiæ a prima origine ad nostram usque ætatem perducti, V denique nova Nicolai Leuthingeri Commentariorum de Marchia Brandenb. editio. Et in hac quidem quid præstiturus sit, alio specimine nuperrime publicato docuit, cujus integrum titulum exscribere placet: *NICOLAI LEUTHINGERI, Optimarum Artium Magistri, Poetae Laureati & Historici Brandenburgici, Rerum Brandenburgicarum Commentarii ab excessu Joannis Principis Electoris & Marchionis Brandenburgici.* Ern. Martinus Plarre, Berol. omnia studiose collegit, exemplaria inter se contulit, libris argumenta præfixit, eosdem secundum annorum seriem disposuit, breves notulas indicemque locupletissimum adjecit, ac primus junctim edidit. Præmissa est ab eodem *Dissertatio de Vita, fati & scriptis N. Leuthingeri, qua a malevolorum iniquis censuris & calumniis*

scripta tanti viri ex veritate vindicantur. Accesserunt alia ejusdem scriptoris opera, denuo accurate recensita; cum figuris aeneis. Berol. impensis Jo. Michaelis Rüdigeri, 1707, f. In his omnibus vero cum summorum virorum ope & consilio se egere profiteatur Autor Cl. eos omnes rogat & obtestatur, ut symbolas suas de patria merenti volenti conferant, inprimis vero, ut, quicquid Scriptorum Brandenburgicorum in genere, vel Leuthingerianorum in specie deesse ipsi deprehenderint, publici boni causa benigne submittant. His accessionibus ubi auctus fuerit, utrumque opus, tam Leuthingerianum, quam quod de Scriptoribus pertexuit, præcipite mense Martio hujus anni bono cum Deo sub prelum mittet, curabitque, ut prioris editio intra sex menses perficiatur. Nos utique doctissimo Auctori de optimo instituto gratulamur, vires ipsi integras & successus faustissimos appreciamus.

Ceterum incidit nuper admodum in manus nostras schedula, qua novam omnium Operum D. Augustini impressionem Venetiis modo parari nunciatur, neque ingratum L. B. futurum existimavimus, si, quæ imprimis ad institutum hoc spectant, quanquam sermone minus eleganti exposita, hoc loco inferamus: *Reverendi Monachi Ordinis Sancti Benedicti e Congregatione Sancti Mauri, selectis suæ Religionis doctissimis eruditissimisque Viris, per cunctas terrarum orbis ditiones eos emisere, ubi, nulla laboris ac sumptus ope prætermissa, aliquem hujus Sancti Doctoris codicem reservatum & antiquum perlegere possent. Vaticanæ propterea, nec non omnium aliarum Christianæ Monarchiæ Bibliothecarum adminiculo omnibus numeris tale Opus expolivere, feliciter perficientes, quod vix unquam absolvi posse videbatur. Ita igitur fauste glorioseque Parisiis Anno 1679 primum Tomum typis mandarunt, totum complentes laborem Anno 1701. Ex his celebribus illustrationibus factum est, ut omne aliud D. AUGUSTINI scriptum, diversum ab ista recenti correctione, ineptum reddatur ad inserviendum, tanquam legitimum fundamentum, citationi tam sublimis Doctoris. Siquidem, præter variam Tractatum dispositionem, adest ulterius ipsius textus expurgatio, aliquorum, quondam non attributorum, & vere ipsius Operum recognitio, nonnullorumque aliorum, quæ illius usque nunc sunt habita, reprobatio. Universalis penes Catholicos horum, sic correctorum, Operum necessitas & extrema eorum penuria no-*

quam istam Venetam editionem suscipiendi ansam prabuere. Quam-
 vis enim, propter duas jam Gallie & Belgii peractas editiones, satis
 affluenterque provisum esse aliqui crederent, attamen ita res non se
 habet, cum una tantum existat legitima editio, quæ nullibi amplius ve-
 nalis nunc existit, sed tota jam est distributa, impressa Parisiis amplo pa-
 pyro, annis, ut infra, recensitis. — Primus & secundus Tomus anno
 1679, tertius 1680, quartus 1681, quintus 1683, sextus & septi-
 mus 1685, octavus & nonus 1688, decimus 1690, undecimus 1701.
 Reliqui Tomi Parisiis impressi papyro exiliori, annisq; neutiquam
 supra scriptis, non recognoscuntur a Patribus Divi Benedicti tanquam
 conformes propriae correctioni. Quoad Amstelodamensem vero edi-
 tionem, Antverpiæ nomine pervulgatam, unde quaque reprobatur,
 non tantum propter duodecimum Tomum, multam non sanæ doctri-
 næ copiam continentem, verum etiam propter transcriptionis infideli-
 tatem ipsius Divi Patris textus, quem non solum adulterati sunt,
 multa verba demendo, sed etiam mutilum reddiderunt, integras
 periodos auferendo, præter innumeros errores passim insertos. Diffi-
 cultas autem D. AUGUSTINI correctæ Opera consequendi; preti-
 um non modicum, quo hujusmodi extarent, si reperiuntur; necessi-
 tas tot Magistrorum & Doctorum iis utendi; utilitas quam plurimum
 eruditorum virorum, si illis libere propriis ædibus perfrui liceret, ablato
 incommodo ad publicas locupletesque Bibliothecas accedendi, in men-
 tem induxerunt, ut non solum hæc Veneta editio, undique similes
 Parisiensi autographo, temporibus dictis impresso, institueretur, verum
 etiam traderetur minori quinque annorum intervallo multo correcti-
 or, eisque conditionibus, quoad pretii exiguitatem & temporis ad solu-
 tionem requisiti commoditatem, ut unusquisque, vel non admodum
 dives, haud difficulter eam sibi adipisci posset, edoctus ut infra. Men-
 tem suam aperiet Joanni Baptista Clarello Bibliopola Vcnero, in Via
 Mercatoria, sub signo Leonis aurei, antequam compleatur annus 1706,
 prænumerando libras Venetas novem cum dimidia pro primo Volu-
 mine; & ejus utilitas erit, quoad pretii quantitatem, prænu-
 merare libras novem cum dimidia pro quolibet Volumine, nul-
 lo tamen tegumento illigato; & quoad opportunitatem tem-
 poris, numerare pecuniam, dum recipiet quodlibet Volumen, quod
 illico ac impressum fuerit, ei tradetur. Et cum integrum Opus, levi-
 oris oneris causa, distribuatur in 16 Partes, (quanquam contineat 11

tantum Tomos } concedet complendam 16 distinctis vicibus pecunie solutionem, quæ simul juncta æquabit dimidium pretii, quo stabit Opus, cum completum fuerit, & tertiam partem pretii, quo staret expurgatum Originale Parisiense, si inveniretur. Qui vero extra Venetam Urbem morantur, & hocce commodo comparare sibi cupiunt dicti S. Patris Opera, significare facient nomen suum eidem Joanni Baptista Clarello ab aliquo Veneto incola, qui eodem tempore præsolvet libras novem cum dimidia pro proximo primo Volumine. Cui quoque Veneto incola incumbet, apocham deinceps signare Voluminum, quæ illico, ac impressa fuerint, ei tradentur; toties præsolvendo libras novem cum dimidia pro Volumine subsequente, quoties Volumen antecedens ei exhibebitur. Quando vero collectio concurrentium pervenerit ad illum numerum operum, quæ tali facilitate in mente est distribuere, non adscribetur alius quovis pretio descripto, verum enumeratione librarum 11 pro quolibet Volumine. Qui non soluta, sed illigata Volumina cupiet, pro illigatione, quam rusticam vocant, solvet 24 solidos pro quolibet Volumine, id est, pro toto Opere simul libras 19 & solidos 4, pro illigatione vero charta pergamena peracta, libras 3 pro quolibet Volumine, id est, pro toto Opere simul libras 48. Ad reddendam tutam erogationem pecunie, cui arriserit, præstabitur fidejussio.

LIBRI NOVI.

Apollonii Pergæi de Sectione Rationis libri duo. Accedunt ejusdem de Sectione Spatii libri duo restituti. Præmittitur Pappi Alexandrini Præfatio ad VIIimum Collectionis Mathematicæ cum lemmatibus ejusdem Pappi ad hos Apollonii libros. Opera & studio Edmundi Halley, apud Oxonienses Geometriæ Professoris Saviliani. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1706. 8.

Velleji Paterculi quæ supersunt, id est Historiarum libri II ad M. Vinicium Consulem, cum adnotatis & indicibus Christophori Cellarii. Lipsiæ apud Thomam Fritsch, 1707. 12.

In Medicina facienda remediorum simplicitatem operosæ compositioni præferendam, Oratio septima habita in Patavino Lyceo a Bernardino Ramazzini, Practicæ Medicinæ Professore, die 5 Nov. 1706. Patavii, typis Vid. Frambotti. 8.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anni M D C C V I I.

LES DELICES DE L' ESPAGNE ET DU
Portugal &c.

h. e.

DELICIÆ HISPANIÆ ET PORTUGALLIÆ, &c.
*figuris illustratæ a JOHANNÉ ALVARO
DE COLMENAR.*

Tomi V.

Lugduni Bat. apud Petr. Van der Aa, 1707, in 12.

Alph. 3, pl. 17 & figg. æn. pl. 24 ch. aug.

QUam in præfatione hujus libri pollicitus est Auctor no-
ster voluptatem literatoribus ex collectione variarum
Antiquitatum; Geographis, exactiori hujus regionis
notitia; militibus, designatione fortalitorum tuendis
hisce provinciis destinatorum; mercatoribus, recensione em-
poriorum maxime celebrium, merciumque ibidem præ aliis ve-
nalianum; peregrinantibus rerum, vel antea non sine admiratio-
ne spectatarum, dulci memoria, vel mox videndarum accura-
to indicio; omnibus demum, qui variarum rerum cognitione
delectantur, cujuscunque ordinis sint vel dignitatis, descriptio-
ne horum Regnorum accuratiori; hanc inquam voluptatem
omnes, quos opus ipsum evolvere haud pigebit, abunde per-
cipient. Eamque insuper non parum adaugere annisus est, quem
alias jam laudavimus, Lugdunensium apud Batavos Biblio-
pola solertissimus Petrus Van der Aa, additis figuris quam pluri-

N

mis

mis accuratissime delineatis atq; pereleganter in æs incisiss; quippe qui pari ornatu superiori etiam anno *Italiae Delicias* auctore *de Rogissari* edidit, & nunc *Angliae, Scotiae atq; Hiberniae Delicias* parat. Animus autem fuit hujus operis Auctori, accuratiorem iis, quæ hactenus extitere, provinciarum Hispanicarum adornare descriptionem; hinc, instituti sui memor, præmissis iis, que de situ regionis, magnitudine item ac nominibus variis, ut & fluviis montiumque jugis nobilioribus in univèrsum commemoranda fuere, quæ Veteris Hispaniæ provinciæ, quinam incolæ earundem, quique mores horum fuerint, quæ etiam soli natura, paucis recenset; additis insuper notabilioribus status istius Reipublicæ, quæ inde ab antiquissimis temporibus contigere, mutationibus. Hoc factò præsentem nobilissimæ hujus Orbis Europæi partis conditionem, diligentius scrutatur, insertis locorum rerumq; visu digniorum delineationibus, a *Colmenario*, qui pleraque suis oculis vidit, factis. Quandoquidem vero hæ provinciæ Hispanico partim, partim Lusitanico jam parent imperio, ab illarum descriptione exorsus Auctor noster, per Cantabriam, provinciam maxime septentrionalem Galliaque conterminam, ad Astures comitatur lectorem, post in Gallæciam. Mox in Regni viscera penetrans Castellam Veterem pariter ac Novam peragrat, & quæ Mantuæ Carpentanorum inque vicinis eidem palatiis Regiis videri merentur, attentius considerat. Hinc meridiem versus in Vandalitiam pergit, tum ad Granatenses, Murcianos & Valentianos divertit; unde in Arragoniam atque Navarram progressus in Catalaunia subsistit, facta insimul excursione in vicinas huic insulas Balearides. Tum demum separata a reliquis Hispaniæ provinciis Portugalliæ Algarbiæque Regna perlustrat, atque subnexis iis, quæ de aeris temperamento, fertilitate regionis, moribus gentis, Sacris item ac Reipublicæ administratione aliisque apud Lusitanos pariter atque Hispanos iter illuc facientibus hodiernum observanda veniunt, coronidem huic operi, quinque tomos complexo, feliciter imponit. Nos, ut specimen aliquod extet rerum singularium hoc in libro contentarum, paucula quædam nunc delibabimus. Et sane omni-

no notari meretur, quod pag. 107 seqq. de populi, Cantabricos agros hodie incolentis, lingua refert Noster. Hæc scilicet cum aliis apud reliquas gentes Europæas hoc tempore florentibus nihil prorsus commune habet, insigni argumento, quam reconditæ sit antiquitatis. Quamvis vero per universam hanc provinciam, Bajonam usque, emporium Aquitaniæ celeberrimum, usus ejusdem obtineat, incolæ tamen nihil prorsus hac lingua solent literis mandare, sed, prout vel Hispanorum vel Gallorum subjacent Regibus, unam vel alteram linguam usui huic adhibent, ejusdemque notitia liberos suos mature curant imbuendos. An invidia hoc fiat, ne exteris quoque hæc ipsorum lingua innotescat, an verborum inopia, quod alii putant, incertum. Cæterum auditu ipsa non ingrata esse perhibetur, ejusdemque maxima pars vocabulorum, quantum quidem ad nomina spectat, ubi de singulis sermo, in *a*, de pluribus autem, in *ac* terminatur. Ex. gr. cœlum vocatur *Cerua*, plur. *Ceruac*; terra, *Lurra*, plur. *Lurrac*; Sol, *Eguzquia*, Luna, *Irarguia*; stella, *Izarra*; nubes, *Odeya*; ignis, *Sua*; fluvius, *Ibaya*; vicus s. pagus, *Vria*; domus, *Echéa*; lectus, *Ocea*; indusium, *Acandorea*; panis, *Oguia*; vinum, *Ardáoa*; piscis, *Arraya*; maritus, *Senarra*; matrona, *Andria*; senex, *Zarra*; mas, *Guizona*; foemina, *Emaztea*; pater, *Aytea*; mater, *Améa*; frater, *Anagéa*; soror, *Arrevéa*; filius, *Seméa*; filia, *Alavéa*; corpus, *Gorpuza*; pulchrum, *eder-rà*; bibo, *edatendòt*; lego, *iracurtendot*; amare, *oneréxtea*; dormire, *lonazà*; videre, *bacust*; edere, *jan*; curro, *laster eguidendòt*; album, *Zuria*; rubrum, *Gorria*; nigrum, *Belza*; caro, *Araguia*. Numerare hunc in modum solent: *bat*, donotat unum; *bi*, duo; *irù*, tria; *lau*, quatuor; *bost*, quinque; *sey* sex; *zazpi*, septem; *zorzi*, octo; *vedrazi*, novem; *amar*, decem; *oguèy*, viginti; *oguéytamar*, triginta; *berroquey*, quadraginta; *berroguéytamar*, quinquaginta; *yruroquey*, sexaginta; *yruroguéytamar*, septuaginta; *lauroquey*, octoginta; *lauroguéytamar*, nonaginta; *eun*, centum. Quam numerandi rationem cum Galli quoque nunc servant, qui v. g. per *soixant* & *dix* denotant septuaginta, per *quatre vints*, octoginta &c. non immerito conjicit Noster, ipsos temporibus Henrici IV, Regis e

Benearnia oriundi hunc in morem transiisse. Ut vero tanto facilius de hac lingua judicare queant lectores, exemplum apponit Noster Orationis Dominicæ, quæ apud Cantabros, adscitis paucis e lingua Hispanica verbis, quorum usus nimirum Cantabris, qui res iis designatas ignorabant olim, non fuit, sonat:

Gûre Aita ceruëtan aicena,

Sanctifica bedi hire icena.

Ethor bedi hire Resuma.

Eguin bedi hire vorondatëa, ceruãñ beçala lurrean-ere.

Gure eguneco õguia iguc egun.

Eta quita ietzaguc gure çorrac, nola guçere çordunëy quit-tazen baitravegu.

Eta etzgaitzala sar eraci tentationetan, baina delura gaitzac gaichtotic.

*Eçen birea duc Resuma, eta puissança, eta gloria seculacotz.
Amen.*

Pag. 308 Epitaphium Cardinalis Ximenii in templo Collegii Magni, quod Compluti ab ipso fundatum est, sepulti nobis sistit, his verbis:

Condideram Musis Franciscus grande Lycæum,

Condor in exiguo nunc ego sarcophago.

Prætextam junxi sacco, galeamque galero,

Frater, Dux, Præsul, Cardineusque Pater.

Quin virtutemea junctum est diadema cucullo,

Quum mihi regnanti paruit Hesperia.

Notatu digna quoque sunt, quæ pag. 332 seqq. de Officio Mosarabico traduntur, cujus memoria, postquam aliquot seculorum intervallo sepulta quasi jacuisset, ab eodem Cardinali Ximenio fuit resuscitata. De eo quoniam obiter tantum superiori Mense pag. 66 actum est, non erit ab hoc loco alienum, rem paulo luculentius ex nostro Auctore recensere. Ita vero se res habet. Gothis, qui Arianorum sectæ addicti fuerant antea, ad puriorem fidem, conversis, Isidorus Hispalensium Archi-Præsul, Concilii IV Toletani jussu, certam aliquam cultus divini formam præscripsit, composito hunc in finem libro, quem Officium vocant, Psalmodias, precum item publicarum missarumque formulas continente. Qui ritus tum ubivis in templis eorundem

rundem usurpari cœperunt, atque integrum ferme sex seculorum spatium perdurarunt; donec, Mauris totam pœne Hispaniam occupantibus, veteres ejusdem incolæ Christiani longe lateque dispergerentur. Toletanis tamen, quibus etiam hoc barbarorum jugum erat subeundum, & conscientiæ libertas & sex insuper templa relinquebantur a victoribus, in quibus avita Sacra ad præscriptum Officii hujus Isidoriani constanter peregerunt, a Maurorum quodam Principe Moza Mistarabes sive Mosarabes vocati. Post trium seculorum lapsum, anno scilicet a N. C. 1039, cum Toletum Mauris iterum eripuisset Alphonsus VI, de restaurando, qui hæctenus ibidem obsoleverat, cultu Christiano cœpit cogitari. Ubi quidem Regis ejusque uxoris Constantiæ, quos Papa per Nuncium stimulabat, is fuit animus, ut, ritu veteri (Mosarabico nimirum) sublato, Romanus introduceretur. Sed intercedebat Clerus una cum Ordine equestri & Populo, quibus grave erat aboleri consuetudines Ecclesiæ suæ, tam diu frequentatas, atque tot Conciliorum approbatione firmatas. Post multas disceptationes res eo devenit, ut, pro more seculis istis, barbaris nimirum, usitato, controversiam hanc duello dirimendam judicarent. Rex itaque virum nobilem delegit, qui partes Officii Romani tueretur, Populus & Clerus alium, qui Mosarabici; postremus vicit; hinc totius Ecclesiæ judicium, Deum suæ causæ fuisse adiutorem. Sed neque hic pars adversa manus dabat, quæ anticipem armorum fortunam esse causabatur; alia igitur viam tentare placuit. Jejunium indicitur, preces publicæ fiunt, solennes per urbem pompæ ducuntur. Omnibus in primario urbis foro congregatis ingens rogos accenditur, cui Missale utrumque, Romanum pariter ac Mosarabicum, injiciunt; Rege interim Populoque precibus Deum sollicitantibus, velit, quæ sit hac in re voluntas ipsius, dato signo aliquo facere manifestum. Ferunt Missale Romanum illico fuisse combustum, altero ab igne illæso permanente. Hæc quidem sufficere poterant ad Regem de præstantia Officii Mosarabici convincendum, quippe quod cœlum suffragio ipsum suo probasset. Ast hic, propositi tenax, ut Romanum introduceretur, perfecit; id sal-

tem gratiæ ab ipso datum est Toletanis, ut in vetustioribus parochiis suis Officium Mosarabicum retinere possent. Verum ibi quoque seculis subsecutis paulatim in desuetudinem abiit, omni prorsus memoria ejus ex animis hominum deleta, cum Ximenius illud, characteribus Gothicis exaratum, & in veteri codice MSCto repertum, in lucem iterum protraheret. Is non sine magnis sumptibus sacrarium, a Mosarabibus nomen gerens, extruxit, ibidemque duodecim Canonicorum Collegium fundavit, qui suo sub Decano viventes, quotidie Missam recitare solent, atque ad ductum hujus Officii Sacra peragere. Plura quidem hic adduci possent lectoribus minime ingrata; ut cum pag. 832 sceptrum atque corona Lusitanica ex auro, quod Tagus vehit, fabrefacta perhibentur. Sic pag. 835 singulare vehiculi genus describitur, apud Hispanos iter facientes usitatum, quibus id ipsum *galera* vocatur; hoc adeo spatiosum esse dicitur, ut quadraginta homines una cum impedimentis necessariis eodem simul vehi possint, ibique & victum sibi, ceu in culina, præparare, & æque commode, ac in hospitio aliquo, somnum capere. Similiter pag. 847 Augustissimus Lusitanorum Monarcha Petrus II, quem nuper admodum, V nimirum Idus Decembris anni proxime elapsi, terris ereptum dolemus, adeo vini abstinens fuisse memoratur, ut vel solo odore offenderetur. Verum hæc atque innumera alia sicco pede præterimus, id unice adhuc monentes, illos, quibus volupe est veterum Inscriptionum reliquias spectare, pag. 126. 153. 158. 167. 191. 339. 368. 378. 381. 382. 403. 404. 412. 416. 440. 441. 488. 515. 517. 521. 558. 566. 568. 619. 624. 709. 718. 748. 775. 784. 797. 798. 799. 800. 803. 804. 805. 806. 811 abunde reperturos, quo desideriis suis facere queant satis. Nobis, qui brevitati studemus, easdem indicasse sufficiat.

*APOLLONII PERGÆI DE SECTIONE RATIONIS
Libri duo. Accedunt ejusdem de Sectione Spatii Libri
duo restituti. Premittitur Pappi Alexandrini Prefatio
ad VIIimum Collectionis Mathematicæ cum Lemmatibus
ejus-*

*ejusdem Pappi in hos Apollonij Libros. Opera & studio
Edmundi Halley, apud Oxonienses Geometriae
Professoris Saviliani.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1706, 8.

Constat plag. 12 $\frac{1}{2}$.

Librorum de Sectione Rationis Apollonianorum brevem
sed satis accuratam descriptionem dudum dedit Pappus in
præfatione Operi præsentis præmissa, quæ ex versione Hallejana
ita habet. Duo sunt libri de Sectione Rationis, sed unam
tantum faciunt propositionem subdivisam: quare unam illam,
sic describo: *Per datum punctum rectam lineam ducere, qua
aufert a duabus rectis positione datis segmenta, punctis in iisdem,
dati adjacentia, datam rationem inter se habentia.* Diversas
autem multasque figuras habere contigit ob subdivisionem fa-
ctam, & ob diversas rectarum datarum inter se positiones ca-
susque puncti dati differentes, propterque Analyfes & Com-
positiones horum casuum, ut & diorismôn. Habet autem
liber primus de Sectione Rationis loca septem, casus viginti,
quatuor, diorismos vero quinque: quorum tres sunt maximi,
& duo minimi. Maximus quidem est ad casum tertium loci,
V. Minimi vero sunt ad casus secundos locorum VI & VII.
Reliqui autem maximi sunt ad casus quartos eorundem lo-
corum VI & VII. Liber posterior de Sectione Rationis lo-
ca habet 14, casus vero 63; determinationes autem ex primo
ad quem quasi totus refertur. Lemmata habent hi duo li-
bri 20, itidemque figuras (sive schemata) habent 181 vel et-
iam plures juxta *Periclem*. Hi libri hæctenus pro deperditis habiti
sunt ab eruditis: nunc vero non sine insigni Analyseos Geo-
metricæ studiosorum emolumento a celeberrimo Hallejo præsen-
tes Orbi erudito sistuntur. Bibliotheca scilicet *Bodlejana*, quæ
ingentem librorum rariorum thesaurum custodit, inter Co-
dices MSS. *Seldeni* librum asservat Arabicum, qui cum ante an-
nos plures in manus *Ed. Bernardi*, Astronomiæ Professoris Sa-
viliani, linguarum Orientalium peritissimi, incideret, cumque
vir eruditissimus traditam ante Pappi descriptionem librorum

Apolloni

Apollonii περί λόγος ἀποτομῆς exacte illi convenire deprehenderet, foetum *Apollonii* extemplo agnovit. Arabicum vero illud MSS. ex lingua Græca in Arabicam traductum esse, probat *Hallejus*, quod in diagrammatis lineæ notas juxta ordinem alphabeti Græcorum dispositas habeant, qui ab ordine alphabeti Arabum plane diversus. Factam conjicit hanc translationem circa annum Christi 820, auspiciis *Almaimonis* Califæ s. Imperatoris *Saracenorum*. MSSum vero adscriptum habet nomen possessoris anno Hegiræ 613, i. e. Christi 1235. Cum *Bernardus* inventum tam præclarum Orbi litterario non invidendum censeret, ei vertendo operam dedit; sed vix decimam partem absolvit. Ipso mortuo, hortatu *D. Henrici Aldrich* S. T. P. & Collegii *Ædis* Christi Decani, Fautoris nostri æstumatissimi, in versione *Bernardina* loca nonnulla castigavit, totumque opus manu eleganti describi curavit *David Gregorius*, cujus nomen Acta nostra legentibus non minus, quam Mathematicis notum. Tandem cum, *Wallisio* fatis cedente, Professio Geometriæ Saviliana ad *Hallejum* devolveretur, is versioni MSSi a memorato *Aldrichio* communicati solertia incredibili incubuit: neque enim solum codex punctis diacriticis plerumque destituebatur, integra verba & periodi sæpius erant omissa, & diagrammatum lineæ litteris male signatæ, sed ipse etiam litteraturæ Arabicæ prorsus ignarus. Nempe beneficio schedarum a *Bernardo* traductarum primum voces excerpfit, quarum significatum *Bernardi* versio prodebat, dein ad argumentum respexit, & ita multo labore sensum eruit, lacunasque supplevit. De suo quæ addidit, alio caractere sunt expressa. Adjecit autem etiam scholia, quorum ope loca Geometrica, rectas omnes datam rationem abscindentes contingentia, designari possint.

Enimvero præter duos *Apollonii* de Sectione Rationis libros duos adhuc alios ejusdem Autoris de Sectione Spatii commemorat *Pappus* in præfatione laudata, qui continent resolutionem problematis priori de Sectione Rationis admodum similis & hoc solo differentis, quod in illo oporteat segmenta duo abscissa rationem habere datam, ast in hoc datum continere rectangulum. Ita a *Pappo* effertur: *Per datum punctum rectam*
lineam

lineam ducere, quæ auferat a rectis duabus positione datis segmenta, datis in ipsis punctis adjacentia, quæ rectangulum æquale dato comprehendat. Cum itaque in codice Arabico hi duo libri non comparerent, utpote jam olim deperditi, ob materiæ tamen affinitatem prioribus jungi mererentur; eos propriis meditationibus ita restituit *Hallejus*, ut ab ipsius *Apollonii* opere non multum discrepare confidat. Hoc vero opus Analyseos Geometricæ studiosis apprime utile prædicat, quia habent exemplum problematis plani per omnes casus plenissime soluti. Cæterum cum præstantiam Analyseos Veterum, cujus egregium in his libris *Apollonii* specimen continetur, maximi fieri debere judicet *Hallejus*, nec dubitet, quin in aliis Bibliothecis inter MSS. Arabica forte lateant Tractatus veterum Analytici reliqui a *Pappo* commemorati, eruditos hortatur, ut Bibliothecas excutiant, & libros utilissimos ex pulvere protrahant: quod ut tanto facilius fieri posset, præfationem *Pappi* sæpius jam memoratam & Græce antehac non excusam, quæ una Scriptorum Analyticorum veterum memoriam servat, ex duobus codicibus MSS. Bibliothecæ *Saviliana* integritati suæ (quantum fieri potuit) restitutam una cum versione accurata operi præmisit, imprimis cum *Commandini* versio, ipso judice, in plerisque sit absurda & insulsa. Præterea hunc quoque in finem accuratam illius præfationis dedit versionem, ut constaret, *Cartesium* in doctrina de Locis Veterum laudi detraxisse, & regulam *Guldini* centrobarycam ipsis etiam Veteribus innotuisse, certe *Pappo* annis 1200 ante natum *Guldinum* perspectam fuisse. Ad calcem præfationis prima 20 Lemmata e libro 7 *Collect. Mathematic. Pappi* excerpta comparent, quia in demonstratione illa assumit *Apollonius*. Equidem monitum ad eruditos de conquirendis libris veterum Analyticis inutile videri poterat, tum quia talia nullam difficultatem creant Analyseos modernæ seu Algebrae perito, tum quia Mathematici recentiores illis instaurandis operam navarunt, nempe libris de Sectione Rationis & Spatii, item Sectione determinata *Willibrordus Snellius*, de Tactionibus *Franciscus Vieta* in *Apollo Gallo*, de Locis planis *Fermatus* in operibus posthumis, de Inclinationibus *Marinus Gethaldus*, de Locis solidis *Vincentius Viviani*:

Viviani: aliud tamen asserit *Hallejus* problema aliquo modo resolutum dare, aliud methodo elegantissima id ipsum efficere, Analyfi brevissima & simul perspicua Synthesi concinna & minime operosa, quod præstitere Veteres. Et profecto dudum notavit summus Geometra *Leibnitius*, Analyfin nostram minus concinnas suppeditare constructiones Geometricas: licet enim subinde tales dentur ab Analystis recentioribus, quales omnino in Geometria *Gerardi van Kinckhuysen* occurrere diffiteri nequit, non tamen immediate ex æquatione problematis constitutiva, sed aliunde potius desumuntur. Denique orbis eruditus non minus, quam *Hallejus* gratias habebit longe maximas Viro celeberrimo & de re litteraria longe meritissimo, *D. Joh. Hudsono* S. T. P. Bibliothecæ *Bodlejanæ* Præfecto, quod summam curam adhibuerit, ut nitidum & emendatum prodiret opus Geometricis longe gratissimum, & nos præsertim habemus, quod ejus munere tam cito operis desideratissimi copia facta fuerit. Non ingratum fore Lectoribus arbitramur, si ex sæpius laudata *Pappi* præfatione indicemus scripta Veterum Analytica. Sunt autem sequentia: *Euclidis* de *datis* liber unus; de *Porismatibus* III; de *Locis ad Superficiem* II: *Apollonii*, de *Sectione Rationis* II; de *Sectione Spatii* II; de *Sectione determinata* II; de *Tactionibus* II; de *Inclinationibus* II; de *Locis planis* II; *Conicorum* VIII: *Aristæi* de *Locis solidis* V; *Eratosthenis* de *Mediis proportionalibus* II.

RESOLUTIONEN DER HEEREN STATEN
van HOLLAND ende WEST-VRIESLAND
van Consideratie;

feu

DECRETA STATUUM HOLLANDIÆ
FRISIÆ QUE Occidentalis notatu digniora; a
die II. Aug. A. MDC LIII. quum JOANNES de
WITT Status-Pensionarii, ut vocant, spartam dignita-
temque ornare cœperat, usque ad diem XIX. Dec.
A. MDC LXVIII. facta.

Trajecti

Trajecti ad Rhenum, apud Wilhelmum vande Water, Acad.

Typogr. 1706. in 4.

Alph. 4. plag. 15.

Quæ in unis alterisve tantummodo Magnatum in Belgio imperantium musæis vel aliorum etiam quorundam bibliothecis, instar pretiosi depositi, latuerunt *Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis Decreta*, ætate maxime Joannis de Witt, Status-Pensionarii, facta, ea nunc altera quadam editione, ad communem omnium usum, in lucem protrahere, operæ pretium visum fuit. Ordiuntur ea a die II. Aug. A. M DCLIII. & varia circa res militares, civiles & ecclesiasticas Statuum Præpotentium decreta atque conclusa, usque ad diem XIX. Dec. Anno M DC LXVIII. juxta dierum & annorum, quibus de iis in senatu magno actum est, seriem, ex authenticis documentis recensita, complectuntur. Ac quum inter illa *Deductio* seu *Declaratio* Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis emineat, qua post vera liberi in Belgio confœderato imperii fundamenta asserta *Decretum* maxime *seclusionis Statuum Hollandiæ Frisiæque Occidentalis*, die IV. Maj. A. M DC LIV. contra Principis Arausionensis ad *Capitanei* sive *Gubernatoris Generalis* in Belgio dignitatem evectionem, die IV. Maji, A. M DC LIV. initum longa apologia adstruitur, vel ex hujus saltem *deductio*nis succincta quadam enarratione universi operis præstantiam, in tanta rerum ubertate, satis dijudicari posse existimamus.

Delata autem fuit ista *Deductio*, per Deputatos quosdam antea concepta, ad prælectionem, confirmationem & registraturam in Senatum Ordinum Hollandiæ Præpotentium die XXV. Julii A. M DC LIV, & ubi tum publice approbata, tum per Statuum typographum ordinarium, determinato exemplarium numero, typis exscripta fuerat, ad Provincias universas, communi consilio, missa. Occurrit in ea primum totius facti narratio, quæ, ut paucis multa complectamur, huc redit. Videlicet eo sanguinolento illo Belgarum cum Anglis bello, tempore *Cromwelli*, Reipublicæ Anglicanæ, ut tum vocabatur, *Protektoris*, res devenerant, ut Angliæ tum Magnates imperantes cum Deputatis Belgarum in aula Westmonasteriensi

riensi die XXVIII. Nov. A. [M DCLIII. de viginti septem] pacis ineundæ articulis agerent, quos inter Angli duodecimum hunc esse volebant: *Ut neque Status Generales Provinciarum, Belgii confœderatarum, neque Status quidam earundem particulares, ullo unquam in posterum tempore, WILHELMUM, Principem Arausionensem, postremi Regis Angliæ nepotem, vel ullum ejus Descendentium, Capitaneum, Gubernatorem & Imperatorem castrorum, copiarumque suarum Generalem, vel aliquarum saltem suarum urbium, arcium, castellorumve Gubernatorem, vel etiam classium, navium, copiarumque maritimarum Præfectum summum facerent, constituerent & decernerent; quin potius ejusmodi aliquorum consilio & decreto, sive jam suscepto, sive adhuc suscipiendo, ipsa re se quam severissime opponerent.* Diu multumque de rati habendo hoc articulo apud Belgas & cum Anglis agitabatur, quod ne ullum in eo Angliæ Protector momentum mutatum vellet. At quum tamen quidam Anglorum imperantium articuli hujus in secretam aliquam clausulam mutationem suaderent; alii vero eum vel in ipsa pacificatione, vel in annexa eidem clausula quadam secreta hoc modo leniri & attemperari posse censerent: *Ut quemcunque unquam Ordines Belgii confœderati omnes, vel aliqui, Capitaneum Generalem, aut copiarum suarum terra marique Imperatorem, aut etiam unius alteriusve saltem Provincia Gubernatorem forte facerent & constituerent, is maxime fidem suam ad servandam sancte præsentem pacificationem omnesque ejus articulos juramento adstringere teneatur:* non dubitarunt Hollandiæ Ordines Præpotentes hoc articuli duodecimi temperamentum amplecti, atque inde etiam Deputati eorum in Anglia, Domini de Beverningk & Nieupoort, Legatorum Extraordinariorum jam nomine & dignitate ornati, pacis consilia & deliberatione, shucusque interruptas, reassumerunt. Felix jam sperabatur totius pacificationis tam diu agitatae exitus; quem vero denuo interceptum & retardatum videbant Belgæ, quod Protector, temperamento illo non satisfactum desiderio suo credens, in rati habendo articulo duodecimo, ut primum conceptus erat, tenaciter persisteret. Diu se Beverningkiius postulato isti, gravissimis quidem argumentis, op-
pone-

ponebat; quibus tamen nihil aliud impetrabat, quam ut per Status Angliæ Secretarii litteras quasdam intelligeret, eam esse Protectoris demum voluntatem & declarationem, ut Ordines Hollandiæ Præpotentes particulari quodam documento seu instrumento, Status sui sigillo obfirmato, ad servanda articuli memorati duodecimi momenta omnia se obstringerent. Delectabat & hoc etiam Beverningkius cum Nieupoortio masculine, quod eo iussa & instructionem suam se non extendere demonstrarent. Ast quum Protector per Status Angliæ Secretarium ipsis significaret, se articulum illum ut fundamentum omnis pacificationis respicere, unaque protestari, se vero & sincero in Status Præpotentes eorumque Provincias affectu trahi, nihilque aliud quærere, quam pacem æternam duraturam; quæ vero æternam duratura non sit, si vel Principi Arausionensi, vel alicui ejus posterorum, utpote ex familia Stuartorum descendendum, summæ Status sui dignitates deferantur; eamque in rem se instrumenti pacis ratihabitionem & mutuam extraditionem postulare, hac tamen conditione, ut si Domini Legati particulare istud Articuli duodecimi documentum sistere jam non possent, istud tamen intra duarum aut trium mensium spatium exhibendi promissa darent certissima: idcirco hac Protectoris declaratione ad referendum assumpta de reliquis interea pacis articulis cum Anglis convenerunt, ne aliæ eæque ancipites magis & graviores rerum mutationes in pacificatione tum adeo necessaria suborirentur. Quæ ubi per Legatorum suorum litteras intellexissent Status Hollandiæ Frisiæque Occidentalis Præpotentes, unaque perspicerent, omnem belli pacisque eventum a documento prædicto pendere, re omni diu multumque ponderata, die demum IV. Maji A. M DCLIV. in senatu suo decretum fecerunt: *Ut Ordines Hollandiæ Frisiæque Occidentalis nunquam Principem Arausionensem aut ullum ejus lineæ Capitaneum vel Gubernatorem suarum Provinciarum constituerent, neque etiam permetterent, quantum ad se suarumque Provinciarum vota spectaret, ut ille unquam militiæ Generalitatis, prout ajunt, Capitaneus Generalis cooptaretur.* Missum fuit hoc decretum documento quodam, ut conventum erat, particulari consignatum

gnatum & obfignatum in Angliam ad Dominos *van Beverningk & Nieupoort*, Statuum Legatos, quod cum Protectore Anglisque suis communicarent, hac tamen lege, ut reperita denuo prius vice omnibus viribus, consiliis & studiis eo allaborarent, num forte Celsissimum Protectorem a postulato illo suo dimovere, & ad aliud quoddam pacis consilium mitius permovere possent. Faciebant Deputati, quod poterant, ac ea propter etiam se relati modo decreti documentum accepisse dissimulabant: ast quum omne consilium omnemque operam frustra plane esse viderent, maxime quod præcipitantes Deputatorum ceterarum quarundam Provinciarum motus, & zelus, prout conqueruntur, plus justo incensus, ansam Anglis aliud quippiam suspicandi dedissent, denique documentum istud famosum tradiderunt.

Quam rem quum Status præsertim Zelandiæ, una cum Groningæ aliarumque quarundam Provinciarum & civitatum Deputatis non uno omnes eodemque oculo ac animo intuerentur, & multi præjudiciorum maximorum plenam esse contenderent; jam facti narratione præmissa, amplam facti istius sui deductionem & declarationem subjungunt. Ubi quidem primo loco contra sentientium argumenta distincte recensent, quæ tum ipsam seclusionem Principis Arausionensis in abstracto, tum Angliæ Regnum, tum Status sui Rempublicam, tum quoque domum speciatim Arausionensem concernere monent. Quoad primum enim obvertebant contra sentientes, quod 1. Decretum illud seclusionis Principis Arausionensis cum constitutione & natura Unionis magnæ A. M DLXXIX. inter Provincias foederatas factæ pugnaret, qua nulla Provinciarum a deliberationibus ullis sit excludenda, ne quicquam aliis præjudicio fiat, & ut libertas inconcussa perstet; quod 2. idem cum Declarationibus Confœderatorum omnium, tam ore, quam manu, extraordinaria quadam congregatione A. M DCLI, in Aula Hollandiæ, datis pugnet; & quod 3. seclusio absque ulla speciatim cum Statibus Zelandiæ communicatione per solos Hollandiæ Frisiæque Ordines concludi non potuerit. Atque hæc sunt argumenta, quæ ipsam seclusionem in abstracto

concer-

concernunt. Quod secundo ad Angliæ Regnum attinet, objicie-
 ant contra sentientes, quod 4. articulus seclusionis a scopo & sen-
 su pacificationis cum Republica, ut tum vocabant, Anglicana, e-
 jusque Celsissimo Protectore conclusæ deflectet, eique decimus
 ejusdem articulus plane obsistat; quod 5. ille absque præviis
 litteris significatoriis & consensu omnium Provinciarum ad
 Unionem pertinentium non legitime rati haberi, multo minus
 Protectori per Generalitatis Statuum, ut vocant, Ministros
 extradi potuerit; & quod 6. idem cum decreto Statuum Hol-
 landiæ die XIX. Febr. A. M DCLIV & attemperamento tum
 approbato pugnet. Porro si ipsam tertio Statuum Rempubli-
 cam respicias, contendebant contra sentientes, quod 7. decre-
 tum seclusionis libertati tanto pretio coemtæ contrarietur, eam-
 que ut & jus Status absolutum, ac reliquarum Provinciarum jura
 summa sit turbaturum, quod 8. idem præjudicium subjectionis
 & pusillanimitatis, una cum despectu Status, apud alios Reges,
 Principes & Respublicas ipsis sit allaturum; & quod 9. dissen-
 siones & factiones tum inter ipsos Provinciarum Status imperan-
 tes, tum inter subditos Statuum ex seclusionem ista sint resultatu-
 ræ. Quod denique ipsam speciatim Domum Arausionensem
 spectat, instabant, quod 10. decreto illo Princeps Juvenis Arau-
 sionensis, una cum descendentes suis, jure & potestate præro-
 gativarum, civitatis jure ipsi competentium, defraudetur; tum
 quod 11. defraudatio vel seclusio illa ingratitude futura sit in
 domum Austriacam, tam bene meritam, ultra modum enor-
 mis; adeoque satius fuisset, decretum istud plane seponere.

At respondent ad hæc omnia Status Hollandiæ Frisiæque
 Occidentalis, primo in universum, quod Provincia Hollandiæ
 omnino, vi potestatis & jurisdictionis suæ absolutæ, sine prævia
 cum ceteris Provinciis communicatione, earumque consensu de-
 cretum seclusionis peremptorie facere potuerit: quoniam sin-
 guli Provinciarum Status, vi Unionis istius magnæ, jus & pote-
 statem habeant absolutam de omnibus rebus, quarum in Unionis
 articulis nulla mentio fieret, vel quæ particulari Provinciarum
 consensu Generalitati non essent commissæ, id negative vel posi-
 tive ordinandi & decernendi, quod ad provinciarum suarum, in-
 colarum-

colarumve interesse pertinere, vel alio quocunque nomine necesse esse, ipsis visum fuerit; ceu id quoque documentum Statuum Zelandiæ, die XXX. Junii anni præsentis, congregationi Statuum Hollandiæ præsentatum, in ipsis terminis haberet. Consequi inde, quod cuiusvis sigillatim Provinciæ potestas absoluta competat de constitutione Gubernatoris vel Capitanei Generalis aut ejus seclusionem, absque consiliorum cum aliis Provinciis prævia communicatione, hoc vel illud decernendi. Atque ita jam, ut rem exemplis & facto comprobent, in ipso Reipublicæ suæ principio Status Hollandiæ Frisiæque Occidentalis separatim & sine ullo alterius Provinciæ consensu, masculo consilio juramentoque secreto decrevisse, quod nunquam Regem Hispaniarum Provinciæ suæ Herum & Principem velint agnoscere; neque nomen, sigillum & titulos ejus in suis amplius decretis vel conclusis usurpare. Ita eosdem Status Ducem Andegavensem, Regis Galliæ fratrem & Belgii confœderati Protectorem, quum A. M. D. LXXXIII. mense Januario Antverpiam aliasque Statuum urbes potestati suæ impetu improvise, & ipsarum Status copiarum ope, subjicere tentasset, heroico facinore a Protectoris in Provincia sua dignitate seclusisse. Atque ita etiam Comitem Leicestriæ ab eadem Gubernatoris & Capitanei Generalis dignitate fuissent seclusuri, nisi ipse in tempore Rempublicam deseruisset. Secundo respondent, quod in congregatione magna A. M. DC. LI. habita nullæ declarationes factæ fuerint, quibus seclusio toties memorata repugnare possit; cum nulla in illis Principis Arausionensis ad supremas provinciarum suarum dignitates vehendi mentio occurrat. Tertio ostendunt, quoad, & in quibus rebus Hollandiæ & Zelandiæ Status per confœderationes suas particulares A. M. D. LXXV. & M. D. LXXVI. initas tenerentur, communicatis consiliis & non separatim quicquam decernere. Discrimen enim hic faciendum esse volunt inter constitutionem Gubernatoris in universum, quæ sine prævia utriusque Provinciæ notitia fieri non posset; & inter seclusionem vel promotionem hujus aut istius personæ ad prædictam dignitatem specialem, quæ, salva confœderatione particulari, tum Zelandiæ tum Hollandiæ libera permanerent. Quarto commonstrare

contendunt, quod decretum seclusionis nullatenus cum articulo decimo pacificationis, cum Angliæ Protectore conclusæ, pugnet. Nam utut articulus ille in terminis ita se habeat: *Ut nulla Provinciarum & Civitatum, neq; ulli earundem Deputati cum vicinis Principibus & Rebuspublicis confederationem aliquam aut unionem, absque confederatarum Provinciarum consensu, ineant*: in confesso tamen monent esse apud omnes, quod quidem omnes confederationes & uniones sint tractatus, contractus, compactata & promissa reciproca; at quod vice versa omnes tractatus, contractus, compactata & promissa reciproca non etiam illico sint confederationes & uniones, perinde ac quidem omnes tractatus sint contractus, compactata & sponsiones, non autem vice versa omnes contractus, pacta & sponsiones sint tractatus seu transactiones. Cumque adeo seclusionis decretum, de quo nunc lis est, ad Angliæ Protectoris instantiam perpetuam pacificationi annexum, declaratio tantum sit & sponsio obligatoria, de re quadam particulari, a sola Statuum Hollandiæ potestate absoluta dependente; & præterea post conclusam cum Anglis pacificationem memoratam Provinciæ foederati Belgii quædam separatim, quædam conjunctim cum vicinis Regibus, Rebuspublicis & Principibus varios contractus & tractatus simplices concluderint; cujus rei unum alterumve tum Statuum Geldriæ, tum Statuum Ultrajectensium, tum Statuum Hollandiæ & Zelandiæ exemplum adfertur: inde pacificationis Anglicanæ violationem sibi jure opponi non posse existimant. Quinto respondent, quod de privatis & particularibus cum exteris Regibus, Principibus & Rebuspublicis colloquiis vel tractatibus nullius Provinciæ Status ceteris confederatis suis notitiam facere teneantur, ceu ex facto atque exemplis quoque constat; quodque adeo etiam Status Hollandiæ de eo, cujus propalationem non ob unas rationes prægnantes inconsultam ducebant, libere & privatim cum Reipublicæ Anglicanæ Protectore tractare potuerint; quodque non obstat, seclusionis istud negotium per Generalitatis Statuum Ministros & Legatos, *van Beverningk & Nieupoort* expeditum fuisse, cum in pacto isto privato privatæ etiam provinciæ Deputatorum nomen potestatemq; habuerint. Sexto respondent, quod decretum seclusionis secreto

Statuum concluso, die XIX. Febr. A. MDCCLIV. facto, nullo modo repugnet; cum quidem sperassent, & eo cum Legatis serio allaborassent, ut temperamentum supra memoratum articuli duodecimi a Protectore assumeretur; quod vero nullis consiliis, nullisque argumentis impetrare potuissent. Septimo negant & pernegant, quod seclusio Principis Arausionensis libertatem tanto pretio coemptam aut jus absolutum tum singularum, tum omnium conjunctim Provinciarum, contemeret & lædat, cum in libera Republica nemini per nativitatem jus summarum dignitatum competat. Non enim quidem dissimulant Status Hollandiæ, quod seclusionem istam se ipsos potestate & libertate Wilhelmum, Principem Arausionensem, vel ejus aliquem descendantem ad dignitates summas antea nominatas, vel propria auctoritate in sua provincia, vel votorum suorum consensu in fœderatis Provinciis, evehendi exuerint. At quum ex altera parte etiam palam sit, tum omne bellum exercitio libertatis, qua sibi ipsis, ceu primis ejusdem in Belgio assertoribus & vindicibus nihil vel charius sit vel antiquius, obices violentos ponere; tum bellum Belgarum cum Anglis ipsis libertatem de hac vel illa re quippiam liberius disponendi, pariter ac incolis Provinciarum suarum facultatem commercia sua, quæ Status universi anima essent, feliciter tractandi ademisse: inde tantum abesse, ut is, qui in animæ suæ conservationem & libertatis recuperationem, aliqua re alteri quippiam supererogatorie cedit, libertatem læsisse dici possit, ut potius eandem conservasse & restaurasse dici debeat. Imo indicia esse certissima zelotarum contra sentientium motus, qui evectionem Principis Arausionensis ad summas dignitates, a majoribus ejus ornatas & administratas, adeoque velut jure quodam nativitatis ei competentes, urgerent, quod ipsi libertatis hostes sint præsentissimi; cum nullum libertatis argumentum sit, in libera Republica ei dignitates summas conferre, cujus majores eas jam antea ornarunt; quin potius ex omnium liberarum Rerumpublicarum historia & actis constet, rem ejusmodi vel imperio absoluto & Monarchico illas subjecisse, vel tamen multis aliis modis eis fuisse exitiosam. Ita Vicecomites, Nobiles antea Mediolanenses, & civitatis Mediolanensis Protectores, demum nomi-

ne Protectoris in Capitanei Generalis titulum commutato, & Filia principe Joannis, Regis Galliarum, Joanni Galeatio Vicecomiti nupta, deinceps Ducum Mediolanensium sibi dignitatem & potestatem conciliaffe. Ita C. Julium Cæsarem, ubi per decem annos militiæ Romanæ in Gallia Imperator summus fuerat, totam deinde Rempublicam Romanam, per ipsius Reipublicæ milites, sibi fidos, imperio suo subjugasse. Ita omnes Græcorum Respublicas, & quidem Corinthum per Cypselum; Syracusam per Thrasibulum, Gelonem, Dionysium, Hieronem & Agathoclem; Argiam per Phidonem; Ambraciam per Perandrum; Leontium per Panætium & Icetam; Agrigentum per Phalaridem; Candiam per Archilaum; Cyprum per Evagoram; Samum per Polycratem; Rhegium per Anaxilaum; Sicyonem per Nicoclem; Pheras per Alexandrum; & Catanam per Mamercurum: perinde ac recentioribus temporibus Respublicas Italas, & quidem Veronam per Scaligeros; Bononiam per Bentivoglios; Faventiam per Manfredum; Perusium per Baleonem; Tifernum per Vitellium; & Florentiam per Mediceos fuisse subjugatas. Atque ita etiam, quod ad Belgium attineret, Ducem Alenconium, Provinciarum Belgii Protectorem, cui tamen & Provinciæ nonnullæ supremum imperium, certis quidem legibus circumscriptum, detulerant, Antverpiam aliasque Statuum civitates sibi cum universa Republica subjicere tentasse. Imo ita suis ipsosmet nuperrime oculis vidisse, quomodo Provinciarum suarum Capitaneus Generalis, haud ita pridem defunctus, A. MDC L. Amstelodamum, principem & potentissimam Reipublicæ suæ civitatem ipsis Status copiarum armis sibi subjicere, ac sex viros Statuum imperantes captivitati mancipare ausus fuerit, non sine maximo Reipublicæ detrimento. Præterea id quoque addunt, quod neque Reges in Europa consultum duxerint, Capitanei Generalis in militia sua munus perpetuum esse, ne forte per illos Reges aliquando ipsi sede sua dejicerentur; hincque tum Anglos, tum Gallos, supremi Regionum exercituum magistri, *Connéable* dicti, munus summum abrogasse. Et quum ad rem hanc amplius illustrandam nec in Scriptura Sacra exempla desint, capite hoc simul adjecta, satis ea propter evictum esse putant, seclusionem

suam libertati Reipublicæ tanto pretio comparatæ non obesse, sed prodesse. Octavo respondent, quod Decretum seclusionis nullam vel subjectionem vel pusillanimitatem inferat; cum constet, illud unice in belli tam sanguinolenti extinctionem, in libertatis tantum concussæ restorationem & in tranquillitatem provinciarum confœderatarum omnium esse factum; contra vero seclusionem ista seposita, timendum fuisse, ne belli flammæ diutius essent & atrocius duraturæ. Nono probant, dissensionum & factionum in Provinciis ansam non per Decretum seclusionis, quod ad tuendam sancte libertatem & pacem publicam imprimis spectaret, sed per motus & dissensiones eorum supeditari, qui liberam Rempublicam non sine capite aut Principe summo salvam esse posse, perperam crederent. Decimo respondent, quod in libera Republica summæ dignitates dignissimis unice sint conferendæ, & nemo eas jure nativitatis sibi vindicare possit. Undecimo ostendunt, quod nulla utique Statibus Hollandiæ Frisiæque occidentalis in Celsissimam Domum Austriacam ingratitude obverti possit; cum partim gratitudinis in eandem documenta sat multa, satque magna prostant, utpote quam, præter tot in dignitatibus summis successiones, & præter ceterarum Provinciarum beneficia innumera, a sola Hollandiæ provincia, Mauriti, Friderici Henrici & Wilhelmi III. temporibus XIX. milliones & 699758 florenos accepisse, publicæ rationes ostenderent; partim vero in libera Republica liberum maneat, num beneficia sua ad descendentes velint extendere & imperium infantibus æque ac viris permittere.

Atque huc credit deductionis istius non ignotæ caput & summa; cui demum XLVI. documenta, cum avthenticis collata, in antea dictorum comprobationem manifestam, subjiciuntur. Tametsi vero præter alia plura Decreto seclusionis ejusque declarationi die IV. Aug. A. M DC LXVII. novum aliquod Edictum, quod Perpetuum vocant, accesserit, quo Capitanei Generalis & Gubernatoris Hollandiæ spartam dignitatemque, juramento omnibus, qui vel summum vel infimum aliquod munus tenent, imposito, plane, ut ajunt, mortificatam aut extinctam voluere: nihilominus tamen rerum temporumque vicissitudo, Wilhelmo III. Principe Arausionensi, & postea etiam Angliæ Re-

ge, A. M DC LXXII. ad Capitanei & Gubernatoris Generalis in Belgio confœderato dignitatem summam non infeliciter ad-
 moto, omnes edocuit: *Majorum decreta, utut gravissima, nec
 valida semper esse, nec perpetua.* Quæ cetera sunt Statuum Hol-
 landiæ Frisiæque Occidentalis decreta, tum res civiles tum res mi-
 litares & ecclesiasticas spectantia, & in futurorum etiam tempo-
 rum usum inservientia, ea magis ipsa introspexisse, quam hic
 summatim recensita legisse juvabit.

JOANNIS SCHULZII FLORUM SPARSIO
 ad loca quædam, in re litteraria controversa. Ad
 Virum Amplisf. D. CHRISTFRIEDUM WÆCHTLE-
 RUM fctum & Litteratorem apud Dresdenses
 celeberrimum &c.

Francof. ad Mœnum, apud Mart. Hermsdorff, 1707, 12.
 Plag. 12.

Occasionem ad deproperandum hoc Opusculum Autor sibi
 datam esse putavit ex nonnullorum censuris, quibus hic mo-
 deste pariter ac erudite respondet, tum vero differendi materiam
 nactus, ingenii, variæque lectionis, ac solidioris litteraturæ facul-
 tates pandit, & ut titulus libri præfert, ad Grotii Lydiique exem-
 plum effictus, flores jucundissimos spargit.

Primum igitur de Veterum emendandi retractandiq; studio
 ex Lipsio, Vossio, Gaudentio, Perizonio, Sagittario disserit, & cur
 Horatius Poetas *genus irritabile* dixerit, verbis J. Camerarii de-
 clarat, simulque rigidas Cunæi in Nonni Dionysiaca censuras cum
 Dan. Heinsio expendit, post via sibi ad propositum munita, de
Tholis Veterum ex Vossio, Thomasino, Achille Statio & Val. Chi-
 mentelio tractat, & descriptis *Prytanensibus*, propriam vocum *fige-
 re, pangere*, notionem ex illo ritu indagat. Examinato deinde
promptitudinis vocabulo, Lexicographorum labores non sufficere,
 sed *Scholiastarum* etiam & *Glossarum* suffragia in auxilium vocan-
 da esse monet, adductis Goclenii, Mureti, Canteri, Bœcleri, Bor-
 richii, Gronovii aliorumque sententiis, & vindicata simul autori-
 tate Eutropii, ejusque codicum, quos contulit nuper Thomas
 Hearnius. Exponit dehinc æneæ ætatis Scriptores, in his *Gramma-
 ticos & Scholiastas*, quos non incommode *Masorethas Latinos* appel-

p. 6.

9.

15.

18 seqq.

21.

23.

- p. 25. & de *Servio* quidem Beroaldi, de *Prisciano* Scioppii atque
 291. Brunsmanni, de *Acrono* Parrhasii, Nannii, Vossii, Ptolemæi
 39 & Flavii, L. Scoppæi, de *Asconio* Hadriani Cardinalis, Modii, Hoto-
 202. manni judicium adducit, exprobrata Mureto aliisque Criticis in-
 29 & 253. Geographicis ignorantia. Porro usum particulæ *In*, & apud
 Græcos τῷ εἰς, ἐν, ὅτι, εἶτα exemplis quam plurimis docet,
 Bosiique sententiæ accedit, non redundare illas, sed plane ex lin-
 42 seqq. guæ genio poni, ubi simul de Livii, Ciceronis, Justinii idiotismis tra-
 & 256. ctat, adjecta farragine singularium structurarum in Latina lingua,
 castigato quoque Nizolii Thesauro, & vulgaribus libellis Gramma-
 35 seq. ticis. Commendat in orthographia Latina *Pandectas Florenti-
 nas*, quas mirifice hic extollunt Politianus, Ant. Augustinus,
 39. 292. Carrio. J. Godofredus, Labbitius, Laur. Theod. Gronovius & J.
 Clericus; Inscriptiones item antiquas & optimos codices, quor-
 sum exempla bene multa per totum libellum sparguntur, & Gifa-
 nii, Guilielmii, Popmæ, Passeratii, Barthii, Loensis, Manutii,
 49. seqq. Lipsii, Dausquii, Cellarii symbolæ afferuntur. Ad *Illustris* ti-
 220. & tulum annotat, quomodo is a Romanis Equitibus ad Præfectos
 296. Prætorio, mox ad Francorum Reges, deinde ad Missos atque
 Legatos eorum, demum ad Scultafios transierit, castigatis Ludov.
 51. de Dieu & Isaaco Casaubono, defensoque Luthero, illud *Act. XXV*,
 23. recte convertente, rejecta etiam sententia Menagii, negantis,
 59. Atticis superiores quoscunque dictos TIMIOΥΣ, ubi plura de
 259. voce τῆμῆς ex Falconerio, Rittershusio, Mart. Themis, Ant.
 Perizonio, eleganter quoque expositis hinc locis *i. Tim. V, 17.*
Hebr. II, 9. & Canone VIII Concilii Niceni. Paria observat
 de *Clarissimi* appellatione, apud Jctos, Jac. Lectio leviter corre-
 62. cto. At *Nobilissimos* Cæsares, quorum mentio in antiquis mar-
 moribus, cum Ez. Spanhemio & Cupero recte de *Porphyrogennetis*
 interpretatur, id quod Francorum Anglorumque Reges simili ap-
 67. 70. pellatione *Adelingorum* imitati, quorum filii *Clitones*, *Clituncu-
 262. li* quasi *Incluti*, dicti. Saxones item distinctos ait in *Edhilingos*, *Frilin-
 63 seq. gos* & *Lazzos*, & a Fr. Junio & Petro Victorio dissentit. Examinat
 etiam nummum Commodi, responderetque Oiselio, ambigenti de
 Anubis simulacro, instituta digressione tum de *πολυωνυμία*,
 tum

um de ἀνωμμία Deorum Gentilium, expensoque Paulo de Deo Atheniensium ignoto, ac nomine Josephi Ægyptiaco, ubi & de Θεῷ ἀρρήτω, ἀκατανώμαστα, κερημένω, arcano, incerto, innominato apud Tacitum, Lucanum, Pollionem, Josephum, Philonem. Qua occasione etiam Arcerii, Seldeni, Huectii, Witsii, Cudworthi, Dickinsonii sententiæ, *Mosen esse Moschum*, expenduntur: repetita Angeli Rochæ querela, de obscuritate Ægyptiacorum nominum, & rejectis Kircheri atque Harduini originationibus. Nec illud inelegans, *Crucis figuram Osiridi sacram, ejusque causas*, testibus Pignorio atque Mich. Neandro, *Paganis arcanas fuisse*, unde conjicit manasse opinionem Ethnicorum, commune quidpiam Christo cum Serapide fuisse, quorsum Salmasii, J. Godofredi, Seldeni atque Jf. Vossii conjecturas allegat, & rariores significationes vocum *Ἀνὴρ, ἀφλητῆς, ἀνδρωπος, στρατιώτης, βασιλεὺς, Καῖσαρ, Mas, Dux*, ex Victorio, Cujacio, F. Petito, Grotio, Falconerio, Perizonio, Ruperto, Schurtzleischio explanat, unde non tantum Inscriptiones, sed & loca *Job. XIX, 5. Actor. XXIII, 23. XXVII, 25.* nec non *l. qui balneum, D. qui potior. in pign. l. 38. §. 5. D. de pœnis. l. 1. C. de Latina lib. l. 4. C. qui manumittere non possunt* explicari possint. Convertit se deinde ad alteram Dissertationis hujus partem, quæ tota ad Poeticam spectat, ita tamen ut ornamenta ex utraque literatura velut flores appareant. Differens de *Phonascis, Phonasciis & Ηχεῖοις, rythmis, metris, νόμοις & διδασκαλίαις & ὑποκρήσει* veterum, usum cujusque vocis evolvit, Casp. Hoffmannum ex Petito corrigi & juvat, Henninii conjecturam refellit: *Paulum in Græcorum Ηχεῖοις institutum fuisse*. Lucianum porro, Christum μέγαν ἀνδρωπον, & Christianorum doctrinam θαυμασὴν σοφίαν appellantem, per contemptum hoc fecisse, probat ex ἀνδρώπῃ & θαυμαστῇ singulari notione, θαύματα scilicet sæpe *prestigias*, uti apud Latinos *miraculi* vocem *res turpes*, denotare contendit. Ostensis deinceps veterum ac recentiorum Poetarum nævis, Scaligeri Hypercriticum ex Vossio & Heinsio examinat, *Lessi* verum usum ex optimis Criticis restituit, cum aliis multis hujus generis, atque Inscriptionum fide docet, vocabulum

p. 292.

63.

66. &

294.

69. 260

& 267

75. 84.

273

83. &

264.

- p. 265. *Apte* proprium esse curandis funeribus. Eodem modo exponit
 104.266. voces *Augendus, Auctus, Augustus, Auguratus, Ampliatus, Devo-*
 101. *tus, Maclus, Magmen,* & non propterea tantum voræ orationi
 in Epitaphiis, sed & in numis Græca Latinis permisceri consuevis-
 184. seq. se, *Æolismos* item in Latium migrasse, hinc orthographiam La-
 107. tinam multa traxisse ex Græca vocalium permutatione, id quod
 auctoritatibus Virorum in re litteraria principum & exemplis lu-
 culentissimis p. 110. 150 seqq. 215. 220. 296 probatum ivit, indeq;
 factum fuisse autumat, ut ipsa Auctorum nomina non parum cor-
 rumperentur, testibus P. Petito, Divæo & J. Jonsio. Examinan-
 dum deinde sibi elegantissimum Ursini numum in familia Tarqui-
 III. tia cum Inscript: ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ sumit, Fulvio (de quo elegans
 iij seqq. peri censuram, ubi digreditur ad observationes de "Ερ̄ δειν̄ ρέζειν,
πράττειν, θύειν, ποιείν, illustrato hinc loco *Luc. II, 27.* &
 versione Lutheri contra A. Buchneri stricturam excusata. Paria
 127 & legas de vocibus *facere, agere, gerere, operari, conficere, macla-*
 268. *re,* quas omnes prima origine victimarias fuisse, postea ex Sacris in
 Circum, ex hoc in Scenam, demum ad omnes vitæ actiones, im-
 primis ad secundam belli fortunam, traductas fuisse monet, ubi
 non temnenda de *Agonio Deo, de Agonalibus Sacris, victimis,*
 119. *sacerdotibus,* de usu τ̄ς *agere l. 1. ff. de edend. & l. 12. pact. conv.*
 τ̄ς *condemnare & κρίνειν Matth VII, 1. τ̄ς ἀγειν καὶ φέρειν*
 126. affert, correctis Rad. Fornerio, Cujacio, Grotio & Alb. Gentili,
 laudatis contra Dudæo Modio, Rufo, Robortello & H. Dodwel-
 lo, exposito item *Arrii* numo apud Patinum, quem commode in-
 terpretatus est J. Perizonius. Subjicit his suam de Ursini numo con-
 jecturam, Aram scilicet de Victoria Dea, *πράττειν* de re bene-
 gesta, litteras NEIK ex Homero & Græcis Inscript. de hono-
 re Heroibus dari sueto intelligit, simul & Græcos Patres atque
 128. Latinos de usu τ̄ς *ποιείν, conficere, facere* in S. Coena ex Casau-
 130. bono, Albaspinæo, Espencæo. Mastrichio, Beveregio, Mornæo,
 Molinæo, Dallæo explanat, *χρίσμα Job. II, 27.* cum Tennulio
 131. de Paracleto Unctore capit, cum animadversione de voce *Dius &*
μακάριος. His expeditis observat, non semper opus esse, in
 Inscriptionibus ut litteræ geminentur, etsi de pluribus sermo sit;
 imo

imo in numis multas literas apparere, quæ otiosæ quodammo- P. 141.
do, & nihil ad sensum facere videntur. Post miram antiquitatis
fraudem detegit, *plerasque inscriptiones, quæ prima Reipublicæ* 147.
tempora mentiuntur, demum a posteris ævo Augusteo subjectas fuisse,
quod de Ægyptiacis quoque monumentis, de Tabulis Capi-
tolinis, de numis familiarum, de titulis in Galliæ Regum tumu-
lis observasse ait Sam. Maresium, Thom. Hearnium, Petrum Se-
guinum & Petrum Gassendum, explicato ex Schurtzfleischio
Boissardi lapide, *de Druidæ fœmina*, excusato item Occone, ubi 151.
de Allatii penna, & correctis passim libellis profodicis, cum
sylvula licentiarum etiam in optimis Poetarum. Hinc *funæ-* 161.
lium veterem rationem accurate exponit, ubi non injucunda *de*
funali equo, crebro funali, Elephantis funirepis, & Luminarium
usu apud Gentiles pariter ac Christianos. Commendat Servi- 172. seq.
um Petri Danielis, deserit Richardum Bentlejum, negantem cor- & 270.
reptionem diphtongorum apud Græcos, cui satisfactum sit nuper 178.
a Johanne Jensio. His farraginem subnectit nominum proprio-
rum, in quibus, si forte repugnarent versui, admodum licenter
versati sint Poetæ & multa passim turbarint, forte etiam quia
priscis Græcis atque Latinis multarum literarum usus primum
ignotus, & aliæ aliarum loco usurparentur. Excurrit porro
ad *Lares*, quos etiam *Lartes* dici observat, *Lars* enim Thuscis
πρωσάτης, hinc commode illustrat loca *1 Tim. V, 17. Rom. XVI, 2.*
Job. X, 3. Act. XVII, 17. Πρωσάτας etiam Athenis fuisse *inquilino-*
rum præsides, quibus utebantur *ξένοι καὶ πάροικοι*, teste Harpo-
cratione, hinc Paulum jucundissimam trajectionem petere *Eph.*
II, 19. Græcos non esse amplius *πάροικος*, sed *συμπολίτας*
τῶν ἀγίων καὶ οἰκείος θεῶ. Stephanum quidem le Moyne ex-
istimare, illam trajectionem ex ritibus Judaicis petitam esse; sed
Auctori magis probabile est, Paulum potius ad Græcum muni-
cipii jus ex præscripto legum Atticarum respexisse. Expendit
etiam *πρωσάτης* vocem ex Casaubono, Salmasio, Bapt. Cotele-
rio & Inscript. Græc. ubi de *Agonistarchis* occurrit, eosdem La-
res dictos *Genios & Ἐφέσιος θεῶς*, quibus contradistincti *λύ-*
σισιοι θεοὶ, docente ad Simplicium Salmasio; conjicit vero, locu-
tio-

p. 193.

195.

199.

202. seq.

206.

207.

211.

302.

213.

tionem illam *Act. II, 24. λύσας τὰς ὠδύνας τῆ θανάτου* aliquid lucis hinc capere. *Fusiam* quoque Legem apud Imp. Just. & Paulum Lib. IV. Sent. C. 14 eandem quam *Furiam* esse apud Ulpianum & Theophilum probat; literam enim R teste Pompon. l. 2. §. 36. de O. J. sero inventam apud Romanos, ejusque loco S positum fuisse, e. gr. in *Asam, Cusem, Esit, Lasas*; & a *Laribus* familiam *Lartiam* & Anglicam vocem *Lords*, consentientibus Nannio & Pithœo, origines traxisse docet. Quibus ita expositis redit ad Poeticas observationes, vindicat licentias Ausonii, Prudentii & recentiorum Poetarum, quos omnino etiam imitandos esse suadent Barthius, Vossius, Muretus, Naudæus, aliique. De Casaubono singulare P. Molinæi judicium ex Colomesio affert, differitque de *caelesto Afrorum Deo* & de vero usu vocum: *auricomum nectar, Ambrosium, corymbus, aurea coma, de comatis arboribus, & vitibus crinibus*, hinc quæstionem Juris: *an vites arboribus sint accensendæ?* apud Magium, Meursium, Menagium, Bruyerinum, ex Jud. IX, 13. decidit, veteres capillis non tantum aureum pulverem inspersisse, sed aureas etiam cicadas implectere consuevisse, cujus ritus vestigia sint apud Ælium & Nonnum. His denuo subnectit sylvam rariorum epithetorum, quorum singularis apud Auctores significatio, v. gr. *coctus* pro prudenti, *cocta ligna* pro non fumosis ff. de V. S. & l. ligni appell. ff. de Leg. 3. *virentes* pro mortuis in Inscript. (quomodo & apud Syr. XLVI, 15. *virere ossa Prophetarum* dicantur) *superbus* pro mortuo, *μέγας* pro stolido, *plures* pro malis, *nobilis* pro notho, *constans* pro impudenti, *Latina oratio* pro obscœna &c. Hinc de *Ortbio Carmine*, quomodo distinguatur a *σκωλίω* ex Scholiaste Aristoph. Eustathio, Suida solide differit, & rationem hujus cantionis a Judæis ad Paganos manasse contendit, non abnuente J. Davisio ad Maxim. Tyr. 1703 Cantabr. ed. vestigia etiam illius moris apparere in Cantilenis veterum Germ. & Antiphoniis primitivæ Ecclesiæ, quarum leges descripserit Arnoldus Dehnius. *Sophianum*, non Michaellem, ut volunt Victorius, Gruterus, Colomesius, sed Nicolaum, testibus Nic. Gerbælio & Scaligero, dictum fuisse ostendit; *Druides* item denominatos a *δριϙ*, quod & quercum & quam-

& quamlibet arborem significet, uti <i>roboris</i> vocabulum Latinis.	p. 217.
Pergit, in ipso S. Codice η cum υ sæpissime permutari, & farraginem denuo rariorum exemplorum genuinæ orthographiæ, ex auctoritate summorum Criticorum exhibet. Apud veteres item diversimode flecti <i>Gauron Gaurus, Aulon Aulus, Caulon Caulus, Dido Didus, Sappho Sapphus, Pyrino Pyrinus</i> ; antra iisdem dici pro ædibus; <i>Nymphas</i> quascunque pro Musis addit. Paria observat de <i>limitis</i> singulari notione, de <i>limitaneis fluviiis, militibus, Limentino Deo, Lima Dea, limite</i> item <i>decumano</i> in Jure, rejectis sententiis Politiani & Hermolai Barbari. Porro de <i>Callinico</i> cantionis genere differens, communem sententiam tuetur, Græca vocabula, civitati Latinorum adscripta, non mutare accentum, ubi etiam de accentibus Latinorum. Vindicat a barbarie <i>famigeratissimi</i> vocem ubi & de <i>dissamandi</i> & <i>famosi</i> significatione in bono sensu, ex Jacobo de Cruce, Gronovio, Donato, Thyfio. <i>Stobæum</i> rectius <i>Stobensem</i> dicendum cum Valesio & Holstenio judicat, uti & <i>Pyndari Pythionica</i> rectius quam <i>Pythia</i> . Tandem totam Dissertationem, exemplo Andreæ Schotti, jucunda Inscriptione ex optimis veterum Formulis composita munit; & spicilegia ex varia eruditione Mantissæ loco subjicit, quæ tractant de <i>Evlogiis</i> Episcoporum, de <i>Ægyptiacis Chaldaicisque monumentis</i> , de usu particulæ <i>quod</i> pro <i>ut</i> , de <i>sugillandi</i> voce ex re Gymnastica petita, (unde <i>ὑποπιάζειν</i> Pauli & illud Christi Matth. VI, 23. Marc. VII, 22. Luc. XII illustrat) de <i>Murcea Dea</i> , de <i>naso Attico</i> , Eph. IV, 31. de sorte, sortitionibus, <i>Κληρωτοῖς</i> , Clero, & Natalitiis Martyrum: de genuino usu vocum <i>stipulandi, dividendi, deportandi, dandi, dedicandi</i> , castigatis Nizolio & J. Clerico: de Patricia dignitate: de reliquiis Paganismi inter Christianos: de <i>Baronum Comitumque</i> priscis significationibus: de pronomine <i>αὐτὸς</i> honorifica appellatione: de genuino <i>Catulli & Tibulli ἔτυμω</i> : de <i>Sebaste, Augusta, Augustamnica</i> item & <i>Epiphania</i> urbibus: de <i>ἀγία τράπεζα, θεοῖς ἐπιγραπείαις</i> : de Auspiciis veterum: de lege Papia: de Cereorum institutione: de meridiationibus veterum, & Dæmone meridiano <i>Psalms. XCI</i> : de mendis Glossarum, de Homeri solœcismis, Hebraïsmis	270 296. seqq. 221. 226. 216. 228. seqq. 230. 234 & 304. 236. 241. 269. 249. 251. 254. 256. seqq. 258. 260. 262. 264. 268. 270. 271. 291.

- p. 295. braismis eorumque causis, nec non de Masorethis Homeri: de vo-
 300. cibus *Δυσία, Δυσιασῆριον, δῶρον, κορβάν*: de antiquis Ortho-
 graphiæ Scriptoribus: de Scholiastis Græcis valde corruptis &
 303. interpolatis: de *ἅπαξ λεγόμενοις*: de usu particulæ *vel* pro *et*:
 de Vossii Aristarcho ab G. H. Ursino fuse castigato: de stigma-
 304. tibus & notis Christianorum ad locum *Gal. VI, 13*: de Literato-
 ribus, Tesserariis, Magistris Scriniorum.

*AUGUSTI BUCHNERI EPISTOLARUM
 Partes tres, quarum tertia jam primum adspicit lumen;
 opera M. JO. JACOBI STÜBELII, Ill. Afr. Misn.
 Rectoris, cujus præfatio de Scriptoribus variis Epi-
 stolarum præmissa.*

Francof. & Lipsiæ, apud Mart. Gabrielem Hübnerum, 1707. 8.
 Alph. 2. plag. 20.

Quemadmodum A. M DCC V Mense Octobri p. 448.
 Volumina Orationum *Buchneri* tria recensere nostrum
 putavimus, ita nec alienum credimus a nobis, tres Partes
 ejusdem disertissimi Autoris Epistolarum conjunctas hic referre.
 Atque hoc magis convenire id nobis arbitramur, quod *Buch-
 neri* Epistolarum pridem editarum, & jam quinta vice recu-
 sarum, nondum in Actis his mentio est facta. Idem editor M.
Johannes Jacobus Stübelius, Rector Illustris Afranei, qui tertium
 Orationum fasciculum duobus antea evulgatis adjecit, nunc
 quoque tertium Epistolarum duobus prioribus addidit, atque
 agrum sic dedit ampliolem, in quo spicas, aut pratum spatiosi-
 us pulchriusque, in quo flores legere ingenui adolescentes pos-
 sint. Operam autem perquam utilem se insumturum censuit,
 si singulis epistolis argumenta præfigeret perspicua & concinna,
 & cujusque genus & materiam lectorum oculis illico subjici-
 entia; qualia etiam non sine juventutis evidenti commodo,
 cui unice invigilat, singulis in quaque parte præmissa cernimus.
 Curavit insuper, ut quam emaculatissimæ omnes tres partes pro-
 dirent; quamobrem & priores duas perlegit admodum stu-
 diose,

diöse, ac plurima menda, quæ incuria & inscitia describentium irrepperunt, sustulit, ac solícite, quantum quidem in se fuit, providit, ne nova illis & tertiæ immitterentur. Totique huic operi, quod ex epistolis constat ad illustrissimos & doctissimos Viros perscriptis, quo commendatius foret, præposuit *Præfationem* luculentam nec brevem, in qua *de plerisque nobilioribus Latinarum Epistolarum Scriptoribus* erudite disserit, & quid in quoque probandum, quidve culpandum aut rejiciendum videatur, examinat, ostenditque adeo, præ cæterorum, potissimum recentiorum, Epistolis, ipsisque *Baudianis, Lipsianis, Maresianis, Boxbornianis*, juventutis manibus terendas esse *Buchnerianas*, quæ diligenter lectæ ipsæ se satis cum styli venustate ac elegancia, tum materiarum diversitate atque copia, & earum quamvis decenti compositione commendabunt, nec poenitendos legentibus, præcipue dictionis puræ ac nitidæ amantibus, dabunt fructus. Nos ex aliorum de illis judiciis, quorum aliqua Cl. Stübélius præfationi subjunxit, unum hoc *Morbosii*, maximi nominis ac existimationis Viri, nec infelicis ingeniorum censoris, adscribemus. Sic vero ille in libello *de ratione conscribendarum Epistolarum & in Polyhistore suo: Aug. Buchneri epistolarum Tomi duo prodierunt Dresdæ anno 1679 & 1680. Erat Vir ille ad omnem nitorem literarum factus, Orator optimus & Poetarum suo tempore inter Germanos Princeps. Bene sane meriti fuerunt de orbe literato, qui has ejus epistolas publicarunt, in quibus multa sunt de rebus literariis judicia. Stylus ipse elegans, quanquam concisus. Formata tamen ipsi e Cicerone dictio est. Quod vero τὸ περιόδιον spectat, ab ipso diversus. Quantus hic fuerit Ciceronis estimator, videas ex epistola illa luculentissima, quæ est XXXII. P. II. ad Schneiderum Ducis Hols. Consiliarium, qui ipsius consilium rogaverat de Curtio, an scilicet ipsius stylus ad eloquentiam Romanam sufficere posset? Sed in alia omnia it Buchnerus, qui Curtii declamatoriam indolem abesse judicat a puritate nitoris Romani. Solum itaque Ciceronem illic ad omne scribendi genus commendat unice; ne quid dicam de variis rebus & judiciis, quæ habet de autoribus veteribus & recentioribus. Optamus denique, ut sumptus huic libro impensus eveniat salubriter ju-*

ventuti scholasticæ rogamusque illos, apud quos plures Epistolæ *Buchneri* latent, ne publico invidere velint.

*SAMUELIS DALE PHARMACOLOGIÆ, SEU
Manuductionis ad Materiam Medicam*

Supplementum.

Londini, impensis Sam. Smith & Benj. Walford. 1705, 12

Const. pl. 19½. chart. aug.

Nobilissimum *Autorem* extitisse primum, qui diffusam omnis *Materiae Medicæ*, sive cunctorum *Simplicium*, triplici *Naturæ* regno comprehensorum, cognitionem ex vastis multorum voluminibus in epitomen studiose contraxerit, contractamque in *Philiatrorum* aliorumque gratiam emisit, in *Actis* nostris *Mense Julio A. 1694 p. 337* merito asseruimus, cum *Pharmacologiae sive Manuductionis ad Materiam Medicam*, ab eodem Londini An. 1693 editæ, strictam exhiberemus recensionem. Neque laudatum opusculum publico displicuisse, variæ novæ ipsius impressiones, hic illic magno plausu factæ, certissime attestantur. Ab eo autem tempore quia *Noster* in plurimos libros de *Re Medica* agentes incidere, vel recentius impressos, vel saltem antea non visos, adverteretque a se multa ommissa fuisse, quæ in medicum nihilominus vocarentur usum, haud destitit talia omni diligentia colligere, atque tum *Simplicia officinalia*, tum alia priori libro neglecta, in præsens compingere *Supplementum*. Quod avide pariter exceptum iri, eo minus dubitamus, quo majorem *Autor* operam dedit, ut, præter notas *Vegetabilium* characteristicas ex *Rajo* petitas, ubique de *Materia Medica Dioscoridis* liquido constaret, quamvis in votis habeat, a *Clariss. Tournefortio*, itinere per *Græciam* insulasque adjacentes feliciter absoluto, de antiquorum *Græcorum* plantis observata cum orbe literario prius fuisse communicata. Quorum opera usus est, nomina hic quoque fideliter non minus indigentur, ac sub calcem, tam *Simplicia omnia officinalia*, & in
Phar-

Pharmacologia, & in præfenti Supplemento contenta, quam nomina eorundem Anglico-Latina, Indice duplici designantur. Cæterum de modo pigmentum cœruleum ex Cobalto in terris nostris Saxonis conficiendi, pro secreto diu habito, non possumus non annotare, in *Speculo Metallurgie politissimo a Balthasare Ræslero* Dresdæ idiomate Germanico A. 1700 f. divulgato p. 162 & seqq. exactiorem multo ipsum haberi, quam quem D. D. *Davidi Krieg Autori* æque nostro p. 27, ac in *Actis Philosoph. Anglican.* N. 293 p. 1754 communicare placuit.

*FRIDERICI HOFMANNI, CONSILIARII
& Archiatri Regii, Medicinæ & Philosophiæ experimenta-
lis P. P. Ord. Idea fundamentalis Universe Medicinæ ex
Sanguinis Mechanismo methodo facili & demonstra-
tiva in usum tyronum adornata.*

Halæ Magdeburgicæ, apud Christoph. Andr. Zeitlerum,
A. 1707. 4.

Constat plag. II.

UTut hoc nostro præsertim ævo Viri doctrina & experientia Medica excellentes omnes Medicinæ partes summo cum studio, nec successu infelici excoluerint egregiisque inventis auxerint (id quod ipsa Acta nostra satis superque loquuntur;) haud quaquam tamen diffitetur Autor de re Medica dudum optime meritus, esse hanc *Artem difficilem in discendo, perplexam & confusam in sentiendo, insidam & incertam in applicando.* Causam assignat duplicem, nempe insufficientem historiæ morborum cognitionem & selectarum circa res corpori humano vel salutare, vel nocuas, observationum defectum, atque demonstrationis solidæ inopiam, seu methodum tractandæ Medicinæ theoriæ confusam. Ad priorem defectum tollendum socia multorum requiritur opera. Quare celeberrimus Autor dudum optavit, ut Medici omnibus in locis accuratas quotannis morborum historias ederent, cumque in Idea sua evincat, aeris multum esse in sanitatem influxum, observationes Meteorolo-
gicas

gicas simul adderent. Eum in finem jam 1701 *Observationes Barometrico - Meteorologicas & Epidemicas Hallenses Anni 1700* publici juris fecit, Illustri *Leibnitio* institutum hoc multum probanti dicatas, in quibus singulis diebus per totum annum omnes mutationes tempestatis, ventorum & graduationum in Thermometro & Barometro annotantur, morbique mensibus singulis grassati cum notabilioribus symptomatibus describuntur, partim ut suo exemplo ad simile quid faciendum alios invitaret, partim ut viam, qua eundem, monstraret. Alterum impedimentum in præsentè opusculo remove conatur, in quo *Artem Medicam* in *Scientiæ* formam redigere intendit: quod præstiturus, unum clarum perspicuumque principium, circulum nempe sanguinis, assumit, ex quo, quicquid de vita & sanitate corporis, de morborum origine, de modo agendi medicamentorum, de methodo curationis & methodo præservationis cognitu necessarium, methodo demonstrativa deducat. In circulo vero sanguinis duo distinctè considerat, solidum nempe & fluidum, illud ceu movens, hoc quod movetur & propellitur: in solido expendit strictum & laxum, in fluido proportionem ac temperiem. Vita ipsi est perennis fluidorum per tubulos beneficio impulsus solidorum progressio, corpus corruptibile a corruptione præservans: Sanitas vero certus ordo motus sanguinis circularis, in moderato & libero sanguinis progressu beneficio pulsus cordis ac toni fibrarum æquabilis, seu æquilibrio solidorum & fluidorum consistens. Nimirum in Sanitate impulsus solidorum esse debere moderatum & æquabilem, humorum proportionatam ad vasa & robur fibrarum copiam, decentem elementorum componentium proportionem, vasaque libera & aperta. Temperamentorum naturam & diversitatem a fibrarum motricium copia, magnitudine, robore, sanguinis materia & temperie, vasorum copia, capacitate & exilitate derivat. Morbum definit, quod sit circulus sanguinis vel immoderatus, vel impeditus, vel inæqualis propter læsum æquilibrio pulsus ac toni solidorum & intemperiem ac indecentem proportionem fluidorum. Morborum varietatem a variis modis, quibus circulus sanguinis lædi potest, petit. Quare cum

par-

partibus moventibus, cordi nempe ac fibris universi corporis, quæ subtilissimo sanguinis & elastici aeris fluore animatæ omnis generis fluores constrictione per vasa impellere ponuntur, systolen tribuat atque diastolen, utraque vero lædatur, si nimia fiat; ex systole læsa spasmorum, ex læsa diastole resolutionis, laxitatis ac debilitatis fibrarum originem explicat. Si pulsus in corde & vasis augeatur, tonus in fibris intendatur, circulationem fieri celerrimam, febrimque excitari; si motus partium musculosarum nimis intendatur, ac ipsæ locum suum mutant, convulsionem fieri & circulationem partim inæqualem, partim immoderatam reddi notat. Morbos itaque omnes vel ad spasmos referri debere, vel ad atoniam seu partium debilitatem, vel ad febres, vel ad convulsiones. Quibus in genere præmonitis, in specie ostendit, quinam morbi ad classem unamquamque sint referendi, & quomodo unus idemque morbus pro diversa corporis, quam afficit, parte diversa sortiatur nomina. Exposita morborum ratione formali, ad causas efficientes enumerandas progreditur, eas scilicet, quæ circulum sanguinis turbant & tonum partium solidarum lædunt. Considerat primo causas proximas; dein remotas. Ad proximas refert 1. *animi affectus*, quorum in partium solidarum tonum, robur ac impulsum actionum aliquibus exemplis declarat: 2. *venena*, tum extrinsecus advenientia, & vel putredinosam fluidis fermentationem afferentia, vel partes solidas aggredientia, vel sulphureo alieno principio circulum humorum sistentia fluidumque spirituosum nervorum exstinguentia; tum intra corpus genita, ut excrementa agilissima salino-sulphurea, per habitum cutis propelli solita, ubi regrediuntur, putredinem sive solidarum, sive fluidarum partium; sanguinis coagulum seu polypum: 3. *plethoram*, fibrarum tonum ac elaterem solventem vasaque nimium distendentem, ut circulus fiat debilior; atque *cacochymiam*, impuritates generantem & sanguinis circulum atque necessarias evacuationes, præsertim perspirationem, minuentem. De causis remotis dum agit, monstrat, quomodo temperamentum, ætas, sexus, hæreditaria dispositio, habitus corporis, consuetudo partes solidas & fluidas ad morbosas affectiones disponant: ubi

simul monet, annos climactericos non esse prorsus negligendos, quod singulis septenariis singularem corpori mutationem accedere omnino certum sit. Ostendit ulterius, quid in sanguinis circulum possit aer frigidus, nimis fervidus, præhumidus; quid possint ipsi Planetarum Adspectus, quos aeri mutationes inducere supponit. Pro comperto assumit, Planetas superiores ♃ & ♀ atmosphæram valde compressam, frigidam, rigidam & ventosam reddere, & vehementiorem esse influxum, si inter se, mitiorem, si cum aliis jungantur: ♂ & ☉ aliis junctos calorem & serenitatem addere atmosphære, inferiores ♃, ♀ & ♁ atmosphæram sistere leviolem ac ob id vaporibus replere. Unde infert, in casu primo fibras corporis tendi & stringi, sicque omnis generis spasmos, arthritidem, inflammatoriam & erysipelaceam febrim, epilepsiam, hæmoptysin excitari: in casu altero calidos morbos foveri sanguinemque commoveri: in tertio fibras laxari & corpus pronum fieri ad morbos ex atonia, stasi & circulo sanguinis languido provenientes. Quia morbi partes solidas plerumque depravant, fluidas vitiant atque corrumpunt; morbos etiam generare alios morbos concludit. Pluribus denique exemplis declarat, quomodo morbi ex imprudente medicatione originem trahant. Similiter symptomatum generationem per varia exempla edocet: notat in primis, quod fere in omnium, qui e morbo moriuntur, cadaveribus dissectis vel corruptio visceris, vel putredo sanguinis, vel nobilioris partis profundior inflammatio, vel sanguinis serique extravasatio, vel polypus vasa majora obsidens deprehendatur. Ad remedia pede promotum, omnem in medendo Medici curam eo tendere evincit, ut per medicamenta circulum sanguinis extra ordinem delatum rursus restituat. Tollendas igitur esse causas morbificas: quæ cum sint vel proximæ, vel remotæ, medicamenta singulis tollendis apta generatim recenset. Remediorum nempe genera in tot classes distribuit, quot constituit classes morborum. Morbis itaque ex spasmo remedia opponit antispasmodica; morbis ex atonia roborantia; febribus antifebrilia; convulsionibus antepileptica. Ad primam classem refert omnia oleosa temperata & pingua, omnia actu hu-
mida

mida, omnia vaporosa sulphure expansivo fragrante prædita, omnia nitrofa: ad alteram omnia balsamica, omnia oleo subtilissimo & gratissimo instructa, omnia gummata cum liquoribus suavi resina & oleo instructis, omnia salia volatilia oleosa, omnia fixiora terrea: ad tertiam omnia acida & martialia: ad quartam denique, præter antispasmodica, omnia quæ sulphure & oleo graveolente rancido instructa. Cum hæc remedia plus in solidum, quam in fluidum agere credat, in capite vero de remediis fluidum quoque considerari debere statuat; humores vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccare affirmat, hincque tria remediorum genera nova condit, nempe *evacuanti*, quæ quantitatem respiciunt, *alterantia*, quæ qualitatem noxiam corrigunt, & *derivantia*, quæ motus sanguinis & humorum præternaturales a partibus affectis avertunt. Agit insimul de remediis causas morborum remotas antevertentibus. Medicamentorum enumerationi subjicit methodum medendi & fundamentum therapie explicandum sibi sumit. Ubi multus est, ut evincat, naturam esse Medicum omnium optimum, & in medendo primas tenere partes præcipuamque partem absolvere; Medici vero esse addiscere illum ordinem nulloque modo ipsum impedire, sed potius illum naturæ laudabilem motum quovis modo adjuvare vel imitari. Esse enim Naturæ non Magistrum, sed ministrum; Naturam in curando esse Dominam, Medicum famulum. Inprimis Medicum spectatorem esse debere in morbis acutis, cum natura in passionibus acutis & paroxysmis chronicarum plus perficiat arte, quæ tamen in tollendis chronicis malis naturam antecellat. Recenset aliquot medentium errores, & tandem de morborum præservatione differens, ad eos avertendos præcipit, ut morborum causæ antevertantur. Commendat igitur animi tranquillitatem, abstinentiam ab omni generis miasmatibus, exhalationibus morbosis contagiosis, plethoræ præcautionem per ciborum quantitatem viribus internis motuique externo proportionatam, cacochymie evitacionem per purgationem primarum viarum vere & autumno, immo singulis mensibus instituendam, abstinentiam ab omnibus alimentis corruptioni proximis, so-

mnum sufficientem, sed moderatum, motum, laborem, temperantiam.

TRAITÉ DES SECTIONS DU CYLINDRE
& du Cone, considérées dans le solide & dans le
plan, avec des démonstrations simples & nou-
velles, par M. le POIVRE.

h. e.

TRACTATUS DE SECTIONIBUS CYLINDRI ET
Coni, in solido & plano consideratis, cum demonstratio-
nibus simplicibus ac novis, Autore
POIVREO.

Parisiis, apud Bartholomæum Girin, A. 1704 in 8.

Constat plag. 5 & Tabb. æneis 8.

Opusculi hujus conscribendi ansam Autori dederunt litteræ
a *Cartesio* ad *Dn. Desargues* datæ, in quibus duplex asseri-
tur scopus de Sectionibus Conicis commentaturi. Etenim aut
doctis scribitur; aut hominibus illiteratis quidem, sed curiosis.
Illos novas Sectionum Conicarum proprietates; hos proprie-
tates dudum quidem inventas, at in vulgus tamen minus cog-
nitas ob insignem in *Perspectiva*, *Arte pictoria*, *Architectura* &c.
usum edocere intendimus. Scopum utrumque sibi præfixit.
Autor: neque enim solum intra paucas pagellas palmarias Se-
ctionum Conicarum proprietates mira facilitate ac perspicuita-
te explicat; sed inter eas quoque aliquot proponit antea pa-
rum cognitæ. Præmittit 36 propositiones elementares, qui-
bus in demonstrationibus utitur, sed quarum veritatem ex ele-
mentis Geometriæ communis jure cognitam supponit, quia do-
ctrinam ab ipso propositam tractare non convenit nisi ei, cui
elementa Geometriæ communis jam sunt perspecta. Dum de
fectionibus Cylindri agit, multas Ellipseos proprietates demon-
strat & problemata illuc spectantia solvit: e. gr. *Ducere Tan-*
gentem in dato Ellipseos puncto; ex puncto extra Ellipsin dato duas
ducere rectas, quæ Ellipsin tangant; una ex diametris conjugatis
data,

B. II. ad A. 1707. M. Mart.
 pag. 133. seqv.

Fig. 1.




Fig. 3.




Fig. 2.




Fig. 5.





Fig. 4.



evinceret. Quumque proprietates illæ jam non minus numero quam varietate conspicuæ sint; ne minima quidem omnium despicienda est, imo aliqua notatione digna mihi videtur. Quapropter hic propositum problema, quanquam parvi momenti, studiosis Matheſeos tironibus indicandum & demonstrandum esse existimavi; quod non suppositione mere mathematica, sed ipsis motus naturalis legibus ad hanc nobilem curvam pertinere animadvertent.

TAB. II.
Fig. 4.

Sunto in Fig. 4. AB recta ad horizontem perpendicularis, longitudinis ad libitum determinatæ a ; PQ horizonti parallela, versus P indefinita, per datum ipsius AB initium A ducta; ADH linea curva, sive data, sive quæſita, ad verticalem a in aere respectiva; RBH horizon per infimum punctum B ejusdem verticalis transiens, & curvæ occurrens in H. Dividatur cogitatu eadem illa AB bifariam in C; singulusque semissis CA, CB intelligatur sectus in partes quotlibet æquales Cf, fA, Ch, hB, ad quas referantur totidem istius curvæ portiones inæquales D₁, 1A, D₂, 2H, intra rectas horizonti parallelas e sectionum punctis ductas CD, f₁, h₂, comprehensæ. Nominentur y omnes hujusce curvæ ordinatim - applicatæ ad horizontem RH terminatæ, & $a - y$ earum supplementa ad verticalem BA; vel vice versa, prout inde expeditior calculus videbitur. Differentiola, velut Le, inter duas ordinatas propinquissimas (quæ hic eadem & sibi constans sub omnibus curvæ punctis intelligenda est) dicatur Dy , cui coordinatam LE vocamus Dx . Velocitates variables, cum quibus curva ADH deorsum percurri debet, designet littera v . Expressa autem unitas denotet locum quantitatis cognitæ substituendæ & ad servandam homogeneorum legem accommodatæ prout velocitatum v hypothesis postulabit. Jam proposito sic fiet satis. Duæ assumantur coæquandæ expressiones ejusdem instantis, quo lineæ curvæ particula quam - exigua eE a Gravi cadente secundum quamlibet velocitatum hypothesis transiri concipiatur: Una

scilicet; nunc in Geometria notissima $\frac{\sqrt{Dy.^2 + Dx.^2}}{v}$; altera

vero

vero huic homogenea; ad conciliandam curvæ proprietatem,

requisitam comparata $\frac{1 \times Dy}{\sqrt{ay-yy}}$, in qua denominator $\sqrt{ay-yy}$

singulos exprimit semicirculi supra diametrum a descripti sinus rectos, crescentes a primo & minimo = cyphræ usque ad maximum & medium = $\frac{1}{2}a$, & deinceps eadem differentiarum serie decrescentes ab illo maximo ac medio ad ultimum ac minimum usque. Adeo ut numerator constans $1 \times Dy$ divisus per denominatorem iis quas dixi conditionibus variabilem

$\sqrt{ay-yy}$, tot det quotientes primum decrescentes, & tot deinde iisdem differentiis crescentes, quot partes in recta data BA æquales & quot arcus in relativa curvæ portione ADH correspondentes assignari possunt: Unde liquet sic exprimi totidem instantia descensus continue minora totidemque continue majora, singula ex una parte singulis ex altera; ordine inverso, æqualia; quibus in duas summas collectis duo æqualia temporis intervalla resultant; motu videlicet a primo termino A usque ad ultimum H continuato, quandoquidem distantia verticales, secundum quas Grave descendens ad horizontem accederet, vel semper crescerent, nempe Af , AC , AB , vel semper decrescerent, nempe BA , BC , BH .

Adæquatis itaque duabus illis ejusdem instantis expressionibus obtinetur formula
$$\sqrt{Dy.^2 + Dx.^2} = v \times \frac{1 \times Dy}{\sqrt{ay-yy}}$$

quæsitum præstans; si substituatur aut in primo membro elementum curvæ datæ proprium in locum elementi generalis

$\sqrt{Dy.^2 + Dx.^2}$ (ut facta reductione ipsius Dx ad solam Dy seu ipsius Dy ad solam Dx expressio velocitatis requisitæ v concludatur) aut in secundo membro in locum litteræ v quantitas variabilis per y vel x velocitatem propositam exprimens (ut ad æquationem curvæ differentialem perveniatur) & simul in locum unitatis quantitas constans ad homogeneitatem terminorum inducendam necessaria.

Exempla

Exempla aliquot.

Celeberrimus inter Eruditos Libnitzius, Geometrarum ætatis nostræ sagacissimus, curvam æquabilis descensus, per quam Grave, motu naturaliter accelerato, æqualibus temporis intervallis æqualiter ad horizontem accederet, esse Paraboloidem cubicalem, æquatione $b'x^2 = y^3$. notam, primus omnium animadvertit. Digna sane notatu proprietas ex ipsis Naturæ legibus petita; quam quidem a proposita non parum discrepare, satis apparet. Attamen hæc eadem curva sic capax est unius, ut alteri non repugnaret, si qua causa dari posset, quæ velocitates deorsum acquisitas certo, qui competit & mox ostendatur, modo temperaret. Quum enim ejus natura præstet $x^2 = \frac{y^3}{b}$, hinc colliguntur $Dx = \frac{3y^2 Dy}{2bx}$ & $\sqrt{\frac{Dy^2}{2bx} + \frac{Dx^2}{2bx}} =$

$$\frac{Dy}{2bx} \sqrt{9y^4 + 4b^2x^2} = \frac{Dy}{2\sqrt{b}} \sqrt{9y + 4b}$$

quod adæquatum

secundo formulæ præcedentis membro $\frac{Dy}{\sqrt{ay - yy}} x v$ (ubi nullam unitatis rationem haberi homogeneitas exigit) velocitates ad descensum, qui ex continue promptiore continue lentior fieret secundum segmentum verticale A H hujusce paraboloidis comprehensum inter verticem A & ordinatam pro libitu assumptam $AB = a$, necessarias sub dictis conditionibus debere esse $v = \frac{\sqrt{9y + 4b}}{4b} x \sqrt{ay - yy}$ ostendit.

Esto nunc curvæ propositæ portio ADH quadrans circuli intervallo $= a$ verticaliter sic descriptus ut horizonti tangenti RH habeat radiorum terminantium alterum perpendicularem, alterum æquidistantem. Denominatis x sinibus rectis, & y segmentis radii inter centrum illosque sinus comprehensis;

$$dantur $xx + yy = aa$, $x = \sqrt{aa - yy}$, $Dx = \frac{-yDy}{\sqrt{aa - yy}}$, &$$

$$\& V \sqrt{Dy.^2 + Dx.^2} = \frac{a Dy}{V_{aa - yy}} \text{quo (per probl.) facto} =$$

$$v \times \frac{Dy}{V_{ay - yy}} \text{(ubi termini sine unitatis subsidio homogenei}$$

sunt) invenitur dividendo utrinque per Dy ac multiplicando

$$\text{per } V_{a - y} \text{ velocitas } v = \frac{a \sqrt{y}}{V_{a + y}} \text{ ex altitudinibus } y \text{ ac}$$

quirenda, ut descensus per quadrantem circuli fieret is quem *ex-accelerato-retardatum* appellamus.

Repræsentet jam figura HDA hinc & inde, supra Asymptotum horizontaliter positam, indefinite continuata, Logarithmicam curvam verticaliter delineatam; per ejus punctum quodcumque H ducto horizonte HR, & altius ad quodlibet intervallum $= a = BA$ acta ipsi parallela recta PQ curvam illam secante in aliquo puncto A; supponantur distantie verticales inter horizontem ac ejusdem lineæ curvæ convexitatem Bh, BC, &c $= y$, intervallum puncti H ad Asymptotum positione datam pro libitu determinatum $= c$, & subtangentialis super hac Assymptoto sumpta $= b$; erunt Ordinatae $=$

$$c + y, \text{ æquatio } \frac{b Dy}{c + y} = Dx, \text{ \& curvaturæ elementum } = \frac{Dy}{c + y} V_{b.^2 + c + y.^2}, \text{ cujus expressionis \& quantitatis } v \times$$

$$\frac{Dy}{V_{ay - yy}} \text{ facta ex problemate æqualitate reperietur } v =$$

$$V \frac{b.^2}{c + y.^2} + 1 \times V_{ay - yy} \text{ pro hypothesi velocitatum ex al-$$

titudinibus $a - y$ in hoc casu acquirendarum, ut Grave datam curvæ Logarithmicæ portionem deorsum percurrens descensum continue accelerare certo tempore, ac postea continue retardare tempore æquali videretur.

Porro quoniam omnes istæ velocitates forent adeo varie variabiles, ut a causis effectus suos uniformiter variantibus produci non possent, systematis mundani leges iis quam maxime repugnare constat. Relictis itaque his Mathematicis nugis, quid in nostro problemate Natura præstet, inquirere sufficiat. Experientia compertum est, & in Mechanica demonstratur, corpora gravia, quæ libere in terram cadunt, proportionales in subduplicata ratione altitudinum (y aut $a-y$) e quibus dimissa deorsum feruntur, velocitates (V_y aut V_{a-y}) adipisci. In formula igitur problematis propria, quam superius exhibuimus, substitue in locum v quantitatem V_y aut V_{a-y} ad libitum, & in locum unitatis V_a pro terminorum homoge-

neitate; quo fiet $V \frac{Dy \sqrt{a}}{Dy.^2 + Dx.^2} = \frac{Dy \sqrt{a}}{V_{a-y}}$ aut $= \frac{Dy \sqrt{a}}{V_y}$. Dehinc utrobique quadra, transpone $\overline{Dy.^2}$, multiplica vel per $ay-yy$ vel per yy & radicem quadratam extrahe: Devenies aut ad $Dx \sqrt{ay-yy} = yDy$ aut ad $yDx = Dy \sqrt{ay-yy}$; quæ utraque æquatio exprimit naturam semi-cycloidis primariæ, in plano verticali inversæ, vel ad basim horizonti parallelam PA, vel ad horizontem in vertice tangentem RH relatæ, habentisque axem suum rectæ verticali a æqualem: Quandoquidem sinus rectus semicirculi super ipsam a descripti, nempe $\sqrt{ay-yy}$, æquatur tum subnormali $\frac{yDy}{Dx}$ qua parte y ordinatim applicatur inter concavitatem & basim, tum subtangentiali $\frac{yDx}{Dy}$ qua parte y ordinatur inter convexitatem & verticis tangentem.

Vides hanc celebrem curvam inter alias multas proprietates insignes id etiam peculiare, licet minus præcipuum, habere, ut si secto ejus (verticaliter atque inverse descriptæ) tum axe bifariam, tum utroque axis semisse in partes quotcunque æquales, ipsa per rectas basi parallelas ex omnibus harum sectionum punctis eductas divideretur (velut in 1, D, 2) Grave quod

ve quod eam cum velocitate naturaliter accelerata percurre-
ret, non modo superiorem illius arcum superiori axis semissi
correspondentem AD eodem trajiceret tempore, quo inferio-
rem inferiori axis semissi respectivo oppositum DH, continua-
to deorsum motu, conficeret; sed præterea per successivas pri-
mi arcus AD portiones (A 1, 1 D) semper citius donec ad pun-
ctum D centro axis horizontaliter respondens pervenerit, & re-
ciproce per successivas secundi arcus DH portiones (D 2, 2 H)
semper tardius, donec extremum H attigerit, descenderet.

THEOREMA SPHERICO-CATOPTRICUM
Universale. Per D. HUMFREDUM
DITTON.

Ex Actis Philos. Angl. An. 1705, N. 295, p. 1810 ff.
transcriptum.

FOcorum inventio tum in Dioptrica, tum in Catoptrica, ex
calculo pro Curvis Causticis facili modo sequitur. Nil
enim aliud agendum est, quam ut locus in quo Radius (ad
Curvam, vel Refringentem, vel Reflectentem perpendicularis)
Curvam Diacausticam vel Catacausticam tangit, cognitus ha-
beat. De qua methodo videatur *D. Hayes Liber Fluxionum*
nuper editus: nos ex aliis principiis, rem (ad Catoptricam qua-
tenus spectat) aggrediemur.

Sit Fig. 5. DEF Speculi Spherici concavi portio, cujus cen- TAB. II.
trum B, semidiameter BE vel BD: sit etiam A punctum Fig. 5.
radians in axe collocatum, a quo profluat radiosa linea AD,
quæ ad punctum D reflectatur in DC. Investiganda jam est
Foci C a speculi vertice E distantia.

Notandum vero, quod punctum D ipsi E proximum
supponimus. Radii enim remotiores oculum (quem in axe
A.E constituimus) præterlabuntur, nec ad imaginis visionem
aliquid faciunt. Porro, propter arcum DE indefinite par-
vum, anguli DAB, ADB (ut & ipsorum summa DBC)
sunt quam minimi, ac idcirco eandem habebunt inter se ratio-

nem, quam ipsis latera opposita: quo ratiocinii principio posito, ad Theorema Dioptricum pervenit *D. Halleius* Geometriæ Professor apud Oxonienses.

Hiscæ præmissis, sit $AB = b$. $BD = BE = r$. $BC = z$. $CE (= r - z, \text{ sed brevitatis causa ponatur}) = f$. Quantitates b & r cognitæ sunt (dantur enim semidiameter speculi, ac puncti lucidi a vertice distantia) z vero & f quæsitæ ac incognitæ. Jam in Triangulo DAB , erit $\sphericalangle DAB : \sphericalangle ADB :: r : b$. Item in Triangulo DBC , $\sphericalangle BDC = \sphericalangle ADB$, ex natura Reflexionis, & $\sphericalangle DBC = \sphericalangle DAB + \sphericalangle ADB$, ex Elem. Eucl. Ergo cum $\sphericalangle DBC$ sit ut $r + b$, & $\sphericalangle BDC$ ut b ; erit etiam $\sphericalangle DBC : \sphericalangle BDC :: r + b : b$, & (quod ex principio supra memorato consequitur) $DC : BC :: r + b : b$. Sed quoniam punctum D ipsi E proximum est, erit DC ipsi CE æqualis æstimanda, ergo $CE : BC :: r + b : b$; hoc est $f : z :: r + b : b$, & (comparando antecedentium & consequentium summas ad antecedentes) $f + z : f :: r + z b : r + b$; sed $f + z = r$, ergo $r : f :: r + z b : r + b$, ergo $f = \frac{r r x r b}{r x r b}$ Q: E: I.

Si ponatur $r + b (= AE) = d$, Theorema in formam contractiorem redigetur, & sic stabit $f = \frac{r d}{2 d - r}$. Sed utrovis modo, focorum inventioni, quæcunque tandem sit vel Speculi forma, vel radiorum conditio, aptum evadet.

Coroll. I. Erit $z d = d f - r f$, sive $AE \times BC = AB \times CE$, vel quod idem est, linea AE harmonice dividitur in punctis A, B, C, E ; nam prædicta Rectangulorum æqualitas, lineæ secundum proportionem harmonicam sectæ, propria est. Patet

hæc veritas: est enim $f = \frac{d r}{2 d - r}$, & $z = r - f = r - \frac{d r}{2 d - r}$,

unde valores hosce substituendo, Æquatio manifesta fiet. Adeo ut in omni Speculo Spherico lineæ DA, DB, DC, DE , sint harmonicales; & Punctum radians, Centrum, Focus, Vertex sint puncta divisionem harmonicam efficientia.

Coroll.

Coroll. II. Imo Posito $d > r$; erit ex calculo f , sive $\frac{rd}{2d-r} > \frac{r}{2}$

semper. Hoc est, si puncti radiantis distantia major sit semidiametro Speculi, foci distantia semper major erit quarta parte Diametri.

Item, erit $\frac{rd}{2d-r} < r$ semper. Hoc est, distantia foci semper erit minor speculi semidiametro.

2^{do}. Si ponatur $d = r$, erit $\frac{rd}{2d-r}$ sive $f = r$. Hoc est, si punctum radians in centro speculi constituatur, Imago ejus ibi cum eo unietur.

3^o. Si ponatur $d < r$, tum ipsius f expressio erit vel positiva, vel negativa, vel infinita, prout quantitas $2d$ quantitate r vel major est, vel minor, vel ei æqualis.

Si $2d > r$, hoc est, si $d > \frac{r}{2}$, tum punctum radians & focus ad easdem partes speculi jacent.

Si $2d < r$, vel $d < \frac{r}{2}$, tum Imago in axe, ultra speculi verticem producto, sita est.

Si $2d = r$, vel $d = \frac{r}{2}$, Imago infinite distat, sive radius reflexus axi parallelus evadit.

Coroll. III. Calculi hujus ope expedite determinari potest, quomodo objecti radiantis (speculi respectu) motui, ipsius Imaginis motus respondet. Sit (ut antea) Imaginis a specu-

lo distantia $= \frac{dr}{2d-r}$, quando objecti distantia est d . Mutetur jam utcunque objecti distantia, & ex d fiat nd , quantitate n Numerum vel integrum vel fractum designante: & sic loco

prioris Æquationis, $f = \frac{dr}{2d-r}$, habebimus pro novo Foco aliam Æquationem, $F = \frac{ndr}{2nd-r}$. Et quidem si n Numerum in-

tegrum exprimere supponatur, secunda hæc objecti distantia prima major erit, si vero sit fractus, tum minor erit prima.

Hiscæ positis, si $d > r$, & n sit integer, erit $F < f$, id est, erit $\frac{ndr}{2nd-r} < \frac{dr}{2d-r}$, sive $2nddr - ndr < 2nddr - drr$, quod manifestum est. Hoc est, si in Speculo Concavo objecti distantia major sit semidiametro, tum recedente objecto a speculo, Imago versus speculum accedet. Rursus designetur Numerum fractum, & tunc reperietur $2nddr - ndr > 2nddr - drr$, sive $F > f$. Hoc est, accedente objecto ad speculum, recedet Imago.

Supponatur jam $d < \frac{r}{2}$; ut & alia, quæcunque sit, objecti distantia nd intelligatur ea semper minor esse quam $\frac{r}{2}$. Tum erunt $2nddr - ndr$, & $2nddr - drr$, quantitates negativæ; sive $ndrr - 2nddr$, & $drr - 2nddr$ quantitates positivæ. Et quidem si n numero integro æquetur, erit $ndrr - 2nddr > drr - 2nddr$, sive $F > f$; si vero n fractio sit, tum erit $ndrr - 2nddr < drr - 2nddr$, sive $F < f$. Hoc est, si in Speculo Concavo objecti distantia minor sit speculi Diametri quarta parte, tum recedente objecto a speculo, recedet & Imago; vel accedente objecto versus speculum, Imago etiam accedet.

Et hæc omnia (quæ calculi vestigia premendo deduximus) Scholio unico conclusit, & in sua Catoptrica tradidit D. *Gregorius* apud Oxonienses Astronomiæ Professor.

Coroll. IV. In Æquatione $f = \frac{dr}{2d-r}$, si ponatur d infinita, erit $f = \frac{r}{2}$; quæ regula est pro Radiis parallelis, sive pro objecto radiante ad distantiam infinitam remoto. Idem sequetur, posito b infinito in æquatione $f = \frac{rr+rb}{r+2b}$.

Coroll. V. In Æquatione $\frac{dr}{2d-r}$ mutato quantitatis r signo negativo in positivum, erit $f = \frac{dr}{2d+r}$; vel in æquatione $f = \frac{rr+br}{r+2b}$, mutato signo positivo in negativum, erit tunc $f = \frac{rb-r^2}{r+2b}$.

$\frac{rb - rr}{2b - r}$, quæ regulam exhibet pro speculo versus objectum radians *convexo*. Patet hæc mutatio signi; nam sicut in speculo concavo $d = r + b$, sic in convexo $d = b - r$.

Coroll. VI. In Speculo Convexo (stantibus quæ ad Cor. III. annotavimus de Concavo) patebit, quod (si n sit numerus integer) $2r n d d + n d r r > 2r n d d + d r r$; & (n fractione existente) quod $2r n d d + n d r r < 2r n d d + d r r$. Hoc est, quod recedente objecto a speculo, vel versus idem accedente, Imago similiter recedet vel accedet.

Patet etiam in Speculo Convexo, objecto ad immensam usque distantiam retrocedente, Imaginem tamen illius non ultra Diametri partem quartam abire a vertice, sed ibi, in puncto, centrum inter & verticem medio, se sistere. Posito enim d vel b

infinito, erit $f = \frac{dr}{2d}$ vel $\frac{br}{2b}$, id est (utrovis modo) $= \frac{r}{2}$

Hiscæ adjungi potest & Problematis Catoptrici solutio, *Radiantis positionem respectu speculi dati talem invenire, ut radians ad ipsius imaginem a speculo factam, datam habeat rationem.* Sit Ratio data $r : q$. & symbolo O designetur Objectum, I Imago, d distantia objecti, & f imaginis a speculo. Jam (quod demonstravit *D. Gregorius*) erit $O : I :: d : f$, (hoc est Objectum & Imago sunt distantis suis a speculi vertice directe proportionales) & quoniam requiritur, ut sit $O : I :: r : q$, debet etiam esse $d : f :: r : q$, vel (ipsius f expressionem scri-

bendo) $d : \frac{dr}{2d - r} :: r : q$, unde $2 d d q - r d q = r d r$, &

$2 d q = r r + q r$, & $d = \frac{r r + r q}{2 q}$. Unde quoniam $d r =$

$\frac{r r r + r r q}{2 q}$, & $2 d - r = \frac{r r}{q}$, erit etiam f sive $\frac{d r}{2 d - r} = \frac{r r r + r r q}{2 q}$

$= \frac{r r}{q} = \frac{q r r r + q q r r}{2 q r r} = \frac{r + q}{2}$, quæ est ipsius f , sive imaginis a

speculo distantia, huic objecti distantia congrua. Ergo si

statuatur objectum ad distantiam $\frac{r r x r q}{2 q}$, ipsius Imago facta ad

distan-

distantiam $\frac{r+q}{2}$ ei comparata, eandem habebit rationem, quam $q : r$, sive erit $O : I :: r : q$. Nam $O : I :: d : f :: \frac{r+r+rq}{2q} : \frac{r+q}{2} :: r : q$. $Q : E : I$.

Objectum Radians & Imaginem hic tanquam Lineas consideravimus. Si enim Superficies sunt, tum erit $O : I :: d^2 : f^2$, & $d^2 : f^2 :: r : q$, sic ut ultimo deveniatur ad Æquationem $4 d d - 4 q d r = r^2 - q r r$, e qua radicis d valor Methodis vulgaribus facillime inveniri potest.

**Christian Weisens Oratorische Fragen, stat
einer wohlgemeinten Nachlese, &c.**

h. e.

*CHRISTIANI WEISII QUÆSTIONES ORATORIÆ, IN
modum Spicilegii adornatæ.*

Lipsiæ, sumtibus Jo. Frider. Gleditschii, A. 1706. 8. Alph. 2. pl. 3.

EDitis tot tamque variis ingenii monumentis, in quibus eloquentiæ præcepta laudabili opera tradidit egregieque illustravit celeberrimi nominis Vir, *Christianus Weisius*, operæ pretium se facturum existimavit, si post messem, quod ajunt, Spicilegium institueret, ac *Quæstiones* hæc *Oratorias* luci publicæ exponeret. Ad duo autem præsertim capita omnia, quæ in toto libro traduntur, apte revocari posse videntur. *Primum* enim de *conceptibus rite formandis* agitur, adeoque doctrina de *Chria* facili ac ordinaria, nec non inversa, & artificiosissima, de *Periodis*, de *Amplificatione* varia, ac denique de *Oratione* integra undecim capitibus fuse exponitur. *Deinde*, quæ ad exquisitissimorum verborum studium spectant, Autor persequitur, atque de *elocutione*, *Phrasibus*, *Connexionibus* & *Stylo* ita differit, ut capite ultimo de *Orationibus* practicis agat, quas in *communes*, *scholasticas*, *sacras* atque *politicas* dispescit. In fine libri *Appendix* adnectitur duobus constans capitibus, in quorum primo illorum sententia refellitur, qui Autorem supervacaneum laborem præstitisse ajunt, dum sermones atque loquendi formulas, quibus in vita communi colloquiisque familiaribus civilitatis causa utimur, certis regulis ac partibus adstringere tentaverit; in altero vero dubiis eorum iterum obviam, qui ex præceptis *Weisianis* brevioris styli rationem addisci haut posse existimant, atque adeo quadruplex contrahendi modus ostenditur, qui nimirum per *contractionem connexionum*, *conceptuum*, *phrasum* ac per *variationem* possit institui. Accessit duplex Index, qualem multi hæcenus in *Scriptis Cl. Autoris* desiderarunt.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anni M D C C V I I.

*VITÆ QUORUNDAM ERUDITISSIMORUM
& illustrium Virorum, Scriptore THOMA SMITHO,
S. Theol. D. & Ecclesiæ Anglicanæ Pres-
bytero.*

Londini, apud Davidem Mortier, 1707. in 4.

Alphab. 2. plag. 16.

D Joannes Fellus, Episcopus Oxoniensis, Virorum apud
Anglos maxime celebrium, qui duobus proxime elap-
sis Seculis floruerunt, vitas tribus forte Voluminibus
comprehendendas, in lucem edere publicam secum constitue-
rat. Verum ex quo huic ejus instituto mors, quæ ipsum A.
1686. mense Julio humanis rebus exemit, obicem posuisse depre-
hensa est, repertus fuit, qui vestigiis illius insistendum sibi venire
duxit Clariss. *Smithus*, nobis jam tum in Actis anni 1696 p. 441
& alibi memoratus, & horas subsecivas non posse aut decentius
aut utilius, quam in contexendis magnorum Virorum Vitis collo-
cari existimans, bene hac in parte mereri voluit de defunctis, be-
ne de universo Orbe Erudito, utpote quem non parum delecta-
ri constat Historicis narrationibus, in quibus Virorum Clarorum
profapia, educatio, mores, excelsæ animi dotes, studiorum &
totius vitæ ratio, erga sanctissimum Numen pietas, in Ecclesiam
& Rempublicam literariam merita, dignitates, & memorabilia,
quæ ad illos propius spectant, brevi compendio, tanquam in
tabula, coram omnium oculis representantur. Laboris vero
sui in hanc eruditionis partem excolendam ornandamque im-

T

penſi

penſi aliquōt in hoc Volumine exempla repræſentat, vitas puta *Octo* Virorum ſummorum, quos Angliæ decora jure nuncupaveris.

Eos inter primo loco tanquam πρόσωπον τηλαυγές comparet *Jacobus Uſſerius*, Archi-Epiſcopus Armachanus, & totius Hiberniæ Primas. Hujus equidem vitam a Reverendo Viro, *Richardo Parro*, qui Uſſerio a ſacris fuerit domeſticis, ſuæque fidei & curæ collectanea vaſtæ molis ingentemque ſchedarum ſtruem a moriente Patrono conceditam acceperit, ampla commentatione Epistolis Uſſerianis A. 1686 Londini publicatis præfixa delineatam jamtum fuiſſe fatetur, ſed multo tamen plura ex iisdem collectaneis, & præſertim ex epistolis, quas, antequam in lucem producerentur, accurate perlegerit, ex ſchedis item aliis Autoris manu deſcriptis & in Bibliotheca Bodlejana repositis, ac denique ex iſtorum temporum historiis ſe huc conſulſiſſe Noſter perhibet.

Secundus eſt *Joannes Coſinus*, Epiſcopus Dunelmensis, cujus de ſtatu & conſtitutione Eccleſiæ Anglicanæ libellum ἀνένδολον ex autographo cum exſcripſiſſet *Smithus*, in publicam eundem lucem edere ſibi propoſuit, & ut eo meliori ille apparatu inſtructus prodiret, quædam de Autoris natalibus, educatione, ſtudiis, muneribus, tum in Academia Cantabrigienſi, tum in Eccleſia adminiſtratis, de perpeſſionibus ſub Parliamentariæ rebellionis temporibus, de exilio in Gallia, de invicta adverſus tum Romanenſes, tum Puritanos, fortitudinis & veritatis contra utroſque tuendæ zelo, deque univerſæ vitæ ejus ratione præmittere inſtituit, quarum in rerum notitiam non appendix modo ad funebrem Concionem a *D. Iſaaco Baſirio*, Archi-Diacono Northumbriæ, A. 1672 habitam eundem introduxit, ſed & operoſior aliis in monumentis facta indagatio haud pauca minimeque vulgaria ſuperaddidit. Quanquam huic longæ & laborioſæ investigationi parcendum fuiſſe fatetur, ſi integer extitiſſet libellus ab ipſo *D. Coſino* compoſitus, ſub titulo: *Vitæ meæ ab initio, id eſt, ab Anno 1595 uſque ad A. 1665 brevis enarratio*, cujus fragmentum vere aureum Anglice exaratum, de *Marci Antonii de Dominis*, Archi-Epiſcopi Spalatensis, primo in Angliam ad-

ventu, illiusque cum D. Overallo, Episcopo Norwicensi, collatione, cui jussu Patroni interfuerat, de statu Ecclesiæ Anglicanæ, deque fidei & doctrinæ articulis in illa juxta antiquam fidem, & religionem Ecclesiæ Catholicæ agnitis assertisque in palatio Lambethano habita, in museo Reverendi Viri, D. Joannis Tong, Branspethæ prope Dunelmum Rectoris, hodie reperiatur.

D. Joannis Gravii, Astronomiæ in Academia Oxoniensi Professoris Saviliani, vitam, quorundam Virorum doctissimorum e Societate Regia Londinensi rogatu, ducentis tantum exemplaribus e prelo exclusis, inter Amicos distribuendis, sumptibus propriis Lond. 1699 edendam Noster curaverat. Ab illo tempore schedas quasdam Viri, ob scientiarum Mathematicarum, Linguarum Orientalium, politiorisque literaturæ studia celeberrimi (quo elogio Gravium maectat,) ab Amicis nactus, easdem sub Opusculorum Joannis Gravii titulo edere decreverat, una cum D. Briggii & Bainbridgii lucubrationibus posthumis, quibus & utriusque vita præfigenda fuerat. At Bibliopolarum causatus avaritiam & *μικροψυχίαν*, propositum hoc sufflaminatum esse dolet. Vitas vero has a naufragio quasi liberatas heic exhibet, unde tertio loco *Henrici Briggii*, Geometriæ in Academia Oxoniensi Professoris Saviliani, quarto *Joannis Bainbridgii*, Astronomiæ in eadem Academia Professoris, & quinto *Joannis Gravii*, quæ sola, ut dictum, seorsim jam antea prodiit, (vide Acta nostra anni 1700 p. 514) vitæ exhibetur transactio.

Quæ sexto septimoque loco comparet, *Petri Junii*, Patris, & *Patricii*, Filii, istius, Jacobi I. Præceptoris & magni Scotiæ Eleemosynarii, hujus, Jacobo I & Carolo I. Regibus a Bibliothecis, vita e Patricii Junii Epistolis ad Frontonem Ducæum, Lucam Holstenium, Claudium Salmasium, aliosque magnos Viros scriptis, & una cum schedis aliis liberaliter a Guil. Atwoodo, Jcto, ejusdem Patricii Junii ex filia nepote, secum communicatis primam sumsit originem. Agmen vero claudit octavus *Joannes Dee*, quem *Devum* Latiniori vocabulo appellat, Mathematicus Anglus.

Ex singulis his vitarum delineationibus quamplurima excerpere liceret, quæ Lectorem juvare possent & delectare, si

impresentiarum prolixioribus nobis esse vacaret. Ex prima proinde solum ultimaque, *Usserii* videlicet *Devi*que, vita duo adhuc annotabimus.

Usserium Bibliothecam possedisse refert e decem millibus libris tam impressis quam manu exaratis conflata, quam Collegio Dublinensi, in quo educatus fuerat, in perpetuum observantiae & grati animi testimonium post mortem dono dare ille constituit. Verum de filia ejusque numerosa prole sollicitus, paternam ex cura atque pietate huic potius thesaurum istum postea destinavit. Justo hunc pretio redimendum sibi que afferendum duxerunt tum Serenissimus Daniæ Rex, tum Cardinalis Mazarinus, sed intercessit Cromwellus, cavitque, ne is extra Angliam exportaretur. Interim accidit, ut Ductores copiarum, quæ duce Cromwello Hiberniam expugnaverant, pecuniis ad bis mille & ducentas libras sterlingicas excrefcentibus, tum ex suis, tum ex gregariorum in exercitu militum stipendiis simul collectis, ut in Bibliotheca Dublinensi primum condenda factum fuerat, de libris Usserianis, ut nobilis eidem Bibliothecæ fieret accessio, redimendis convenerint. Sed postquam in Hiberniam advecti fuissent, rejecto isthoc proposito, ne tali admixtione quippiam exinde gloriæ, quam captabant, decederet, de novis conclavibus alibi exstruendis, in quibus ad majorem munificentiae ostentationem seorsim reconderentur, deliberarunt. Nondum constituta ista re, in quasdam arcis Dublinensis cameras, quibus propemodum incustoditis nimium facilis patebat aditus, detruduntur, malorum hominum, qui multos tum excusos, tum manuscriptos optimæ notæ codices clam surripuerunt, fraudibus obnoxii, donec tandem A. 1661. Rex Carolus II, Prorege & ordinibus Regni petentibus, communi Bibliothecæ, quotquot supererant, inferri jussit.

Quod ex vita Joannis Devi seligimus, hoc est. Postquam in illius amicitiam A. 1555 se insinuaverat Edwardus Kellæus, artis chrysopoeticæ studiosus, pacti cum dæmone initi suspectus, crebras expertus Deus est malorum apparitiones Spirituum, quos ille tamen bonos esse Dei angelos, ad mentem clarioribus divinæ sapientiæ radiis & futurorum eventuum cognitio-

gnitione illuminandam cœlitus missos credidit. Hi per annos haud unos frequentes cum ipso instituerunt collationes, quas & in libris plurimis sedulo descripsit Deus, quos tamen omnes aliquando in ardentem fornacem conjicere a spiritibus jussus est. Non sine horrore legas, quam fraudulenter homini superstitioso imposuerint maligni spiritus. Equidem aliquos narrationes istas singulas ad maleficatorum quorundam hominum fabulas referre; alios ad fictam Kellæi imposturam respicere; imo Robertum Hookium, Geometriæ in Greshamensi Collegio Professore, in Operibus Posthumis mox memorandis, affirmare ait Smithus, historicam Devi narrationem juxta literalem sensum intelligi non oportere, sed omnes istas apparitiones cum spirituum nominibus, Dialogos item & qualescunque voces, aliaque ad cryptographiam referenda esse, & sub hisce involucris Deum longe aliud innuisse, quippe qui a Regina Elisabetha illiusque Consiliariis in Poloniam & Bohemiam, ut arcana Principum, quos adibat, consilia vafre exploraret, missus fuerit. Vicissim vero Noster pro earum fide atque veritate modis omnibus depugnat. Unum addimus, Mericum Casaubonum pleraque Devi hujus scripta cum docta & proluxa Præfatione sub titulo: *A true and faithful Relation of what passed for many Years between Dr. John Dee and some Spirits* e Cottoniana Bibliotheca Londini 1659. f. edidisse, hodie in ipsa Anglia parum obvia.

THE POSTHUMOUS WORKS OF ROBERT HOOKE publish'd by RICHARD WALLER.

h. e.

OPERA POSTHUMA ROBERTI HOOKE,
publicata a RICHARDO WALLERO.

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford.

1705. fol.

Constat 6 Alph. & 16 Tabb. æn.

T 3

Dudum

DUdum scriptis suis perquam eruditis maximam inter Mathematicos famam meruit *Robertus Hooke*, ita ut nulli dubitemus, quin singulare pretium cunctis statuam eruditi, quæ ipsius meditationibus debentur. Certe sola ejus *Micrographia* luculentum eruditionis & ad materias Mathematico-Physicas tractandas aptitudinis testimonium perhibet, quem librum ex Anglico, quo scriptus est, idiomate Latine redditum preloque paratum inter eruditissimas schedas alias D. Christophorum Pinckerum, Collegam quondam nostrum maxime industrium, reliquisse novimus. Occasione enim observationum Microscopicarum præcipua Scientiæ Naturalis capita explicat & variarum machinarum ad Scientiam Naturalem promovendam apprime utilium constructionem edocet, multaque præclara experimenta recenset. Ut vero Scripta ejus ante Acta nostra prodierint (*Micrographia* enim A. 1665 in fol. *Lectiones Cutlerianæ*, de materiis Physicis, Mechanicis, Geographicis & Astronomicis tractantes, 1679; *Lampas, Microscopium & Lectiones de Elatere*, 1677; *Descriptio Helioscopiorum*, 1676; *Animadversiones in Tomum I Machinæ Hevelii*, 1674 in 4. Londini lucem adspexere;) non tamen ejus in Actis nostris nomen prorsus ignotum, cum duo egregia inventa *Hookiana* Tom. I Supplementorum p. 246 seqq. & 447 seqq. repræsentaverimus. Gratam igitur publico operam præstitit *Richardus Wallerus*, Societatis Regiæ Anglicanæ Secretarius, quod, quæ inter schedas Autoris MSC. sparsa jacebant, in ordinem redigere & in unum volumen compingere non dedignatus fuerit: nec minorem referet gratiam, si quidem reliqua fragmenta, inventa & experimenta *Hookiana*, quorum editionem promittit, quantocius publicaverit, imprimis si opuscula ab ipso Autore, cum in vivis adhuc esset, edita, nunc vero admodum rara, simul recudantur. In præsentem autem opere *Lectiones Cutlerianæ* alique discursus coram Societate Regiæ Londinensi recitati comparent: in quibus ordinandis non ad tempus, quo conscripti sunt, sed ad materiarum affinitatem respexit *Wallerus*. Ad quinque omnes revocat capita generalia. In primis nempe discursibus de præsentem Philosophiæ Naturalis statu agitur, defectus notantur, & quomodo per experimenta

rite instituta & observationes debita cum cura collectas iis medeatur, edocetur: præterea quoque monstratur, qua ratione Historia Naturalis compilari debeat, ut ipsi tanquam solidæ basi omnis Scientiæ Naturalis veritas tuto superstruatur. Classis altera discursus de Lumine continet, naturam, proprietates & effectus luminis explicantes. Tertia naturæ Cometarum & gravitatis luminisque nonnullis proprietatibus enodandis impenditur. Quarta Terræ motibus & subterraneis eruptionibus variisque inde pendentibus effectibus ac Telluris mutationibus expendendis dicatur. Quintam denique Lectiones occupant ad Navigationem & Astronomiam perficiendam tendentes. Enimvero dum has materias accurate pertractat Autor, multa simul de aliis materiis agnatis diffuse disserit, ut multarum rerum cognitio ex his operibus hauriri possit. Ita e. gr. dum methodo Scientiam Naturalem promovendi explananda incumbit, peculiare quoddam instrumentum describit, quo corporum delabentium velocitas accurate examinari valet. Dum de Lumine tractat, in substantiam Solis solerter inquirit, quem in omnibus fere, solo lumine excepto, cum Tellure convenire statuit, immo esse ipsum corpus solidum & opacum pronunciat. Soliditatem per constantiam rotationis, fixitatem axis, attractionem partium ad centrum suum probat: opacitatem ex macularum in margine disparitione evincere conatur, in parte nimirum averfa videndarum, si Sol esset fluidum transparentis instar flammæ alicujus candelæ. Ex maculis, quas prolixissime describit, atmosphæræ Solaris existentiam concludit, easque pro nubibus Solaribus, h. e. exhalationibus Solis in atmosphæra ipsius concretis habet. Lumen ait ab igne actuali produci, seu continua partium superficialium dissolutione, cujus menstruum sit atmosphæra. Ex motu macularum motum vertiginis Solis 25 dierum adstruit: Solem esse corpus addit omnibus hæctenus notis majus, & ejus partem, a qua radii ad Tellurem defluunt, esse ad superficiem Telluris ut $3784\frac{1}{2}$ ad 1. Agit item de stellis fixis, quas similiter corpora perpetuo ardentia esse judicat. Stellas vero nunc apparentes, nunc disparentes, qualem *Tychonis* tempore in Cassiopææ sidere observaverunt,

runt, corpora esse existimat, quarum superficies nunc in flammam majorem, nunc in minorem conjiciatur. Multa etiam de Cometis in medium affert, disputans contra *Hevelium* de cauda Cometarum; contra *Anselmum*, Monachum Carthusianum Gallum, & alios, qui Cometæ caudam pro mera apparentia per refractionem in capite transparente factam productam venditant; contra *Aristotelicos* Cometas in atmosphæra Telluris locantes, quorum sententiam ex parallaxi anno 1472 primus oppugnavit *Johannes Regiomontanus*, & postmodum fortius *Tycho de Brahe*, *Rothmannus*, *Mæstlinus*, *Cornelius Gemma*, & *Matthæus Hegetius* ex observationibus Cometarum A. 1577, 1580, 1585, 1590 & 1593 illis ultra Lunam locum primi assignantes. Planetas nonnisi lumen Solis reflectere probat. Recenset etiam corpora terrestria combustibilia; corpora lucentia calida, sed non combustibilia; corpora sine calore lucentia; corpora per impressionem lucis lucentia, v. gr. si exponantur Soli; corpora denique per modum lucentia. Explicat ulterius fabricam oculi quam accuratissime una cum modo visionis, machinam insimul construere docens omnibus phœnomenis, quæ in oculo contingunt, repræsentandis aptam. Et hæc visionis theoria ad actiones mentis mechanice explicandas ipsum deducit. Statuit vero esse aliquam mentis in cerebro sedem, ad quam omnes sensuum impressiones deferantur. Hoc idearum repositorium variam continere materiam in usum animæ, cui Elementorum idearum tribuit nomen, eamque quintuplicem præcipue reperiri ait pro varietate sensuum. Certam esse capacitatis spheram circa sedem mentis, quod centrum vocat, intra quam idæ formentur, recipiantur & retineantur. Ideas esse corporeas & quamlibet determinatam habere figuram, determinatum motus gradum; consequenter duas non posse esse una in eodem spatio. Animam singulis momentis aliquam harum idearum partim virtute immediata, partim ope sensuum producere & repositorio inferere, quod omnibus capiendis sufficere ingenioso calculo evincit. Has ideas formari in centro & novis formatis antiquas pelli a centro versus peripheriam: actionem animæ eas formantis esse id quod attentionem vocamus.

camus. Cæterum semel formatas formam & motum successu temporis amittere posse, sicque alterari, immo prorsus deleri. Ut autem percipiantur, id debere animæ Solis instar continue radiantis radiationi, dum scilicet in spiritus illas circumfluos agat: percipi nempe ab anima tanquam resistantiam & reactionem suæ radiationis. Equidem ob continuam mentis in repositorium irradiationem omnes semper percipi ideas, sed ob earum multitudinem nonnisi confuse: eam vero in specie distincte sentiri, in quam juxta voluntatis suæ determinationem in specie virtutem suam radiantem exerit. Asserit quoque ideas motu quodam proprio radiare & hac radiatione in animam agentes ipsam ad attentionem excitare. Radiationem animæ magis particularem ad hanc vel illam repositorii partem esse, id, quod cogitationem appellamus: ratiocinationem vero absolvi, dum anima novas formet ideas per comparationem reactionum a diversis ideis in diversis repositorii partibus locatis, & harmoniæ ac disconvenientiæ illarum perceptionem. In specie notat, notionem temporis esse apprehensionem distantiae idearum a centro, adeoque memoriæ deberi, quæ sit idearum per sensus acceptarum, vel etiam virtute mentis formatarum repositorium. Hinc tempus tanto sensibilius esse, quanto major idearum numerus a centro versus peripheriam positarum. Dum de Cometis differit, experimentum circa efficaciam luminis Lunaris institutum refert, quam nullam esse deprehendit, licet radios Lunares ope speculi caustici ad spatium 500 vicibus minus, quam quod ante collectionem occupaverant, redactos in globum thermometri aere plenum conjiceret. Causam vero, cur nullus radiis Lunaribus gradus caloris insit sensibilis, in Lectionibus de Lumine hanc reddit, quod per reflexionem nimis rarefiant: demonstrat enim, lumen Lunæ plenæ nonnisi 104368 partem caloris radiorum Solarium continere, ex supposito nempe hoc principio, gradum caloris esse proportionatum gradui luminis. Prolixi de Terræ motu Tractatus maxima pars cochleis seu conchis aliisque rebus ex terra effosis & petrefactis impenditur. Notat talia reperiri in multis Terræ regionibus & quidem talibus, ubi difficulter imaginari licet, quomodo

modo illuc devenerint, cum aliquot 100 miliaribus a mari distent: immo reperiri in ipsis summis montibus. Quædam referre figuras piscium, quædam animalium, quædam figuras plantarum, hæcque omnes arborum partes constitutivas habere, corticem nempe, medullam, poros, radices, ramos, gummi &c. utut intra terram situm obtineant ab eo longe diversum, qui plantis similibus, dum crescunt, competit. Corpora ejusdem figuræ ex diversa sæpius constare substantia, immo partes etiam diversas esse corporis unius. In quibusdam conchas inclusas reperit, quarum convexitati exacte respondit concavitas corporis ambientis. Unde infert, corpora ista figurata aut esse petrefacta, aut saltem repræsentare impressiones aliunde factas, quemadmodum formam sigilli recipit cera. Quoniam vero experimenta reperire non licuit, quibus eundem effectum ad libitum producere datur; causam petrefactionis extraordinariam esse debere affirmat. Esse nimirum vel speciem aliquam aquæ petrificantis, aut mixturam salinam vel sulphuream cum concursu caloris ab ignibus subterraneis vel terræ motu suppeditati conjunctam; aut diuturnam illorum corporum in magno gradu caloris, compressionis & quietis commorationem: id quod per varia experimenta credibile reddere conatur. In primis urget, quod aquæ sponte abire potuerint in lapidosam substantiam, per aliquam artem nunc cognitam in aquam vix reducibilem, quia non solum in fundo omnium fluminum & aquarum fluentium ingens reperitur arenæ quantitas, cujus figura & transparentia per microscopia examinata originem ex aqua monstret; sed etiam aqua marina, si evaporetur, arenam relinquit, utut ab ea prorsus libera extiterit, & aqua quælibet per crebras destillationes in calcem album insipidum, in aquam non rursus resolubilem, convertitur. Provocat ulterius ad *Kircherum*, qui in *Mundo Subterraneo* herbas intra aquam crescentes commemorat, quæ extirpatæ in lapidem abeunt, utut similes ex arida in vicinia efflorescentes non eandem experiantur sortem. Ut vero explicet, quomodo corpora ista in Telluris viscera delata fuerint, faciem Telluris a prima creatione multum immutatam esse asserit, ita ut nunc sint montes, ubi fue-

fuerint valles; sit terra continens, ubi fuerit aqua, & contra. Causas mutationis ponit terræ motus, motum aquæ per declivia ruentis aut per ventos agitatae cum æstu maris, inundationes, motus aeris violentos, corporum graviorum subsidentiam & leviorum emersionem gradualem. In specie quod nunc sint maria, ubi ante fuerunt montes & contra, causam conjicit in mutationem centri gravitatis Telluris a terræ motu vehementiori factam. Hinc & probabile ipsi videtur mutari Polum rotationis (unde fiat, quod non semper idem cœli punctum respiciat;) adeoque olim rotationes Telluris citius fortassis absolutas, consequenter Patriarchas antediluvianos non fuisse nobis longæviores. Negat vero mutationem Telluris omnem a diluvio Noachi peti posse, quod tantum 200 circiter dies duraverit adeoque tot corporibus in lapidem convertendis non suffecerit. Dissertit præterea de figura Telluris & atmosphærae ipsam ambientis sphaeroidica: exponit methodum lineam Meridianam exacte citra errorem unius secundi determinandi, & ex ejus alteratione alterationem axis rotationis stabilit: affert nonnulla de ascensu Mercurii in Barometro: libros Metamorphoseos *Ovidii* pro systemate historiae naturalis, multas mutationes & catastrophes, quæ Telluri acciderunt, continente venditat, & fabulas ejus in sensu Physico explicat, calculum tamen non adjiciente *Walleri*. Denique in Lectionibus Navigationi & Astronomiæ promovendæ destinatis multa de mensura fixa constituenda disputat. Ostendit nævos ejus methodi, qua eligitur pendulum vibrationes singulis secundis absolvens, temporis quidem æqualis per reditum stellæ ejusdem ad eundem Meridianum mensurati. Tale nimirum pendulum longius versus Polum, quam versus Æquatorem deprehenditur, quia ibi vis gravitans major, quam hic. Addit, nec eodem in loco constantem esse penduli longitudinem, ob vim gravitantis eodem in loco variantem, diversis præsertim anni tempestatibus, prout Tellus vel in Aphelio, vel in Perihelio fuerit. Præterea si pendulum ex metallo paretur, æstate longius fore, quam hieme; si paretur ex filo, tempestate humida longius fore, quam sicca. Contra methodum alteram, qua pro mensura

ra fixa assumitur distantia duorum locorum sub eodem Meridiano sitorum & quorum latitudines uno præcise gradu differunt, urget difficultatem talia loca determinandi, irregularitatem graduum a spheroidica Telluris figura petendam, difficultatem observationes necessarias instituendi, materiæ, ex qua mensura paratur, immo forte & Telluris ipsius, intumescentiam vel detumescentiam. Fallacibus itaque methodis novam substituit minus fallacem. Assumit scilicet tanquam per experientiam cognitum, corpus fluidum in alio fluido heterogeneo induere formam globosam, certam vero quantitatem fluidi formam globosam seu sphericam in spheroidicam mutare, ita ut diameter longior Horizontalis sit ad brevioram verticalem ut 2 ad 1. Obtineri adeo mensuram fixam, immo pondus quoque fixum, si Mercurii perfecte depurati certa quantitas in aquam destillatam immittatur, quæ figuram prædictam exacte assumit. Ad examinandam vero figuram Mercurii & rationem diametrorum methodum commendat figuræ corporis cujusvis exacte delineandæ aptam. Per exiguum scilicet foramen in cameram obscuram intromittit radios Solares, plano polito & candido excipiendos, & objectum delineandum medio inter foramen & planum ponit loco. Quodsi foramen lente convexa muniatur, planum a foco aliquantisper removendum, quo scilicet radios excipiat divergentes. Alios vero usus complures luminis Solaris in cameram obscuram intromissi monstrat: inter quos non postremus, quod, si candela vel lampas ardens intra conum luminosum ponatur, materiam dissolutam & cum aere commixtam instar ingentis fluminis aquæ supra aggerem elatum ruentis ascendere videamus: quam apparentiam ad apparentias caudæ Cometarum illustrandas mire conducere arbitratur. Enumerat præterea difficultates lineam rectam, præsertim longiorem, & arcus circuli majoris ducendi: tradit methodum ea in praxi præstandi: exponit rationem lineam exacte in partes quotcunque æquales & in omnes partes aliquotas dividendi: pertexit historiam thermometrorum & methodum ea construendi explicat: lineæ logarithmicæ naturæ ac proprietatibus enumerandis intentus: & *Antonii Mariæ Schyrlei de Rheita*

Rheita in Oculo Enochii & Eliæ proposita ænigmata Dioptrica solvit. Nempe quod p. 344 proponitur, hunc habet sensum: *Chartam patinæ lenissimo pulmento ingeniose agglutina, tripoli vitrum polito in ea.* Alterius p. 356 extantis hic est sensus: *Convexa quatuor melius dicta objecta erigunt multumque amplificant. Rite vero tertium colloca in punctum confusionis. Sunt vero vitra tria ocularia convexa, objectivum quartum.* Cæterum in discursibus primis de methodo Scientiam Naturalem perficiendi Algebram Philosophicam tradere animus erat, in duas partes abeuntem, quarum prima mentem ad veritates physicas investigandas præpararet, & ad data quærenda promptam redderet; altera vero regulas operandi seu supellectile collecta utendi subministraret. Maxime autem dolendum, quod pars altera deficiat. Interim nec prima prorsus destituitur regulis omnibus intellectum in veritatum Physicarum investigatione adjuvantibus. Neque enim solum præjudiciorum originem, & medelas sensuumque in cognoscendis corporum naturalium effectibus ac proprietatibus ministerium per artem mire perficiendum distincte declarat; sed methodum etiam experimentandi, methodum ad quæsitum respondendi, methodos gradus proprietatum corporum naturalium determinandi, methodos varias secretum naturæ agendi modum investigandi, denique 28 methodos modos naturæ in operando obvios detegendi suppeditat. Lumen esse ait peculiarem motum partium corporis luminosi, qui corpus quoddam perfecte fluidum & perfecte densum afficiat, ita, ut partibus corpori luminoso proximis motis, moveatur & totum expansum fluidum majoris condensationis nescium. Esse adeo lumen in medio motus propagationem, & plures radios diversos per idem medium citra confusionem propagari posse, quemadmodum circuli plures a pluribus guttis in eandem aquam una delapsis citra confusionem excitentur, ita ut una guttula aquæ pluribus motibus simul propagandis inserviat. Defendit, lumen per spatium immensum infinita celeritate propagari, & *Ræmeri* experimentum demonstrandæ luminis propagationi successivæ insufficiens esse sibi persuadet, quia perfectam motuum Satellitum Jovis theo-

riam supponit, quam nos habere nondum demonstratum sit, fortassis enim eorum Anomaliam magis differentibus motibus, quam Lunæ complicari, cum hæc saltem a Sole & Tellure, Satelles Jovis vero interior forte & a 3 Satellitibus exterioribus afficiatur: quod dubium ex Astronomia Physica recentiore de corporum mundanorum in se mutuo gravitationibus desumptum. Credit enim *Hooke*, lumen esse eam virtutem corporum cœlestium, qua in se mutuo agant & se mutuo attrahant, qua Planetæ primarii circa Solem moti in velocitate, distantis & linea motus dirigantur; secundarii circa primarios periodos suos absolvant. Ex facie Solis per exiguum foramen in Cameram vere obscuram transmissi didicit, penumbrosum aliquem circulum isti undiquaque connexum fere dupla diametro foraminis spissiore esse: quod cum fieri non posse, Geometricè demonstrat, si radii per lineas rectas propagari ponantur, eos a lineis rectis deflectere statuit. In speciali discursu tractus luminosi circa æquinoctium vernum in signo Tauri a *Childreyo*, *Cassino* aliisque observati & quotannis observandi causam reddit. Eam scilicet effluviis aeris ultra atmosphæram elatis tribuit. Sole in Perigæo existente atmosphæram per majus spatium rarefactione extendi credit, quam alias unquam, motuque Telluris annuo incitato multam aeris partem in quandam ætheris speciem conversam intra ætherem relinqui; vapores aereos calore privatos in substantiam aeri rarefacto, ex quo generati, similem condensari; hanc condensationem diversum transparentiæ gradum a reliquo æthere ipsis conciliare, ut radios Solares reflectentes & refringentes luminis prædictum tractum exhibeant, donec rursus dispergantur. Cur vero hæc apparentia a Terricolis ad Tauri asterismum referatur, ex motu Telluris annuo circa Solem per schematismos declarat. Cometarum figuras ab *Hevelio* in Cometographia etiam ex propriis observationibus descriptas pro genuinis non agnoscit; quales ipse viderit, monstrant Figuræ 1. 2. 3. 4. 5 & 6 quodque notatu maxime dignum, flammam ex capite subinde erumpere & stellas per caudam ope telescopii conspicuas conspectui eripere, maxima cum circumspeditione observavit. Cometam itaque pro

TAB. III.
Fig. 1. 2. 3.
4. 5. 6.

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 5.





Fig. 6.



corporibus actu ardentibus habet, caudas vero flammæ candellæ respondere credit. Gravitatis hanc comminiscitur theoriam: supponit in globo Telluris peculiarem quendam motum, quo omnes ejus partes versus centrum Terræ vibrantur & a centro Terræ retroaguntur. Motum hunc vibratorium esse brevem admodum putat & celerem, ut in omnibus corporibus duris & compactis: eundem communicari cum certa ætheris parte particulis solidis vibratoriiis interspersi: hoc facto particulas quoque fluidas in orbem vibrari versus centrum & a centro in lineis ex centro radiantibus. Per hanc fluidi vibrationem non omnes modo Telluris partes versus centrum ejus trudi, sed ipsum etiam aerem & fluida reliqua omnia ob ætherem iis interspersum. Cum adeo motus hic vibratorius tanto lentior esse debeat, quanto major redditur activitatis sphaera; vim gravitatem pro ratione distantiae a centro Telluris, nempe in distantiarum ratione subduplicata, decrefcere debere. Notat præterea, ab omnibus tanquam certo assumi, gravia tendere versus centrum Terræ; sed a nemine hæctenus probatum, nec etiam per experientiam facile comprobari posse. Similiter nondum probatum esse, gravitatem omni tempore manere eandem: vim unicum probandi esse comparisonem descensus corporum gravium cum tempore, in quo descendunt, quamvis hic quoque exceptio de diversa medii densitate locum inveniat. Materiam terræ motuum pulveri pyrio non ab similem judicat, & ob defectum materiæ inflammabilis terræ motus nunc non esse adeo frequentes ac sub initium mundi pronunciat: ex hoc autem defectu mundum consenescere concludit. In Tractatu de Navigatione & Astronomia tractat de methodis inveniendi diametrum Telluris veram earumque fallaciis: de ratione inveniendi locum navis in mari: de figura Telluris: de primo Meridiano: de acu magnetica & ejus declinatione: de latitudine & longitudine locorum successu temporis juxta *Petitum* variata: de linea Meridiana, longitudine & latitudine locorum inveniendi: de Diametro apparente omnium Planetarum observandi: de orbita Lunæ, vera theoria Solis & obliquitate Eclipticæ curata determinanda: de usu observationum circa fixas habitarum

bitarum in constituendo motu Planetarum: de difficultatibus observandi Eclipses Lunares propter penumbram Telluris: de Eclipsibus Satellitum Jovis in definienda locorum longitudine Eclipsibus Lunæ præferendis: de Jovis Eclipsibus: de imperfectione instrumentorum nauticorum: de inæqualitate motus Telluris diurni & methodis eam examinandi: de ratione determinandi velocitatem venti per peculiare instrumentum, cujus descriptio deest. Docetur etiam instrumentorum nonnullorum fabrica, e. gr. Quadrantis exigui, alteri artificio vulgari ex diametro centuplo majore constructo perfectione nonsecundi, barometri marini, novi Quadrantis marini. Vitam *Hookii* operibus præmisit *Wallerus*. Natus is est d. 18 Julii A. 1635 in peninsula, quam *Freshwater* dicunt. Corpore fuit infirmo, & insigni a primis statim annis ad Mechanicam propensione præditus. In cursu studiorum scholasticorum præter linguam Latinam & Græcam Mathesin quoque didicit, jactis ex *Euclide* fundamentis ad cæteras Matheseos partes progrediens & veritates cognitatas ad Mechanicam applicans. A. 1653 in Academiam Oxoniensem profectus famulum alicujus studiosi egit, ibidemque A. 1655 multis viris præclaris innotuit & ob Mechanicas operationes gratus extitit. *Boyllo* antliam pneumaticam paravit, & in gratiam *Wardi* A. 1656 usum penduli ad observationes Astronomicas transtulit. Excogitasse etiam sibi fertur methodum machinas inveniendi. A. 1662 vel 1663 Magister Artium creatus est, cumque A. 1656, instigante *Wardo*, Astronomiæ Professore Saviliano, cui pereruditam Astronomiam Geometricam Ellipticam & Circularem debemus, studio Astronomico haud segniter incubuisset, A. 1658 vel 1659 varia instrumenta Astronomicis observationibus idonea paravit. Ipsi etiam inventionem horologii oscillatorii, Illustri *Hugenio* hæctenus unanimi Mathematicorum consensu adscriptam, vindicat *Wallerus*: atque inde A. 1663 pendulum circulare ad motum penduli reliqui continuandum idoneum excogitavit. Cum anno 1661 in peculiari Tractatu causam explicasset, cur aqua in tubis minoribus ultra libellam ascendat; anno 1662 in Societatem Regiam receptus est. Anno 1664 *Johannes Cutlerus* ipsi stipendium

annuum

annuum præbere cœpit, ut lectionibus Mechanicis operam daret: quo optime ipsum usum esse, tum Lectiones Cutlerianæ superius laudatæ, tum Opera Posthuma, de quibus hætenus dictum est, abunde testantur. Annua infirmitate extinctus d. 3 Mart. 1703, anno ætatis 67 mense 7 d. 3. Externa ei corporis figura valde abjecta, (gibbosus enim erat,) ingenium verè magnum fuit.

AN ESSAY TOWARDS A VINDICATION
of the Mosaic History of the Creation of the
World, in several Letters, by
JO. WITTY.

h. e.

VINDICATIO EXPOSITIONIS VULGARIS
*Historiæ Mosaicæ de Creatione Mundi, in variis
Litteris tentata a JOHANNE
WITTY.*

Londini, typis Johannis Wyat descripta, venditur
apud Thomam Baxterum, 1705. 8.

Constat plag. 13½.

Recensuimus A. 1697 Mense Decembri *Whistoni* Theoriam
novam Telluris: in quo libro multa habentur paradoxa.
Inprimis in dissertatione de Historia creationis Mosaicæ operi
præmissa vulgarem ejus expositionem multis modis impugnat,
quemadmodum ex recensione nostra satis constare potest. Hunc
vero ausum periculosum judicat noster: veretur enim, ne ho-
stes veritatis Religionis Christianæ ansam inde arripiant male
de divina Scripturæ Sacræ autoritate sentiendi. Putat nimirum,
facile ipsos abusuros hoc argumento: si historiam creationis
non secundum litteram interpretari licet, nec historia lapsus
litteraliter accipienda, consequenter nec redemptio; utut nullam
vim demonstrativam illi inesse agnoscat. Quod vero contra
Whistonum calamum stringat, librum perlegenti haud obscurum
esse potest. Attamen non minus modeste, quam erudite scri-

bit, testimonio profectuum haud vulgarium non minus in praxi Philosophiæ Moralis, quam theoria Philosophiæ Naturalis & Matheſeos ſatis luculento perhibito. Totum opusculum per eruditum undecim Epistolis abſolvitur: quæ vero in eodem pertractantur, ad tria capita revocantur. Defendit nimirum, expositionem litteralem Historiæ creationis Moſaicæ retineri debere, quod 1. omnes exceptiones contra vulgarem interpretationem afferri ſolitæ ſint Philoſophicæ, conſequenter precariæ, cum aſſumatur, quod nondum evictum, in formatione Mundi a Moſe deſcripta leges naturæ viguiſſe: 2. poſitò, juxta leges motus facta fuiſſe omnia, in Philoſophia tamen naturali nondum vel eam evidentiam materiæ ſint perductæ, ut cum ratione lapis Lydius Scripturæ Sacræ conſtitui queant: 3. juxta vulgarem expositionem nihil in ea historia reperiatur, quod Philoſophiæ optimæ contrarium exiſtat. De primo argumento diſſerit in epistola prima, in qua Deum immediata virtute in creatione egiſſe contendit, & ad *Whiſtoni* exceptiones reſpondet. Alterius argumenti deductioni ſecunda impenditur epistola: oſtenſurus itaque veritatibus in Scriptura revelatis majorem compe-tere evidentiam gradum, quam materiis Philoſophicis, conſequenter & legibus naturæ, quatenus nobis cognitæ, evincit dari Deum, eum nos creaffe ad noſtram felicitatem, nos ea excidiſſe, Deum obligari ad noſtram reſtitutionem, & modum hujus revelaffe in Scripturis. Exiſtentiam entis neceſſario exiſtentis ex entium aliorum exiſtentia colligit. Ens illud æternum non eſſe mundum probat, quod in eo ſit perpetua mutationum ſucceſſio, cum æternitate conciliari neſcia. Deum nos creaffe ad certum finem, ex ſapientia ipſius deducit. Hunc finem eſſe noſtram felicitatem, ex bonitate divina infert. Eadem nos in mundo non perfrui, conſequenter ea excidiſſe, per experientiam confirmat. Obligationem Dei ad noſtri reſtitutionem ex divinæ bonitatis infinitudine derivat. Modum reſtitutionis in Scripturis a Deo revelari aſſerit, quod nullum ſcriptum, pro revelatione divina venditari ſolitum, Deo dignius exiſtat, quam Scriptura Sacra. Unde tandem concludit, veritates in Scriptura revelatas ſummum minimum habere probabili-

bilitatis gradum, utut nonnisi Philosophice considerentur. Contra cognitionem Philosophicam esse non nisi conjecturalem, inde stabilire nititur, quod sua habeat applausus interval- la, quod essentias rerum ignoremus specificas, utpote sensui im- pervestigabiles, quarum tamen cognitio ad conclusiones cer- tas eruendas, teste Geometria, requiratur. Cum adeo sit major Scripturæ, quam Philosophiæ evidentia, concludendum ait, si Scriptura huic contradicit, hujus assertionem, utut possibilem, visam, esse falsam. Tertium denique argumentum in epistolis reliquis, excepta ultima, fuscè persequitur. Examinat dubia, ex Philosophia contra litteralem Historiæ creationis interpretatio- nem a *Whistono* in primis allata, & ex eadem illa solvit. Con- tra opus primæ diei cum urgetur, quod Deus causam lucis quarta demum diè produxerit, adeoque effectus ante causam extiterit; nos nondum certo scire ait, quid sit lumen, conse- quenter decidere non posse, num Solem antecedere potuerit. Affert itaque exceptiones tum contra eos, qui lumen habent pro qualitate inhærente; tum contra illos, qui effectum corpo- ris alicujus in animam esse statuunt. Certe theoriam *Cartesia- nam* a verticibus pendere, quos chimeras esse demonstraverit *Newtonus*. Repugnare eidem successivam luminis propaga- tionem, a *Ræmero* detectam, & *Newtono* approbatam. Hoc ta- men non obstante, monstrat, quomodo juxta ipsam *Cartesiano- rum* notionem lumen ante Solem esse potuerit. Addit, a Mo- se per lumen intelligi posse medium, per quod lumen propaga- tur. Qua occasione simul monet, *Newtonum* in sua theoria non stabilivisse (quod multi sibi persuadent) qualitates inhæren- tes, cum radios diversum coloris sensum producentes nonnisi specie motus differre statuatur. Dubium contra opus secundi diei ab aquis supracœlestibus petitum ita solvit. Per firma- mentum intelligit spatia inter corpora cujuslibet systematis in- terjecta. In quolibet systemate esse aquam. Ergo in quoli- bet systemate constitutum habere aquas supra & infra firma- mentum. Nec eam interpretationem Scripturæ pariter ac Phi- losophiæ irreconciliabilem existere monstrat, quæ aquas supra- cœlestes pro nubibus venditat. Circa opus tertii diei scrupu-

lum *Whiston* eximere allaborat, quod intra tam breve tempus nec aquæ in canales Oceani defluere, nec plantæ procrefcere potuerint. Possibilem utique fuisse aquarum intra Oceanum collectionem, si ipsis talis motus impressus intelligatur, qualis inest sono, quem intra minutum 12 milliaria peragrare experimentis comprobatum, aut prorsus istiusmodi, qualis lumini competit, quod juxta *Ræmerum* intra horam per 405000000 milliaria Anglica propagatur, ingenioso calculo comprobat. Ubi incidenter resolvit problema de nubium distantia ex viso fulgure ac tonitru audito investiganda. Cum nimirum tanta celeritate propagetur lumen, ut, si vel maxime nubium distantia 5, 6 vel 10 milliarium Anglicorum supponatur, (quanta tamen nunquam deprehenditur,) propagatio fulguris pro instantanea haberi queat; nubis distantiam haberi, si tempus inter visum fulgur & subauditum tonitru elapsum in horologio oscillatorio singula secunda accurate monstrante cum cura notetur, & pro singulis quinque secundis milliare unum computetur. Etenim maxima exactitudine experti sunt *Florentini*, sonum æquali tempore æqualia spatia peragrarè, & si ad distantiam unius milliariis explodatur tormentum, a viso lumine elapsis quinque minutis secundis audiri. Quod attinet plantarum vegetationem, in ea tria attendenda esse monet, nempe 1. succum nutritium, 2. animam fermentativam, 3. calorem seu motum. Celeritatem vegetationis ex rerum enumeratarum gradibus æstimandam esse asserit. Neque vero sine ratione supponi, eum tunc obtinuisse gradum, qui postmodum nunquam deprehensus. Et licet Sol ad ultimum perfectionis suæ fastigium illo tempore nondum pervenerit, sine dubio tamen jam extitisse & Telluri influxum suum præbuisse. Immo in Tellure istiusmodi viguisse motum intestinum, qualis posthac nunquam in eadem observatus. Contra vulgarem operis quarti diei expositionem tempus creationis singulorum corporum tam extreme disproportionatum ad ipsa opera objicienti *Whiston* regerit, perperam intellectum finitum sapientiam infinitam suo modulo metiri. Addit, nondum constare, an Planetæ habitentur. Quod si incolis rationalibus destituantur, rationem fuisse Deo, cur plus tem-

temporis Telluri, Soli, quam astris reliquis impenderit, ut nimirum ostenderet, se omnem creationem visibilem in nostrum dirigere commodum ac usum, seque non ex defectu potentiae, sed quo suam erga nos testaretur bonitatem, tanta cum cura habitaculum nostrum praeparasse. Negat cum ratione *Whistonum* ridere asserentes, quod Deus hoc universum solius hominis gratia condiderit. Quibus haec non placent, eos cogitare jubet, quod corpora quidem stellarum ante creari potuerint, sed hoc demum die ad omnem suam perfectionem pervenerint, exeperintque nobis fieri stellae. Contra opus quinti & sexti diei exceptiones consideratu dignae vix occurrunt. Brevis itaque de utroque differit. Contendit autem in animalium & hominum productione ad immediatam Dei potentiam recurrendum esse. Notionem generationis aequivocae merito precariam haberi, eique nec experientiam, nec rationem favere prolixè adstruit. Inter difficultates circa opus sexti diei obvias palmaria videtur, quomodo Adamus tam cito linguam addiscere & nomina omnibus animantibus imponere potuerit. Ei vero tollendae non multum immoratur, quia linguam pro dono Dei immediato habet. Hisce absolutis geminam textus Mosaici paraphrasin exhibet, alteram juxta vulgarem interpretationem, alteram juxta Philosophiam conceptam. Coronidem toti pertractationi imponit epistolam decimam, in qua varia supplementa conspiciuntur, ad superiora dilucidanda facientia. Multus imprimis est, ut adstruat, motum Telluris diurnum & annum esse demonstratum. Ad motum annum stabiliendum non modo commendat argumentum, quod *Whistonus* cor. 6 lem. 23 exhibuit; sed etiam provocat ad parallaxin Orbis Magni a *Flamstedio* detectam, dum distantiam stellae Polaris a Polo Mundi ⁴⁰ vel ⁵⁰ in solstitio aestivo majorem deprehendat, quam in brumali, observationibus per 7 continuos annos iteratis, non obstantibus exceptionibus, quas ad infirmam vim hujus argumenti protulit *David Gregorius* Astron. lib. 3. p. 276. Motum Telluris diurnum per variatam corporum pro diversis locorum latitudine gravitationem roborat. Quoniam vero argumentum evidentius nondum habetur, hoc ipsum tamen in

vulgus minime notum existit, paulo uberius id deducere haud piget. Scilicet nemini rerum Mathematicarum & Naturalium perito ignotum est, ex varianda longitudine penduli, singulas vibrationes singulis minutis secundis horariis absolventis, pro diversa locorum latitudine, seu distantia ab Æquatore, per necessariam consequentiam deductum esse, quod gravitatio corporum cum crescente locorum latitudine crescat, ita ut tanto major evadat, quanto longiori intervallo ab Æquatore versus Polum alterutrum progredimur. Jam cum a *Newtono* demonstratum fuerit, *Princ. Phil. Nat. Mathem. lib. 3 prop. 6 & corol. 1 & 2*, gravitatem in corporibus singulis esse quantitati materiae proportionalem, invariata materia gravitatem variari non posse concludit, consequenter in omnibus Telluris locis eadem foret ejusdem corporis gravitatio, nisi adesset aliqua causa, quæ partem aliquam vis gravitantis elideret, eamque in uno loco majorem, quam in altero. Probat vero causam hanc non posse conjici in diversam aeris densitatem: cum enim ob calorem vehementiorem aer rarior sit intra Æquatorem, quam versus Polos, per principia Hydrostatica major esse debebat gravitatio in medio rariore intra Æquatorem, quam densiore versus Polos, contrarium tamen suadente experientia. Monstrat ergo, conjiciendam esse illam in motum Telluris diurnum. Cum enim corpora circulariter mota adhibeant vim recedendi a centro, sintque vires centrifugæ corporum in ratione peripheriarum, in quibus moventur, quemadmodum demonstravit *Hugenius* in *Tract. de vi centrifuga prop. 1 p. 408 Opusc. posth.* admissio motu Telluris diurno, vis centrifuga tanto minor evadit, quanto minor a Polo distantia, consequenter, quoniam minor vis centrifuga minorem partem vis gravitantis seu centripetæ elidit, in minore a Polo distantia major esse debet gravitatio, quam in majore. Legibus igitur gravitationis a motu Telluris diurno pendentibus, illis admissis, hunc quoque admittendum esse concludit.

CHRISTIANI WOLFII, MATHEMAT.
Prof. in Acad. Frider. Methodus demonstrandi veritatem Religionis Christianæ.

Cum Viri Clarissimi, *Johannis Witty*, vindicationem expositionis vulgaris Historiæ Mosaicæ de creatione Mundi perlegerem, placuit methodus, qua in demonstranda Scripturæ Sacræ, consequenter Religionis Christianæ, utitur. Utut vero eadem in generalibus cum mea methodo convenire videatur, viris judicio præditis, cum quibus eam communicavi, non improbata, in plurimis tamen ab ea quoque dissidet.

Mea enim methodus rigorem demonstrandi Geometricam constanter observat, & ab iis, quæ mihi hæcenus innotuerunt, prorsus diversa existit. Quamobrem quia nostro imprimis ævo methodus demonstrativa evincendi veritatem Religionis Christianæ multam habitura utilitatem non temere præsumitur; veritatis tanti momenti certo cognoscendæ ardore flagrantibus non ingratum fore arbitror, si generalia meditationum mearum circa illam capita cum publico communicavero. Totam autem methodum huc redit. 1. Evinco, existere Ens, cui competunt omnes realitates in gradu absolute summo. 2. Demonstro, hoc ens esse a mundo seu machina hujus universi diversum. 3. Inquiro in finem, propter quem machinam hanc stupendam cum creaturis intelligentibus produxerit Deus. 4. Ab hoc fine ex perfectionibus divinis antea erutis deducto leges, juxta quas creaturæ rationales actiones suas ex intentione divina dirigere debent, derivo. 5. Legum harum cum perfectionibus divinis collatio conditionem prodit, in qua a Deo produci debuit homo. 6. Conditio hæc cum præsentem, in qua vivit, comparata utriusque disparitatem manifestat. 7. Ex natura igitur Dei ulterius deduco, præsentis conditionis autorem non esse Deum, sed ipsum potius eandem averfari, Nec 8. vanum esse de miseria majore minimum menti a morte corporis subeunda metum evidenter ostendo. 9. Huc ubi perveni, concludo, aut Deum nos velle liberare ex præsentem miseria, aut non velle. Quod si velit, necessariam esse aliquam revelationem immediatam, stabilio. 10. Immediatæ hujus revelationis criteria cum antecedentibus necessarium nexum habentia, eaque prorsus infallibilia suppedito. Tandem 11. eadem scriptis Prophetarum & Apostolorum competere, indubie evinco.

Enim-

Enimvero ut appareat, quam evidentiam in demonstrationibus meis conservem & quomodo conservem, quædam specialius sunt edifferenda. Scilicet ne multa mihi de natura veritatis ac evidentia disputanda sint, omnia ad eum evidentia gradum revoco, quo nititur existentia Mentis propriae cognitio. Normam gradui huic æstimando conducentem ita reperio. Cum intime percipiam, me esse mei conscium, nihil autem dicam, cui nulla competit realitas; me non esse nihilum, sed aliquid eo ipso momento, quo me mei conscium percipio, actu præsens infero. Ecce tibi duas in mente mea de ipsa cogitationes: alteram, quod sit sui conscia; alteram, quod sit aliquid eo momento, quo sui conscia est, actu præsens. Has duas cogitationes tam necessario nexu cohærere deprehendo, ut mens ad eas divellendas omnibus viribus nitens inanem operam sumat. Admissa enim priore, mentem esse hoc momento sui consciam, alterius contradictoriam, esse nempe eam eo ipso momento nihil, locum habere non posse reperio. Inde concludo, in propositione evidente duo eidem rei tribui & unum quidem propter alterum, ita ut, si unum ei inexistere cogitem, alterum non inexistere cogitare non liceat. Primum, quod rei inexistere cogito, *Hypothesin*; alterum, quod propter prius eidem tribuo, *Thesin* appellare soleo. Quoniam adeo theses certitudo in certitudinem hypotheseos tota resolvitur; unde hujus evidentia pendeat, quæri potest. In allato antea exemplo ab intima mentis perceptione pendeat, quam dum habeo, quin eam habeam, dubitare nequeo. Ad nostrum igitur evidentia gradum demonstrationem suam revocaturus, hypothesin suam in intimam mentis perceptionem tandem resolvere tenetur. Similiter ex eodem exemplo patet, nexum necessarium mearum cogitationum mihi innotescere, si distincte expendo, quid unaquæque involvat, & quæ involuta intueor, inter se confero. Constat jam, quomodo evidentiam conservem. Neque vero excipere licet, evidentiam hanc conservari non posse, ubi monstrandum criteria immediata revelationis infallibilia (quæ esse demonstro descriptionem medii liberationis miseriae nostræ tollendæ sufficientis ac perfectionibus

divinis

divinis digni, harmoniam eorum, quæ Scriptura de Deo affirmat, cum iis, quæ de ipso ex principiis rationis juxta nostrum evidentiam gradum demonstrantur & rationem dirigendi actiones liberas legibus naturæ ex perfectionibus divinis erutis prorsus consonam) scriptis Prophetarum & Apostolorum convenire. Datur enim aliqua demonstrativa interpretandi methodus, & hæc ipsa in potestate est. Scripturam nempe nostrum in finem interpretaturus demonstrat necesse est, quoniam cum vocibus singulis notiones conjungant librorum sacrorum Autores: ut adeo tota in methodum eruendi notiones vocum in Scriptura obviarum ex ipsa Scriptura resolvatur, qualem possibilem esse non dubitabit, qui ex perfectionibus divinis opera divina æstimare didicit. Ex his datis integram demonstrationem in volumen abituram construet, cui mentis aciem per Geometriam & Analysin intendere contigit. Intelligentibus enim hæc scribuntur, non iis, quibus vires intellectus cognoscere nondum datum est.

ORIGINES ANGLICANÆ: OR, A HISTORY
of the English Church, &c.

i. e.

HISTORIA ECCLESIAE ANGLICANÆ,
quæ cœpta, ubi Episcopus STILLINGFLEET Historiam suam Anglicanæ Ecclesiæ finiverat, relationem negotiorum ejus a prima inter Anglo-Saxones Ecclesiæ Christianæ plantatione ad Normannorum usque tempora gestorum exhibet. Auctore JO. INETT, Regiæ Maj. Sacellano Ordinario.

Londini, apud M. Wotton, 1704. fol.

Constat Alfab. 4. plag. 15.

IN Originibus Britannicis, quas antehac A. 1685 in publicum Lemisit Eduardus Stillingfleet, quarumque epitomen in Actis nostris A. 1688 p. 24 Lectori dedimus, promiserat Auctor Cl.

Y

fore,

fore, ut Historiam Ecclesiæ Anglo-Saxonicae itidem aliquando evulgaret. Interrupto vero per præmatura summi hujus Viri fata optimo hoc instituto, *Joannes Inett* suarum in primis duxit esse partium, ut in Historiam Ecclesiarum Anglo-Saxonicarum uberius inquireret, viresque suas in arduo hoc multisque difficultatibus implicito negotio periclitaretur. Hoc dum patrio idiomate perficere instituit, tantum abest, ut antiquiorum pariter ac recentiorum cæco impetu, quod commune scribentium ferme vitium est, legat vestigia, ut nautæ potius peritissimi instar Syrtes inter atque scopulos caute incedens nihil temere, nisi quod tuto asseri posse existimavit, in medium producat. De multorum ignorantia & superstitione perverso item nonnullorum, summorum alias Virorum, studio, qui augustæ Historiæ Anglicanæ faciei tot maculas inusserunt, in præfatione Auctor multum conqueritur, variarumque adeo digressionum, quas & ipsum, ut vera a falsis, nugas & fabulas a legitima historia discriminaret, instituere oportuerit, necessitatem indigitat. Auctoritatibus Polydori Virgilii, Harpsfeldii, Parsonii, Baronii, Cresseji, Alsfordi, aliorumque, quos curiæ Romanæ nimium litasse constat, parum tribuit, Parkerum potius, tot Anglicanarum Antiquitatum restauratorem felicissimum, Henricum Savilium, Robertum Cotton, Rogerium, Twisdenum, Cambdenum, Seldenum, Wheelock, Gale, Whartonium, Foxium, Usserium, Fullerum & Stillingfleetum, lumina Angliæ clarissima, ubi opus erat, in subsidium vocans. Scrupulosas de Regum & Episcoporum successionibus disputationes, miracula Sanctis & istorum reliquiis adscripta, fundationes & dotationes religiosarum domuum, inusitata cœli phænomena, insolentes anni tempestates, & istiusmodi alia non pauca, in quibus describendis plurimi occupati fuerunt, sponte neglexit, & in istud, de quo merito suo gloriatur, diligenter incubuit, ut boni Historici nomen tutaretur, & mortuæ ac insipidæ historiæ vitam & saporem quasi conciliaret. Petita errorum & hallucinationum, si quas ipse admiserit, venia, ipsum Opus ita instruit Auctor, ut omne Sacræ Anglicanæ Historiæ negotium ab A. 401 ad A. 1066 viginti & duobus Capitibus, quæ

quæ certis suis Sectionibus rursus interdistinguantur, includat.

In primo Capite Saxonum per Britones in Angliam facta evocatio & conversio, quam Ethelberti Cantii Regis connubium cum Christiana quadam Principe celebratum multum promovebat, describitur. Secundum acta Augustini, qui, obtentademum palla, Ecclesiarum Saxo-Anglicanarum Primas constituitur, depingit. Rejecta vero per Britones, quo de Cap. III nos informat, summa ista, quam Augustinus insolenter sibi arrogaverat, potestate, Laurentius, in demortui succedens locum, antecessoris vestigia, eodem licet, hoc est, vano successu, arctissime premebat. Infaustos aliorum quoque Romanensium Missionariorum conatus in Cap. IV Auctor persequitur, ubi & Sect. V de Antiquitate Academiarum Cantabrigiæ atque Oxoniensis in medium quædam producit. Post C. V, ubi de tempore Festum Paschatos celebrandi, de tonsura item Ecclesiastica lites potissimum feruntur; in C. VI de introductione Auricularis Confessionis, Anglis per Scotos & Britones conversis hætenus ignotæ, quædam commemorantur. Radices dehinc Monothelitarum hæresi, quæ infelix quidam Eutychianismi ramus extitit, agente, juxta C. VII, A. 680 die 15 Sept. auspiciis Theodori Archi-Episcopi Cantuariensis, qui antea Ecgfrido, Ethelredo, Adulpho & Lothario Regibus institutum significaverat, Concilium in *Campo alto* (Hatfield) celebrari coeptum est, in quo hæresis ista non tantum damnata, sed & constans quædam doctrinæ pariter & disciplinæ Ecclesiæ Anglicanæ norma stabilita fuit. De luxu, quo Monastici se inquinaverunt, C. VIII; de perversis vero Wulfridi Episcopi Leicesteriensis consiliis, quibus supremam in Ecclesias Anglicanas auctoritatem Pontifici Romano vindicare annisus est, C. IX ita nos informat, ut voti sui ægre Episcopum hunc compotem factum fuisse, insimul demonstret. Præter imaginum cultum, quem visionibus suis C. X. Edgwinus Episcopus Vigorniensis frustra licet Anglis obtrudere conabatur, peregrinationes sacræ, Romam versus ad sepulcra S. Petri & S. Pauli aliorumque Apostolorum frequentanda institutæ, summopere invalescebant. De palla,

quæ Gregorii M. ævo honorarium tantum insigne erat, ab Innocentio III vero pro nota & indicio plenitudinis potestatis Apostolicæ, quæ Archiepiscopis tantum competere debuit, reputabatur, in C. XI fuse disquiritur. Quas turbas imaginum cultus in Italia excitaverit, & quomodo a Pipino, Gallorum Rege, spreta Imperatorum auctoritate, præstantissimarum Italiæ urbium claves ad altare S. Petri, & S. Pauli depositæ fuerint, per C. XII Auctor declarat, ubi & ad Gallorum gloriationem, qui, quod Stephanus pro primo Romanæ libertatis & Imperii Pontificii conditore haberi debeat, sibi multum attribuunt, in simul digreditur. In C. XIII, præmissa Concilii Francofurtensis, quod contra Imaginum cultum pronunciaverat, mentione, de Sanctorum reliquiis, quas hoc ævum devote respiciebat, nonnulla adnotantur, quibus ista, quæ de Sanctorum invocatione, de purgatorio, & de statu animæ separatæ in C. XIV enarrantur, merito suo ad sociamus. Nomina Archiepiscoporum, rarius vero etiam Episcoporum, qui Assessorum Archiepiscopi nomine vulgo veniebant, in principio decretorum in Conciliis factorum deprehendi, nec iis subscribi, verum loco nominum crucis signum apponi olim consuevisse, e Cap. XV discimus. Cap. XVI sereniora Egberti Occidentalium Saxonum Regis, qui, devicto Beornwulfo Merciorum Rege, primus Angliæ Monarcha factus est, fata describuntur. Quanta circa A. 894 ab Alfredo Rege in literas & literatos, Academiam maxime Oxoniensem, cujus si non fundator primus, Collegii minimum, quod Universitatis vocant, autor extitit, collata sint beneficia, C. XVII recenset, quocum Caput XVIII vel eam ob causam apte componi poterit, quod de Æthelstano Alfredi ex Eduardo nepote paria inculcet. In variis Dunstani fati depingendis Cap. XIX totum propemodum occupatur, siquidem is non Edgari tantum ope, cui contra Edwi fratrem adstiterat, Archiepiscopus Cantuariensis tandem factus est, sed & Rege hoc & variis Episcopis, quos inter Æthelwulfus Episcopus Wincestriensis & Oswaldus Episcopus Vigorniensis in primis referendi sunt, in partes suas pertractis, Clerum secularem, cui ex sedibus expulso Monachos surrogabat, misere

fere afflixit. Post mortem Edgari, fasces imperii Eduardo per obstetricias Dunstani manus itidem tenente, Archi-Episcopus hic super duo Concilia, Wincestriense alterum, alterum Calnense, quæ ultimum ei minitari videbantur exitium, teste C. XX istiusque Sect. 3 & 4 non sine miraculo, si fides Autoribus habenda est, triumphavit. Missis insuper, quas Dunstani cineres Cantuarienses inter atque Glastonienses, Sect. 7 dicti Capitis docente, excitaverunt, controversiis, stupendos Danorum, quos in Anglia improvise fecerunt, progressus C. XXI nobis delineat. Ethelredo enim per Suenonem primum, dein per Canutum A. 1016 suppresso, univèrsa propemodum Anglia Danis cedebat, qui in maximum Christianæ rei detrimentum Paganismum cum Christianismo turpiter commiscuerunt. Recuperant tandem Angli imperium juxta C. XXII idemque ultimum, Danis vel trucidatis vel ex Regno fugatis, per Eduardum cognomine Confessorem, unicum ex Ethelredo superstitem filium, qui ut aulæ Romanæ nimium favit, ita morti vicinus, cui A. 1066 d. 5. Jan. succubuit, in honorem & memoriam S. Petri in Westmonasterio basilicam extruere cœpit superbissimam.

DIVERS ECRITS TOUCHANT LA SIGNATURE
du Formulaire, &c.

h. e.

SCRIPTA VARIA, AD SUBSCRIPTIONEM
Formule à Clemente XI. Papa imperatam,
pertinentia.

1706. 12.

plag. 21.

Constat in vulgus, Clementem undecimum, qui nunc Ecclesiæ Romanæ præest, solenniter imperasse, ut omnes sacri ordinis homines condemnationem Corn. Jansenii subscriptione nominum & jurejurando confirmarent, ac profiterentur, *se judicare interius, quod doctrina hæretica in Jansenii libro contineatur*, quæ Bullæ Romanæ recens promulgatæ verba sunt. Ex eo multi, qui Jansenio hæctenus publice privatimque fa-
Y 3 rant,

rant, mutare animum, atque imperio huic obsecundare, alios etiam ad paria obsequia permovere. Quos inter Leodiensis quidam Theologus, auctor Epistolæ Latinæ in fronte hujus Collectionis positæ, & fama nominis & successu consiliorum non ultimum locum sortitur. Ille sequentem in modum est argumentatus: Eos, ait, qui subscriptionem istam detrectent, vel ignorare universum negotium, aut saltem interiora ejus momenta, vel eadem satis perspexisse. Prioribus, ait, nihil fore consultius, quam ut in ignorantia illa permanentes, morem Pontifici gerant; ignorantiam iisdem excusationis loco futuram, obedientiam vero, quam Pastori tanto præstent, fore laudatissimam. Posterioribus suadet, ut judicium proprium Ecclesiæ, Pontificis atque Episcoporum judicio submittant, non secus ac discipulus præceptoris, miles Principis arbitrio & conscientiæ omnia permittit. Iterum illis iterumque Pontificis atque tot Episcoporum auctoritatem dignitatemque opponit, nec non exemplum Gregorii M. quem ait in condemnando Theodoro Mopsvesteno, Iba & Theodoreto, adeoque in *re facti*, Ecclesiæ decreto sincere ac lubenter cessisse, similemque illi, quæ nunc circumfertur, subscriptionis formulam procurasse.

Huic Epistolæ, quæ multos permoverat, pars adversa unum alterumque scriptum opposuit, quæ Fasciculo hoc collecta exhibentur. Ejus duæ sunt partes, quarum utraque bigam scriptorum, recentium nempe & paulo antiquiorum, complectitur. Parte priori primo videmus loco Anonymi recentem Tractatum, *Reflexions sur une Lettre de Liege*, quo Epistola Leodiensis Theologi hætenus recensita examinatur. Auctor principio multis modis exaggerat, quam indignum facinus sit, innocentem ac bene meritum Episcopum suo calculo condemnare, & sub sacramenti religione in hæreticorum ponere numero: jurandum rem esse divinam, non nisi in veritate & judicio, h. e. rei veritate judicio exactissimo deprehensa, suscipiendam, veteresque & recentiores rerum moralium doctores sufficientem notitiam & convictionem ad jurandum uno ore postulare: ignorantiam talem non excusare a peccato tali & tam facile evitabili, etsi Jesuitarum laxior doctrina ita spondeat, quos ob

Catechismum nuper in Belgio editum, in quo doceatur, non
eccare eos, qui non sufficienter sciant, qua in parte peccent,
propterque Thesin Aquis Sextiis defensam, quod conscientia
circa illicitum intrepida excuset a peccato, graviter repre-
endit. Ecclesiae vero, Pontificis & Episcoporum auctoritatem
nulli nesciam ad nova negotia facti se extendere negat, & soli-
s Dei imperio talia reservari ait: potestati Ecclesiasticae, etiam
summæ, non subjectionem animi, nondum cetera convicti, sed
externam solum venerationem oris, calami & aliorum signo-
um silentium deberi. Quo loco in Bullam nuperam non
igniter invehitur, extortam & subreptionibus adversariorum
obtentam, imo præcipitatam esse, & injusta postulare clamat,
citatoque Gelasii Papæ exemplo, qui Arianis tum late domi-
nantibus faverat, concludit, non semper credendum esse mul-
titudini, etiam ubi Pontificis auctoritate ac nomine superbit.
De Gregorii M. exemplo, in Epistola Leodiensi objecto, multis
arguit, fateturque, eum se Concilio universali quinto qua conde-
nationem trium Capitulorum subjecisse, sed volentem, ac de
equitate iudicii Ecclesiastici persuasum, aliam vero & contra-
riam viam iniisse Pelagium I Papam. Formulam, quam Episco-
pi Longobardici ætate Gregorii M. subscriptione sua firmave-
runt, (*Cautio & Indiculum* dicebatur) schismatis tollendi causa ab
illis acceptam, nemini obtortam, & a Gregorio, tum Urbis
Praetore, susceptam esse, sine ulla personarum condemnatione:
his enim exempla ex Diurno Pontificum Rom. approbante
Barnerio, affert. Circa trium Capitulorum causam, in qua
multus est, observat p. 127, duo fuisse eorum genera, qui Ca-
pitula isthæc defendebant, alios Nestorianum dogma in illis
agnovisse & propugnasse, alios ea pro infectis Nestoriana hæ-
resi minime habuisse, eoque nomine pro illis intercessisse, non
illos, sed illos Conciliorum Decretis fuisse condemnatos, nisi,
quando schisma defensionis illius causa simul facerent; nam
ecclesias Gallicas Hispanicasque, etsi Capitula tria damnare
vellent, nunquam anathemate notatas esse, quippe quod a
schismate sibi caverent, Longobardicos vero & Istrienses Epi-
scopos, qui cum illis, quorum sententiis Capitula erant
conde-

condemnata, communicare recusabant, pœnam Canonicam subiisse.

Sequitur Nicolii, celebris inter eos, qui Jansenio favent, Doctoris, Dissertatio contra Masii, Sorbonici Theologi, Theſin, qui A. C. 1668 propugnauerat, Ecclesiam in rebus facti, saltem, quando de libri alicujus hæretico sensu agitur, falli non posse, illique fidem, etsi non plane divinam, Ecclesiasticam tamen, sine exceptione habendam esse. Nicolius in contrariam adducit sententiam Bellarminum, Baronium, Pallavicinum Cardinales, Canum, Stapletonum aliosque Theologos; eamque ob causam ad negotium trium Capitulorum digreditur, in quo anceps maxime circa sensum scriptorum Ibæ ac Theodreti Ecclesiæ decisio fuit, adeo, ut inter Sorbonicos Theologos hæctenus ea super re non levis dissensio sit, Feronio, Chevillero aliisque publicis Thesibus, quod Ecclesia erraverit, contendentibus. Post hæc ad Jansenianam causam ista applicat, nulloque modo per Ecclesiæ auctoritatem ad dicendum Jansenio anathema commoveri quempiam posse, disputat.

In posteriori Parte primum occupat locum Auctoris Anonymi recentioris scriptum, cui titulus est, *Lettre sur la Signature*, in quo ad Leodiensem illam Epistolam ita respondetur, ut singuli ejus paragraphi, maxima minima, ipsæque phrasæ sigillatim examinentur, nervo respondendi ceteroquin cum iis, quæ ex priori refutatione excerptimus, conveniente. Non raro rhetoricis etiam digressionibus atque schematismis Lectoris assensus quæritur, neque flosculis parcitur aut ingenio. Prolixus etiam Anonymus est in edisserenda trium Capitulorum hodie recrudescente causa. Res omnis eo redit, neque Ecclesiam, neque Gregorium Papam ad subscriptiones quempiam adgisse, sed libertatem ea de re sentiendi omnibus concessisse, in eos vero, qui schismatis inde occasionem captabant, graviter animadvertisse. Monuerat Auctor Leodiensis Epistolæ, A. Arnaldum principio Malebranchii librum de inquirenda veritate, magnopere dilaudasse, planeque approbasse, dum amicitia in-

ter illos adhuc vigeat, postmodum, suborta altercatione, eundem, tanquam periculosis hypothefibus refertum condemnasse; unde concludit, idem evenire illis posse, qui ob amorem erga Jansenium, quo præventi sint, ejusdem libros innocentes esse autument. Noster Arnaldum studiose excusat, respondens, eum de Malebranchii libro, obiter inspecto, primum bene censuisse, quod solidiorem Philosophiam ordinemque elegantiorum eum sequi cerneret; deinceps, examinata ejus de ideis doctrina, ut secus judicaret, adactum esse, nihil præjudiciis, nihil affectibus dedisse. Ex Gregorii M. Epistolis multa ad negotium subscriptionis facientia affert, ejusque placidum hac in causa ingenium, ab indole eorum, qui nunc dominantur, valde alienum, describit. Tandem Cameracensem Archi-Episcopum, qui subscriptionem sine animo prorsus de sensu Jansenii hæretico persuaso fieri posse inficias it, cum Auctore Epistolæ, qui scrupulos & dissensum internum retineri posse non negaverat, omnino committit.

Superest alter Nicolii libellus, cui nomen est *Examen*. Examinat enim Auctor Dirœsi, Theologi Sorbonici, Tractatum de subjectione, quæ debetur Ecclesiæ de libris judicanti. Dirœsius docuerat, licere Ecclesiæ, ut innocentes etiam libros, si scandalo sint plerisque, si periculum illis inesse potior pars credat, ipsa condemnet: Nicolius id prorsus negat, atque præter prohibitionem lectionis in tali casu Ecclesiæ nihil concedit. Dixerat Dirœsius, negotium libros condemnandi ad disciplinam Ecclesiasticam pertinere, cui simpliciter credendum sit, sine omni discrimine juris & facti; qui secus statuat agat, hunc schismatis rebellionisve reum fieri. Hic Nicolius in adversarium graviter invehitur, monetque, disciplinam ad interiora animi sensa non penetrare, sæpe falsum aliquod dogma in Ecclesia aliquantisper dominari, ejusque patronos cœcum obsequium postulare, neque tum, nisi factum a jure distinguitur, conscientiam servari illibatam posse: multis præterea petitis ex Historia Ecclesiastica exemplis probat, istam facti a jure & dogmate separationem per necessariam esse. Inter alia p. 82. sq. non infeliciter anquirat, qua in re Eutyches erraverit, atque ex

variis veterum monumentis, præsertim ex Flaviani Epistola, ostendit, duos ejus fuisse errores capitales, unum, quod caro Christi alterius naturæ sit, quam nostra, alterum, quod una solum in Christo natura sit; illum plerosque Eutychianos postea abjecisse, in hoc autem omnes ad unum constanter persistisse.

SYNOPSIS PALMARIORUM MATHESEOS, OR
a nevy Introduction to the Mathema-
tics, &c.

h. e.

*NOVA INTRODUCTIO AD MATHESIN,
continens principia Arithmetica & Geometria, brevi at-
que facili methodo demonstrata, & ad partes
illius utilissimas applicata. Autore
W. JONES.*

Londini, apud Galfridum Wale, 1706, 8

Constat plag. 20.

AD Matheseos sublimioris, Analyseos præsertim tam finito-
rum, quam infinitorum cognitionem adspirantibus, perspi-
cuitate, facilitate, brevitate & rerum scitu dignissimarum, im-
mo apprime necessariorum ubertate mire se commendat libel-
lus in hoc genere optimus. Arithmetica tam numerosa, quam
speciosa ad tam facilem intelligentiam nullibi proponitur, ad
faciliorem proponi prorsus nequit. Proprietates proportio-
num Arithmeticarum, Geometricarum, Harmonicarum & Con-
traharmonicarum per calculum litteralem demonstrantur, pro-
blemata ad sublimiora fores pandentia solvuntur & ex natura
exponentium ostenditur, quod sit $a^{-n} = \frac{1}{a^n}$ & $\sqrt[r]{a^n} = a^{\frac{n}{r}}$

$$a^{\frac{r}{n}} \text{ itemque } a^{\frac{n}{r}} = a^{\frac{nr-m}{r}}$$

Doctrinæ de proportione

Algo-

Algorithmus fractionum subjungitur demonstrationibus necessariis instructus, in quo simul agitur de fractionibus vulgaribus in decimales convertendis & operationibus Arithmeticis in iisdem exercendis. Sequitur Arithmetica incommensurabilium, in qua regulæ exemplis radicum indeterminatarum illustrantur, ultra quantitates tamen irrationales simplices non ascenditur. Excipit eam methodus problemata Mathematica resolvendi, ubi de Denominatione, Æquatione & Reductione generaliter differitur, mox specialius reductio per transpositionem, multiplicationem, divisionem, involuionem & evolutionem describitur, Æquationum natura & proprietates exponuntur, usitata de mutatione radicum problemata declarantur, quæstiones novem (quas inter duæ indeterminatæ) solvuntur, regula Trium simplex & composita, directa & inversa, cum regulis Societatis, Reductionis, Alligationis, Falsi explicatur & exemplis universalibus illustratur, æquationum quadraticarum affectarum reductio docetur, & ad tres quæstiones solvendas applicatur, tandemque regulæ *Cardani* pro extrahenda radice ex Æquationibus Cubicis affectis investigatio exhibetur. Hisce absolutis, proprietates progressionum Arithmeticarum per mera signa edocentur, nec minus proprietates numerorum figuratorum, ex quibus Theorema *Newtonianum* de evehendo binomio ad dignitatem indeterminatam investigatur, unde Theorema *Moiwraanum* pro infinitinomio per modum corollarii deducitur. In hoc etiam capite methodus *Hallejana* inveniendi Logarithmos perspicue enodatur. Theorema *Moiwraanum* pro extrahenda radice ex infinita Æquatione investigatur, & methodus generalis extrahendi radices ex æquationibus quibuscunque representatur, unde theoremata peculiaria, qualia dedit *Josephus Raphson* in *Analyfi Æquationum*, facile derivantur. Progressionis Geometricæ proprietates denuo per meros characteres expediuntur. De computandis usuris theoremata generalia eruuntur. Combinationis, Electionis, Permutationis & Compositionis quantitatum leges exhibentur. Hæc in parte prima maximam libelli partem absolvente continentur. In parte altera Geometriæ principia traduntur & variè applicantur.

Præmissis definitionibus geneticis, palmaria Geometriæ communis theoremata breviter demonstrantur. Dum vero magnitudinum genesis per motum continuum punctorum, linearum, superficierum exponitur, calculi differentialis & exponentialis atque integralis principia legesque exponuntur. In demonstrationibus theorematum creberrimus est calculi litteralis usus. Theoria Sinuum cum cura explicatur & series pro sinibus eorumque Logarithmis inveniendis ex eo deducuntur. Palmaria Sectionum Conicarum proprietates per calculum Analyticum maximam partem demonstrantur. Divisio Curvarum in Algebraicas, Transcendentes & Exponentiales, itemque in sua genera explanatur, & exempli loco ex Transcendentibus Cyclois, ex Exponentialibus Logarithmica consideratur. Agitur etiam de Curvarum Evolutis, Tangentibus, Subtangentibus, Perpendicularibus, Subperpendicularibus, Longitudine & Areis, nec non soliditate solidorum ex illarum rotatione genitorum, determinandis. Tractantur principia Perspectivæ seu Projectionis Orthographicæ & Stereographicæ. Succincte explicantur Trigonometriæ Planæ ac Sphæricæ leges, facta quoque ad hanc Matheseos partem calculi Analytici applicatione. Principia Mechanicæ dum declarantur, leges motus ac virium moventium demonstrantur, effectus machinarum simplicium inde derivantur, leges motus pendulorum, descensus corporum per plana inclinata & cycloidem, virium centrifugarum & centripetarum, atque motus corporum in lineis curvis simplicissime enucleantur: ita ut intra paucas paginas plura contineantur, quam in integris de Mechanica tractatibus. Exponuntur ulterius leges motus projectionis, & ex Opticis leges reflexionis & refractionis luminis: coronidem imponit resolutio problematis *Hallejana* de focus vitrorum sphericorum quorumcunque determinandis. Tot ac tanta in tam exiguo libello solide ac perspicue pertractata esse, jure mireris. Ne autem brevis per signa expressio in Analyti parum versatos turbet in partis alterius perlectione, non solum cum cura legendus est ab initio libellus, etiam ab iis, qui jam rerum ab initio pertractatarum satis sunt gnari, sed & in rerum significatarum pro signis & horum

pro istis substitutione frequens sit exercitium, moris syllabizantium æmulum.

PHARMACOPOEA BATEANA, OR
Bate's Dispensatory.

i. e.

DISPENSATORIUM BATEI ANGLICE REDDITUM,
*studio Guilielmi Salmonis, Professoris
Medicinæ.*

Londini, apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1706, in 8.

Constat plag. 49.

Quem scopum præfixum habuerit Clarissimus Salmon, cum Pharmacopœam hanc Bateanam ex Latino in Anglicum traductam idioma prima vice ederet, abunde a nobis in Actis anno 1694. mense Octobri pag. 379. est inculcatum. Nova hæc editio etiamsi, plagularum numerum si spectes, priori minor esse videatur, tantum tamen abest, ut quicquam desideretur in hac, quod in prima reperitur, ut præter innumeras notas & observationes, ab Autore Clarissimo hinc inde interspersas, plura hic legantur medicamenta, capitum calcibus annexa, omniaque minoribus literis impressa. Describuntur enim spiritus salis ammoniaci dulcis, spiritus de hydromelite, & rosarum; oleum Mercurii per deliquium, terebinthinæ, oleum destillatum tartari, carbonis & gagatis; Tinctura Martis Phioravanti, Philosophica, & optima, Tinctura amara stomachica, antiphthifica, myrrhæ composita, Laudanum liquidum Sydenhami, Tinctura de sulphure Metallorum; Mercurius præcipitatus Principis, & viridis blandus, pulvis stypticus simplex & compositus, pulvis antimonii rubens Paracelsi, Præcipitatum optimum ad Luem Veneream; Sal mirabile Glauberi, sal volatile oleosum, sal stypticum Rabelli, sal Vitrioli Catharticum, sal volatile corvi; Infusio amara chalybeata; Syrupus vomitilis; pulvis ad calculum; Pilulæ ad Luem Veneream, Pilulæ la-

p. 110.

p. 131.

p. 264.

p. 456.

p. 541.

p. 579. 609.

p. 642. 661.

p. 676.

p. 456.

læ laudatæ; inter externa remedia aqua murifragii, & aqua vulneraria optima. De cœtero monendus est L. B. Pulveris & Sulphuris Ryffeliani vulgo dicti, inter Arcana a nobis loc. cit. commemorati genuinum Authorem, non Ryffelium, sed cui a servitiis & laboribus hic fuit, Richardum Barker, pronuntiare Clarissimum Salmonem, in cujus Manuscriptis sequens ejus est annotata præparatio: *Rec. Antimonii Hungarici electi, grosso modo pulverisati unc. XVI. Nitri, Tartari ana unc. XIV. Mist. cochleatim in crucibulum ingesta funde forti ignis gradu, effunde in vas aqua plenum; sic pulvis Antimonii coloris rubicundi fundum petet, sub nomine specierum majorum, seu specierum Vitæ, sulphur autem ejus coloris aurantii suprema petet & lateribus affigetur sub nomine specierum minorum.*

A TREATISE OF THE SAFE, INTERNAL USE
of Cantharides; by Dr. John Greenfield.

h. e.

*TRACTATUS DE TUTO CANTHARIDUM
in Medicina usu interno a D. JOHANNE GROENE-
VELT, Latine, scriptus & a Johanne Marten,
Chirurgo, in Anglicum idioma
translatus.*

Londini, apud Galfridum Wale & Joh. Isted, 1706, in 8.

Constat Alphab. i. plag. 3.

NOVEM præterlapsi sunt anni, cum Clarissimus Grœnevelt Tractatum suum de tuto Cantharidum in Medicina usu interno, dimidium Alphabeti vix excedentem, typis exprimi curasset, in quo Cantharidum non minus quam Camphoræ, cum qua earum venenositas corrigi commode potest & debet, naturam & virtutes tam propria quam aliorum Medicorum experientia explicuit, illarumque efficaciam in ulceribus renum & vesicæ, calculo, stranguria, & hydrope patefecit. Quo fato vero factum fuerit, ut libellus hic oculos nostros hætenus subterfu-

terfugerit, nos latet, alias ejus contenta, cum B. L. communicare nulli dubitasset. Interim vestigiis Clarissimi hujus Viri insistens Johannes Marten, Chirurgus, & plus ultra progrediens, Cantharidum usum internum in quibusdam luis Venereæ symptomatibus maxime proficuum observavit. Quapropter facile veniam impetravit ab Autore Clarissimo, ut Latinum ejus Tractatum in Anglicam transferret linguam, eique suas pariter ac illius interea temporis factas observationes interspergeret. Addidit præterea Clariss. Groenevelt, quam in priori editione promiserat, Anatomicam & Chymicam Cantharidum relationem. Sed nec minor in podagra profliganda, quam in reliquis allegatis affectibus eradicandis ex earum usu interno observatus fuit successus; hinc tractatus, anno 1691. a D. Groenevelt latine exaratus & postea a D. Richardo Brown in Anglicum idioma traductus, schedis hisce est adjectus. Nec dubitant tam D. Groenevelt, quam Marten, non minori imposteriorum Cantharides utilitate se commendaturas esse, quam qualis hætenus a Mercurialibus vel Antimonialibus medicamentis fuit expectata.

A DISCOURSE, CONCERNING THE
certainty of a future and immortal State in some Moral,
Physiological and Religious Considerations;
by a Doctor of
Physick.

h. e.

DISCURSUS CONCERNENS CERTITUDINEM STATUS futuri & immortalis, constans quibusdam considerationibus moralibus, Physiologicis & religiosis. Autore quodam Medicinæ Doctore.

Londini, apud W. Freeman, 1706, 8.

Constat plag. 14.

DOlet Autor, quod nunc non pauci in Anglia reperiantur, qui perversas de anima foyent sententias ejusque immortalitatem

rem impugnant, pessimorum inter Gentiles autorum, *Lucretii, Apollonii, Luciani & Sexti Empirici* impias doctrinas recoquentes. Hujus igitur farinae hominibus scriptum suum opponit, in quo animae immortalitatem adstruere conatur. Magis vero studet oratorio dicendi generi, quam solidis demonstrationibus, si excipias, quae ex Scripturis Sacris in medium afferuntur, nonnisi apud eos valitura, qui divinam illarum auctoritatem venerantur, nequaquam autem illas convictura, qui absurdas de anima humana notiones sibi fingentes vel Scripturae contradicunt, vel ejus verba suis notionibus accommodant. Etenim evidentiam naturalem status futuri a morte corporis monstraturus provocat 1 ad multitudinem & splendorem stellarum, quas in materiam inertem & tenebris involutam convertendas esse, nemo sapiens statuere queat: 2 ad Terram, cum multis modis deterior sit stellis, hominesque alat pravos, utique perdendam, nisi animae in ea degerent immortales: 3 ad magnitudinem stellarum, quae creatorem Deum loquatut: 4 ad positum Telluris, corporis admodum gravis, in fluido aere, & continuam partium corruptionem, tota incorrupta: 5 ad motum Telluris diurnum, nihil in ea suo loco excutientem: 6 ad curiosas productiones naturae per microscopia imprimis detegendas, & nativam excellentiam infinitamque varietatem colorum: 7 ad admirandam animalium fabricam & imprimis circulum sanguinis: 8 ad animalcula nudis oculis inconspicua, sed per microscopia conspicienda: 9 ad arenam maris, quae per microscopia deprehendatur ingens thesaurus ex rubinis, achatibus aliisque gemmis transparentibus compositus: 10 ad iridem, quam non prorsus fortuitam esse affirmat, quod radii Solares reflexi & refracti non alia sub forma tales exhibeant colores: 11 ad vastitatem Oceani & magnitudinem balænarum: 12 ad fluxum & refluxum maris, aliaque naturae phaenomena admirationem excitantia. Hæc scilicet omnia hominem eo deducere, ut firmiter credat, dari Deum, consequenter statum etiam futurum & immortalem. Ex Scriptura Sacra evidentem esse ait nostram immortalitatem per Salvatoris nostri resurrectionem. Illi autem non denegari posse fidem, quam scriptis

Paganorum tribuimus. Probat quoque ejusdem divinitatem per admirandam Christianismi foundationem ab homine, quoad speciem externam abjecto, ope quorundam hominum illiteratorum, inter medias persecutiones, successu tamen intento omnes una carentes, factam: per Judæorum in Judaismo perseverantiam: per divinam providentiam, quæ inter frequentes Judæorum idololatrias & medias Christianorum persecutiones illam incorruptam conservavit. Qua occasione monet, essentialia Christianismi esse, quæ in Scripturis distincte revelantur, reliqua accidentalia, optandumque fore, ut erga hæc minor esset zelus, quam vulgo fovetur: ita enim majorem obtentam iri concordiam. Commendat multam Scripturæ lectionem & conciones eam arguentes præfert aliis multa eloquentia & eruditione refertis. Laudat Anglos suos, quod *Tillotsonii* vestigia legentes a schematibus oratoriis, narratiunculis, citationibus Autorum, omnique alia vana eruditionis ostentatione abstineant. Probat ulterius animæ immortalitatem per translationem Enochi atque Eliæ in cælum; per fidem *Abrahami*, *Noachi*, *Jobi*, *Davidis*; per loca Dan. XII, 2 & Exod. III, 6; per resurrectionem corporum a *Paulo* 1 Cor. V defensam. Cum miraculorum injicitur mentio, monet, ea nunc non prorsus cessare, sed hodiernum extraordinarios divinæ providentiæ actus contingere. Refert inter alia, A. 1700 paucis post obitum ultimi Hispaniarum Regis mensibus, in Vigiliis Nativitatis Christi, infantem 6 menses natum, filiolum *Edgecombi* Regiæ cohortis pedestris Tribuni, cessantibus convulsionibus, oculos & manus cælum versus elevasse, multisque lachrymis effusis, præsentibus parentibus, nutrice, ancilla & foemina vicina, per integram fere horæ quadrantem subinde distincte lingua Anglica exclamasse, *o Deus!* subinde, *o Jesu!* die *Stephani* vero mortem obiisse. Exemplis similiter confirmat, dari adhuc somnia divina; dari omina, inter quæ Cometas refert. Sub finem tandem ostendit, pauca admodum esse, quæ de futuro statu novimus.

D. JOH. CONR. DANNHAWERI, THEOLOGI
 & Professoris quondam Argentoratensis Senioris & Pri-
 marii, Conventus Ecclesiastici Præsidis atque Capituli
 Thomani Decani, Disputationes Theologicae in Volumen
 Unum magna cum cura collectæ, opera & studio
 M. CHRISTIANI MISLERI.

Lipsiæ, apud Viduam Justi Reinholdi, 1707.

Alphab. 12. plag. 8. in forma 4ta majori.

HAud exiguam sibi gratiam apud Eruditos hæcenus pro-
 meruit doctissimus M. Mislerus, quod elegantiores Dispu-
 tationes, quarum legendarum copia ob raritatem multis con-
 cessa non fuit, iterum recudi fecerit; sed multo majorem
 jam sibi conciliavit favorem, quod selectissimas incomparabilis
 Theologi, B. Dannhaweri, Dissertationes, quarum aliquot plane
 comparari haud potuere, e magnorum Theologorum scriniis
 indefessa cura colligere ac orbi erudito legendas exponere vo-
 luerit. Non solum autem insignem in colligendis hisce Dis-
 sertationibus impendit operam, sed Herculeum prorsus laborem
 in tollendis, quibus allegata multoties scatebant, erratis. Sæ-
 pissime enim vel trecentas Scriptorum citatorum plagulas per-
 legere necessum habuit, antequam locum a B. Dannhawero
 intentum inveniret, ac pro vitiose allegato genuinum substituere
 posset. Ut taceamus jam alia, quibus Disputationum harum lectio-
 nem magis commendabilem reddidit laudatus Editor, addimus
 adhuc, quod ipsas in duas partes distribuerit, quarum prior
 exegeticas, posterior historico - polemico - didacticas exhi-
 bet. In priori novendecim comparent: quarum I. de opere
 Dei Hexaemero ad *Gen. I.* II. de Melchisedeco, ejusque perso-
 na, officio, factis, *Gen. XIV.* III. Sceptro Jehudæ *Gen. XLIX, 10.*
 IV. Voto Jephthæo *Judic. XI, 30. seq.* V. Custodia Angelica
Matth. XII, 10. VI. Voluntate Christi congregare volentis
 non volentes congregari *Matth. XXIII, 37.* VII. Septem ver-
 bis novissimis in Cruce Domini ac Servatoris nostri Jesu Chri-
 sti ex *Luc. XXIII, 34. Job. XIX, 26. 27. Luc. XXIII, 43.*
 Marc.

Marc XV, 34. & Matth. XXVII, 46. Job. XIX, 28. & 30. Luc. XXIII, 46. IIX. Concilio Hierosolymitano Actor XV. IX. Gallionismo Act. XIIIX, 12 - 16. X. Genuina B. Lutheri versione voculæ Solum Rom. III, 28. XI. Gemitu Creaturarum Rom. IIX, 19—23. XII. Apocalypsi Mysterii Apostolici Rom. XI, 25. XIII. Profunditate divitiarum & sapientiæ & cognitionis Dei Rom. XI, 33—36. XIV. Domino Gloriæ crucifixo 1. Cor. II, 8. XV. Hypopiasmo Paulino 1. Corinth. IX, 27. XVI. Signaculo electorum 2. Tim. II, 19. XVII. Probatione Spirituum 1. Job. IV, 1. XVIII. Διαλέξει Angelica inter Michaelem Archangelum & Antagonistam Diabolum Jud. vers. 9. XIX. Muhammedismo, in Angelis Euphrataeis S. Johanni Apoc. XIX, 13-21. præmonstrato. In parte posteriori viginti & octo sistuntur. Inter quas I. de quibusdam quæstionibus Theologicis controversis. II. Prodromus Anti-Hagecianus præmissus Examini Examinis Collationis Augustanæ Confessionis & Concilii Tridentini cum verbo Dei. III. De Induratione Pharaonis. IV. Creatione. V. Passione & morte Θεανθρώπου. VI. Pace Religiosa. VI. Consequentiarum in argumentationibus theologicis necessitate, conditione, affectu, certitudine. VII. Satisfactione Jesu Christi, Servatoris Mundi. IIX. Mortuorum resurrectione. IX. Miraculis veris falsisque. X. ad collationem Carthaginensem inter Catholicos & Donatistas habitam. XI. de Gratia justifica. XII. Satisfactione Jesu Christi. XIII. Persona Christi. XIV. Voluntate Dei circa salutem hominum. XV. Elenchus speciminis Tigurini pro Salve, Reformatis antehac religiose oblato, rabiose repulso. XVI. De quæstione, an in vita æterna futuri sint gloriæ gradus? XVII. Idea clavis ligantis. XVIII. Memoria Thavmasiandri Lutheri renovata. XIX. Hyæna Friburgica ab ovili Christi depulsa &c. XX. Festo Corporis Christi, vulgo Fronleichnamstag. XXI. Sorte & Sortitione. XXII. Fato flagelli Turcici fatique luce. XXIII. Errore Apostolorum & Discipulorum Christi circa Regnum Messia mundanum. XXIV. Θεός Thearchiæ, sive divinæ providentiæ extraordinem miris &c. XXV. Gamaliele Hebræo-Teutone. XXVI. Colluvie Quakerorum, secundum ortum, progressum, & dogmata*

mata monstrosa. XXVII. Iconothete Christiano, Adiaphoro &c. XXIX. Σύγκρισις Concilii I. Oecumenici atque Tridentini ultimi. His duabus jam recensitis partibus, singularem quandam, in qua diversæ Ecclesiæ describuntur, subjecit. In ea depingitur I. Ecclesia Waldensium. II. Religio Moscovitarum. III. Muhammedismus. IV. Ecclesia Græcanica hodierna adversus Leonem Allatum: cui subjuncta est Leonis Allatii refutatio hujus disputationis, nec non D. Eliæ Vejellii responsio & defensio dictæ Disputationis. V. Ecclesia Judaica. VI. Ecclesia Æthiopica. E qua recensione satis elucescit, hanc editionem Disputationum Dannhæwerianarum multo auctiorem & longe præstantiorem esse ea, quæ ante aliquot annos lucem publicam in hac etiam urbe adspexit. Commendat quoque hanc editionem, quod præter Disputationum indicem luculentum dictorum S. Scripturæ, vel solida explicatione illustratorum, vel ab adversariorum corruptelis vindicatorum, vel cum aliis apparenter contrariantibus locis conciliatorum, nec non vocum Hebræarum atque Græcarum enucleatarum, ut & rerum notabiliorum Indicem subjunxerit.

THE LIFE OF THE LEARNED SIR
JOHN CHEKE, Kt: &c.

id est:

*VITA VIRI DOCTISSIMI, JOHANNIS CHECI,
Equitis, primum Præceptoris, post Secretarii Status Re-
gis Eduardi VI; accessit ejusdem Tractatus de Super-
stitione. Auctore JOHANNES
STRYPE, M. A.*

Londini, apud Joh. Wyat, 1705, 8.

Plag. 18½.

Quanquam Cl. Auctor, cui non minus Thomæ Cranmeri, quam Thomæ Smithi vitas, quarum hanc ἀνονώμως edidit, debemus, a nobis anno 1694^m mense Septembri p. 315 & 1699 mense Octobri p. 462 sq. memoratas, nec primus, nec solus sit, qui vitam hujus doctissimi & in Græca imprimis literatura versatissimi Viri scripserit, sed diu ante Gerardus Langbain, David Lloyd & Henricus Holland

Holland in hoc campo defudaverint, dignum tamen judicavit hoc argumentum, in quo ingenii sui vires ob varios, quibus scripta ante edita scatent, defectus pariter ac errores denuo periclitaretur, novumque in fine libri Tractatum *de Superstitione*, qui ultra centum & quinquaginta annos in Bibliotheca Oxoniensi inter MSC. latuit, hac occasione in publicam ederet lucem. Incipit autem Biographus noster, more aliorum, historiam suam *Checi* (*Cheke*) ab ipsa statim nativitate & non nisi in ejus morte tandem definit; sed nos in illa recensenda erimus brevissimi, nihil nisi quod commemoratu dignum est, adducturi. Nimirum natus erat nobilis & (prout communiter a suis, ob eloquentiæ donum, appellari solebat) facundus *Checus* Cantabrigiæ, ibidemque in variis scientiarum generibus, maxime vero in lingua Græca, cui totum se mancipabat, innutritus; & quanquam tum temporis studium Græcæ linguæ valde frigeret, adeo ut hæc locutio secundum ipsum Auctoris stylium p. 18. in commune abierit proverbium: *Græcum est, non potest legi*; tantum tamen abest, ut hæc temporum infelicitas animum ejus ab hoc impetu & instituto detinere potuerit, ut potius indies majores in eo fecerit profectus, tandemque anno 1540 Regius Græcæ Linguæ Professor in Academia patria denominatus fuerit. Vix autem munere hoc aliquandiu functus, mutationem circa sonum & pronunciationem Linguæ Græcæ, imprimis in vocalibus & diphthongis, introducere annitebatur, quod ex ejus etiam libello *de recta linguæ Græcæ pronuntiatione* postea Basileæ edito patet. Sed alii huic lectioni, tanquam ex studio novitatis susceptæ, se opponerant mascule, ac Universitatis Cancellarius, ad quem hæc res deferebatur, peculiari edicto anno 1542 Cal. Jun. novam hanc pronunciationem sub pœna exclusionis, remotionis & castigationis hisce prohibebat verbis: *In sonis omnino ne philosophator, sed utitor presentibus*. Elapso quadriennio a Rege *Henrico VIII* non sine summo Academiæ præjudicio in aulam evocabatur, ut *Eduardo*, Regis Filio, a studiis esset, quem adeo in tenerrima adhuc ætate summa dexteritate in rerum gestarum scientia, virtutum moralium cognitione, & aliis, quibus summos Principes instructos esse oportet,

regnandi artibus felici instruxit successu, usus ad id imprimis *Aristotelis Ethica*, & quidem (quod mireris) in lingua Græca. Cæterum quod privata ejus studia, singularemque, qua pollebat eruditionem attinet, adeo excelluit, ut nonnemo teste Auctore nostro p. 194, ita de eo judicaverit: *Checus ætate non multis, doctrina antecellit omnibus, & Princeps nostrorum hominum in omni genere putatur.* Johannis Chryso- stomi Opera in lingua vernacula, quia Græcarum literarum aman- tissimus, magno in pretio habuit, eaque non tantum quotidie, quoties ipsi per temporis angustiam aliaque publica negotia licuit, legit, sed & *sex Orationes*, quas pientissimus Pater de *Fato* conscripsit, ex idiomate Græco in Latinum tam feliciter trans- tulit, ut Poeta Anglus, quem Auctor noster p. 39 *Haddon* no- minat, sequentes in ejus laudem composuerit versus:

Divus Joannes Chrysostomus aurea Græca
Fundere quod posset, nomen suscepit ab auro.
Noster Joannes sit nomine *Checus* eodem,
Aurea qui Græcis verbis dat verba Latina.

Sed hæ de *Fato* conscriptæ Orationes nos monent, ut etiam nonnihil de fatis *Checi* nostri dicamus. Scilicet habuit fata communia cum aliis Aulicis & Viris Politicis. Non enim tantum a Rege impense amatus, sed etiam ad id honoris cul- men evectus est, ut Eques declaratus, ipsique Regi a secretis & intimis fuerit consiliis. Ast mortuo Rege subito omnia ipsi adversa fuerunt, multosque adversarios, religioni Pontificiæ ad- dictos, & inter eos imprimis Cardinalem *Polum*, qui tum tem- poris Legatus Papæ in Regno Angliæ erat, *Feckenhamum*, quid? ipsam Reginam Mariam iratam habuit. Quorum con- silio res tandem eo cecidit, ut *Checus*, qui Protestantium reli- gioni antea deditus corporalem in cœna Christi præsentiam de- fendebat, transubstantiationem vero Pontificiorum pernega- bat, Regemque *Eduardum* paulo ante mortem a superstitione Pontificia abducebat, ob crimen hæreseos una cum aliis reforma- tam religionem amplexis in exilium missus, postea Argentora- ti, ubi Anno 1555 publicam in se suscepit linguæ Græcæ lectio- nem, captus & in Angliam reductus in Turrim Londinensem
conje-

conjectus fuerit. Hic in iudicium sæpe adductus examinatusque est, & cum se religionis solum causa detentum esse sentiret, gloriæ primum id sibi duxit, ratus, se velle prius mori, quam a semel agnita veritate recedere; verum non diu stetit in hac sententia, sed mox igne aliisque pœnarum generibus territus, mentem suam misere mutavit, variisque illecebris seductus, ope potissimum ac auxilio *Feckenhami*, Decani olim Ecclesiæ Paulinæ, & mandato Reginae sensum suum ac intellectum doctrinæ Romanæ submitit, ac in solenni confesso, tum coram facie Reginae Mariæ, tum Cardinalis Poli publice palinodiam cecinit; quo facto magnum suæ inflixit conscientiæ vulnus & intra annum post apostasiam ex mœrore animi diem obiit supremum. Inter fragmenta reliquit elegantissimum & in fine hujus libri adjectum Tractatum *de Superstitione*, lingua Latina primum exaratum, quem Regi Henrico VIII inscripsit, & in quo potissimum ritus ac doctrinas Pontificiorum eum in finem retulit, ut eo feliciori successu Regis animum a superstitione Romana abduceret, cœptumque tum temporis in Angliâ opus Reformationis pro virili promoveret. Ceterum de Strypio, vitæ hujus auctore, conferri poterunt, quæ diximus anno 1705, mense Aprili p. 157.

*CAROLI ARNDII, FILII, PROF. ROSTOCH. PUBL.
Bibliotheca Aulico-Politica, eaque selecta.*

Rostochii & Lipsiæ, sumtibus Joh. Henr. Ruswormii, A. 1706. in 8.
Constat plag. 16.

Quemadmodum omnis scientiæ ac eruditionis pars maxima in cognitione & selectu bonorum Auctorum consistit, ita dubitandum non est, quin illi de Republica literaria insigniter mereantur, famamq; sibi concilient haud exiguam, qui in colligendis Scriptoribus curam paulo accuratiorem adhibent. Præstitit id ipsum Vir Cl. *Carolus Arndius*, tum in Bibliotheca Politico-Heraldica selecta, cujus recensum superiori anno mense Aprili p. 189 sq. dedimus, tum in hoc ipso, quem nunc exhibemus, selectissimo de Ministris Aulicis & Vita Aulica Scriptorum apparatu, e quorum numero tantum XX Autores præ cæteris, ob rariorem ipsorum dignita-

gnitatem recenset, & speciatim Hieronymum Osorium, Æneam Sylvium, Ultricum Huttenum, Balthasarem Castilionæum, Eberhardum a Weihe aliosque nominat. Præmittit huic opusculo non ineleganti Discursum præliminarem de formando rite recteque studiorum politicorum cursu, ejusdemque selecto ac debito adminiculo, ut sic genuini genuinæ Politicæ cultores primo statim intuitu intelligant, quomodo in cultura Juridico-Politica incendendum sit, & quibus subsidiis (ne Metaphysica quidem exclusa) ædificium suum Politicum solida ratione exstruere debeant. Postmodum subjunxit Cl. Auctor Bibliothecæ huic Aulico-Politicæ ob affinitatem materiæ B. Parentis, *Josua Arndii, Joabum Davidicum*, h. e. Ministrum aulæ probatum & improbatum, exemplo Joabi Davidici propositum. Epistolæ in modum ad Serenissimam quondam Megalopolitanum Ducem, *Gustavum Adolphum*, concinnatus est hic Tractatus Aulico-Politicus, delituitque MStus apud Principem, dum viveret, in ejus conclavis interioris scrinio; sed post obitum ejus inde remotus, paucis ab hinc annis a Serenissima Vidua Auctori nostro donatus & nunc ab eo publici juris factus est. Continet Discursus sex philologico-politicos, & sub finem *Parentalia Joabi*, non quidem in ejus gratiam, sed in exemplum aliorum adjecta sunt, tandemque *Tumulus Joabi* sequenti exornatus est inscriptione:

QUISQUIS. MAGNUS. ES. ASTA.
AC. LEGE.

JOAB. ZERUJAE. HIC. JACEO.
DUX. PRINCEPS. POTENS. TRIUMPHATOR.
SED. MEI. IMPOS. NULLI. CEDENS.
NISI. VITIIS.

PAREM. NON. FERENS. NISI. SUPERIOREM. VITIIS.
OCCISOR. PRODITOR. CONTEMPTOR. NIHIL. AESTIMANS.
PRAETER. UMBRAM.
HANC. AETERNAM. VIDEO.
CAVE. TIBI.

VITA. ME. DECEPIT. FORTUNA. FOVIT.
EGO. ME. DESERUI. REX. ODI.
DEUS. SUSTULIT. CAVE. QUI. IMITARIS.
HIC. NEMO. VIVIT. ABI.

ANNO. M. DC. LIII. M. VIIbr.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsia

Calendis Maji, Anno M D C C V I I.

HISTOIRE DE L' ABBAYE ROYALE DE
S. Denys en France &c.

i. e.

*HISTORIA ABBATIÆ REGALIS S. DIONYSII IN
Gallia, complectens vitas Abbatum, qui ab annis MC
eidem præfuerunt, viros illustres, quos Ecclesiæ & Regno
commodavit, privilegia item a summis Pontificibus atque
Episcopis illi concessa, tum Regum, Principum, aliorum-
que benefactorum dona; cum descriptione Ecclesiæ omni-
umque notabiliorum, quæ ibi continentur. Per Dominum
MICHAELEM FELIBIEN, Monachum Bened. e
Congreg. S. Mauri.*

Parisiis, apud Fridericum Leonardum, Typogr. ordinar.

Regis 1706, in fol.

Const. Alfab. 9. plag. 2. Fig. æneis. 14.

COmplures easque gravissimas rationes Rever. *Felibie-*
no suppetiisse, quamobrem celeberrimæ Abbatiæ San-
Dionysianæ historiam tam prolixo apparatu conde-
ret, e prima statim pagina videre licet. Inter illas præcipua
est summa hujus Ecclesiæ antiquitas, præliminari ideo disserta-
tione contra Launojum ac Tillemontium, detrectatores inve-
teratæ famæ, mascule defensa. Ad duo autem momenta, al-
terum de loco martyrii & sepulturæ S. Dionysii, alterum de
Bb funda.

fundationis Abbatia hujus tempore ibi res redit. Circa illud ita versatur, ut receptæ traditioni, quæ virum sanctissimum in monte Martis (*Montmartre*) sanguinem effudisse credit, auctoritate Vitæ S. Genofevæ calculum pariter adjiciat, eumque in finem Martyrologii non modo Ussuardini verba, *apud Parisium*, non de ipsa Parisiorum urbe, sed de agro circumjecto e parallelis aliquot exemplis interpretetur, verum etiam *visum Catholicensem* de via & suburbio, quod Lutetia Catulliacum, oppidum S. Dionysii hodiernum, ducit, argute explicet. Accuratior hujus rei notitiam propter monumentorum defectum suppeditari vix posse, ast evidentior longe adesse contendit circa sepulturæ locum. Ita namque in veteribus S. Dionysii Actis sextum ab urbe lapidem signari, adeoque frustra esse Launojum, sepulchrum istud Lutetiæ in Ecclesia S. Dionysii *a passu* cognominata quærentem, seductum scilicet Gregorii Turonensis testimonio, qui Chilperici Regis filium *Parisius ad basilicam S. Dionysii* inhumatum refert, tum Audoeni quoque in vita S. Eligii narrantis, ipsum super sepulchro beati Martyris *Parisius civitate* splendidum mausoleum exstruxisse. Ejusmodi enim locutiones neutiquam de urbis saltem ambitu, sed de suburbiis, integroque Parisiorum territorio, quin & omni illo agro, qui *le Parisis* vocatur, accipienda fore, istius tum sequioris adhuc ævi Scriptorum, Annalistæ puta Metensis, Monachi Floriacensis, Aimoniique concentu solidissime evincit. Nec minus Tillemontii conjecturas, de antiqua S. Dionysii Ecclesia urbi paulo propius quam duabus leucis ad minimum locanda, in fumum abire cogit, eundemque veritatis amore compulsus ante tradita in historia sua Ecclesiastica, ubi de S. Dionysio agit, ad eum modum, quo in secunda editione jam leguntur, ante mortem suam emendasse affirmat. In examine autem quæstionis, quando Abbatia S. Dionysii originem ceperit, negat ac pernegat, Ecclesiam beatissimi confessoris sepulchro inædificatam in eo oppidi angulo, ubi fanum S. Dionysii a Strata nuncupatum (*de l' Estrée*) hodie cernitur, figi debere, quin potius probabile reddit, hodiernum sepulchri locum eundem cum

vetere

vetere illo judicandum esse, quandoquidem nec vetusta monumenta ullam hac in parte mutationem contigisse testentur, nec antiquissimæ disciplinæ satis conspiret, corpora S. S. Martyrum tumbris suis turbata aliorum transferre. Anonymum vitæ Dagobertinæ scriptorem primum censerem, qui fictæ istiusmodi translationis meminerit, ac præ nimio in heroem suum studio Ecclesiam S. Dionysii ut vilem ædiculam, & Martyrum ibi conditorum corpora vix ambientem descripserit, refragante licet Gregorio Turonense & Fredegario, qui Ecclesiam illam magnificam & sumtuosam, amplam præterea & singularis fuisse dignationis perhibent. Quam sublestam igitur illius fidem habere cordatiores oporteat, ex aliis porro figmentis, illustrandæ Dagoberti fundationi ab ipso præparatis, Noster apertum facit. Destituere illum assensu plane suo Fredegarium atque Audouenum, autores sane non ultimi commatis, qui decoris quidem atque ornatus Ecclesiæ a Dagoberto superadditi, minime vero ullius translationi similis actus recordentur. Ut adeo pudendum merito errorem dixeris, quando festum illud die 22 Aprilis in diocesi Parisiensi inventionis, non vero translationis titulo celebrari solitum, ad Dagoberti ævum referatur, cum tamen ad prima Christianæ religionis incunabula potius respici atque ex actis S. Dionysii disci conveniat, beatorum Martyrum conditorium, memoria fortuito amissum, a S. virgine Genofeva deinde iterum repertum, inque ejus rei gratiam solemnia illa instituta fuisse. Ab eo autem, quod in antiquo sepulturæ Dionysianæ loco præsentem Abbatiam ædificatam arguit, religiosorum quoque cœtum inibi jam ante Dagoberti tempora floruisse colligit, illudque probat instrumento donationis Clotarii II R. ævo factæ, ubi verba: *Dodoni Abbati una cum fratribus suis basilicæ S. Dionysii deservientibus*; tum fide sæpe laudati Gregorii Turonensis, qui regnante Chilperico I propter Ecclesiam sanguine pollutam divinum ibi cultum interrumpi debuisse docet. Nam quod monachis unice domicilium præbuerit, vel ex eo patere, quod in clericorum locum regulares substituisse prisci Reges nullibi deprehendantur; tum etiam quod postea sub Ludovi-

co Pio Episcopi Senonensis ac Rhemensis provinciæ isthic congregati cœnobitas, qui cucullum diu abjecerant, non absque seria causæ cognitione ad pristinam regulam habitumque recipiendum condemnarint. Nec quicquam officere, quod in vita S. Eligii vigiliam in choro canentis cleri mentio fiat, siquidem vocabulo cleri tam monachi, quam canonici apud veteres promiscue veniant. Fredegarii vero assertum de psalmodia perpetua ad instar Agaunensium a Dagoberto hic ordinata nihil aliud sibi velle, quam ritum novum ad imitationem cœnobii S. Mauricii Agaunensis, perenni psalmodia a Sigismundo Burgundionum Rege nobilitati, monachis antea hic degentibus similiter commendari cœpisse. Cæteroqui licet consortii hujus religiosi natales certo definiri nequeant, dubio procul tamen illud jam sub Clotario II ibi substituisse, adeoque Amphilochem Abbatem, Episcopi Parisiensis ablegatum ad Concilium Aurelianense A. 541, a Mabillonio monasterii hujus Antistitem non inepte existimari. Tamenetsi ergo Dagobertum prima cœnobii fundamenta posuisse inficietur Noster, nihilominus quia Ecclesiam auro & gemmis exornaverit, tum in circuitu ampliorem reddiderit, plurimis quoque villis & possessionibus ditaverit, psallentium præterea ordine ad instar Agaunensium auxerit, quin & ibi sepeliri voluerit, ideo fundatoris elogium ipsi minime abjudicandum putat. Ultimo Launojum refellit, qui in Caroli Martelli & Pipini R. ætatem Abbatia ortum promoverat, atque eam Canonicis initio paruisse, temere nimis venditaverat.

Stabilita jam Ecclesiæ & Monasterii S. Dionysii antiquitate, ipsa ejus historia octo libris distincta succedit, in quâ omnia ibidem gesta juxta annorum Abbatumque septuaginta trium seriem e probatæ fidei scriptoribus atque instrumentis perspicua ac tersa satis oratione traduntur. Primus quidem liber cum Merovingicis, alter cum Carolovingicis Regibus desinit. Tertius cum Hugone Capeto autore tertiæ prosapiæ regalis incipit, inque fatis Abelardi enarrandis finit. Quartus Sugerii Abbatis facta potissimum celebrat. Quintus Ludovici Sancti ejus-

cti ejusque Successorum usque ad Carolum V tempora persequitur. Sextus Caroli VI regnum, malaque innumera monachis fervente tum bello intestino inflicta, ut & alia, quæ usque ad Francisci I ætatem acciderunt, continet. Septimus Abbates Commendatarios primos, perniciosissimos Ligæ tumultus & quæ exinde in cœnobium atque urbem S. Dionysii redundarunt, calamitates exponit. Octavus denique Monasterii reformationem ad normam Congregationis S. Mauri sub Ludovici Justi auspiciis institutam, quæque sub ultimis Abbatibus Commendatariis contigere, donec tandem mensæ Abbatialis reditus Domui Regiæ San-Cyranæ assignati fuerint, copiose recenset. In singulis ita se gerit accuratissimus Autor, ut Monasterii sui incrementa, donationes, jura, privilegia, immunitates, prærogativas, lites, jacturas, infortunia bellica, cæterasque mutationes; processiones item religiosas, miracula, Regum coronationes ac receptiones, oriflammæ levationes, pompas funebres aliaque solemnia frequenter sane ibi peracta, omnia demum, quæ ad dignitatem & venerationem loci, Abbatum porro ac monachorum laudes, quin imo ubi res exigit, ad vituperia eorum ullo modo pertinent, graphice ac fideliter describat. Isthæc autem tædiose ut percurramus, limitum nostrorum ipse memor B. L. a nobis minime postulabit, ideoque pauca quædam in scenam proferre fas sit. Fama inolevit, Dagobertum, San-Dionysianæ Ecclesiæ locupletandæ ergo, Pictaviensem S. Hilarii, Ambianensem S. Firmini, Tolosatem vero S. Saturnini corporibus spoliasse. Nostro e contra tot singulares plane eventus, quorum occasione reliquias hæc illuc commigravisse vulgo crepant, sæculi istius historiæ haud satis congruere videntur, præsertim cum Dagobertinæ vitæ scriptor anonymus, magni alioqui hoc in negotio ponderis futurus, non nisi SS. Dionysii, Rustici atque Eleutherii Martyrum ibi meminerit; Aimoinus etiam, primus qui Dagoberto spoliî crimen aperte objiciat, valvas saltem ex ære fusili fabrefactas e templo S. Hilarii Pictaviensi jussu ejus ablatas ipsi exprobet. Historicos gentis suæ, eo quod Meroveades a Thiderico I Re-

p. 19. 20.

p. 92 seqq.

120 seq.

203.

217.

ges perpetuæ quasi socordia accusarunt, Majorumque Domus merita in coelum efferre conati sunt, amor erga Carolum Martellum ejusque posteros nimium indulgisse arbitratur, siquidem Dagobertus III admodum juvenis exercitum eduxisse, & Daniel Chilpericus Thiderico IV adhuc infanti, ad quem succedendi jus alias devolvebatur, prælatus fuisse legatur, quod posterius vix contigisset, si Franci Regem nomine tenus talem ac sine ullo Regis exercitio habere susque deque curassent. Memorabile est, quod monasterium San-Dionysianum inter Abbates suos numeret Carolus Calvus R. post obitum Ludovici Abbatis, Caroli M. Imp. ex filia Rotrude nepotis, a monachis, ne in laicorum potestatem inciderent, metuentibus electum; tum intervallo aliquo Eudonem, ac Robertum Comitem Parisiorum itidem Reges; mox Hugonem cognomento Capetum pariter Regem, qui Hugoni Magno parenti in dignitate quidem Abbatiali successerat, sed pietate motus regulares ad pristinam disciplinam redire ultro permisit. Haud reticendum quoque ingens illud dissidium A. 1050 Germanos inter & Gallos ob reliquias S. Dionysii subortum, illis videlicet Arnulphi Imperatoris ævo e Gallia furtim abductas atque in monasterio S. Emmerani, quod Ratisbonæ est, repositas autoritate bullæ Leonis IX Pontificis contendentibus, his ex adverso in solenni procerum Regni conventu sarcophagum B. Martyris illæsum ossaque ejus inibi requiescentia spectare præbentibus. Nihilominus tamen errorem istum in Germania perseverasse, vel invitis omnibus historicis contemporaneis, qui nihil tale uspiam annotaverint, Nostrum mirari subit. Sub Guilielmo II Abbate, arte Medico & translatione quorundam Opusculorum e Græco in Latinum, quibus Colbertina bibliotheca gloriatur, nomen indepto, id gratiæ Papalis obtentum fuit, ut mitra, annulo & sandaliis instar Episcoporum Abbatibus, S. Dionysii uti liceret. In epistola Heinrici Troonii Abbatis, ubi Petri Justitiani mentionem cum encomio *Monachi ad succurrendum* fieri docuit, simul ostendit, hoc titulo in necrologiis passim venire homines minus idoneos ad succurrendum aliis, sed potius alienæ opis,

næ opis, precum scilicet ac bonorum operum indigos. Illa quoque tempestate, nimirum A. 1216 Innocentium III Papam S. Dionysii cujusdam corpus, quod Petrus Cardinalis Capuanus Constantinopoli Romam attulerat, cœnobio huic donavisse ait, ea mente (ut loquuntur apices pontificii,) ut dum duorum Dionysiorum corpora possideret, eo minus remaneret dubii, illud veri Dionysii reliquiis superbire debere. Paulo post, A. 1233, clavum passionis Dominicæ, præcipuum religiosæ gazæ cimelium a Carolo Calvo profectum, casu perditum multis jejuniis ac precibus ansam dedisse, sed tandem inopinato recuperatum fuisse narrat. Jam ad recentiora notabilia properare possemus, at ne hiatum committamus, aliqua adhuc de celebrioribus Abbatibus S. Dionysii, iisque regulam professis dicere oportet. Inter illos autem clarissima nomina habentur Fulradi, Hilduini, Sugerii & Matthæi Vindocinensis. Nam quod Fulradum attinet, non confundendum cum alio Fulrado, Abbate S. Quintini, qui patrem habuit Hieronymum Caroli Martelli filium naturalem, atque in aula Caroli Magni iisdem fere temporibus eminuit, plurimum ille momenti ad coronationem Pipini attulisse creditur, quemadmodum & apud eum deinde multum gratia valuit, ac legati axionate ad Aistulphum Longobardorum R. honoratus, restituendi Exarchatus Ravennatensis negotium felicissime promovit. Mox ad Desiderium Hetruriæ Ducem ivit, dignitate apocrisarii seu nuncii apostolici insignitus, rebusque ex sententia confectis, non sine laudibus ac præmiis Galliam repetiit. Mortuo Pipino existimationem suam nequaquam imminutam sensit sub Carolo & Carlomanno ejus filiis, apud quos Archi-capellani munus sustinuit, novaque Ecclesiæ suæ fabrica rite dedicata, monasteriis quoque compluribus passim conditis, A. 784 die 16 Julii placide obdormivit. Successorem in utroque titulo tam Abbatis quam Archi-capellani si non proxime, haud longe tamen insequentem nactus fuit Hilduinum, magnæ prudentiæ virum & Lotharii, cum jussu parentis Ludovici Pii A. 824 Romam tenderet, comitem, cujus etiam partes sexennio post quod nimio studio

amplexus

p. 219.

228 sequ.

amplexus esset, Imperatoris offensam in se derivavit, atque exul Corbiam Saxonum secedere debuit. Inde Hincmari discipuli sui opera in pristinum locum restitutus ad monasticam disciplinam fœde collapsam denuo restaurandam animum adpulit, atque Areopagitica sua, seu de vita & passione S. Dionysii Areopagitæ libros ex mandato Imperatorio conscripsit, de quibus Autor, ut historicum decet, nihil certi definit, sed opinionem saltem Hilduini de missione S. Dionysii in Gallias tanquam communioem ubivis prævaluisse putat. Vitæ finem ipsius A. 841 ad diem 22 Nov. ab aliis vero A. 842 figi innuit. Verum ad Sugerum deflectamus, quem, licet obscuris natalibus oriundum, rara ingenii felicitas, judicandi vis plane singularis, doctrinæ item præstantia cum summa morum dulcedine conjuncta ad illud gloriæ fastigium evexerunt, ut omnes alios sui ordinis longo intervallo post se reliquerit. Postquam enim rebus tractandis quam maxime habilis mature deprehenderetur, a legationibus tum superiorum tum Regis nomine obeundis non vacavit, unde peramplam laudis materiam sibi collegit. Sane cum apud Calixtum II Pontificem in Apulia hæreret, tanta fuit domi virtutis ejus opinio, ut inscio plane nec tale quicquam cogitanti honor Abbatialis deferretur. Qua in re ut ut Regem propter neglectum ipsius consensum adversarium initio haberet, dissipatis tamen brevi indignationis nebulis, propitium adprobatores statim expertus est, consiliisque ejus sæpe interfuit. Intimioris adhuc admissionis fuit sub Ludovicis VI & VII Regibus omniumque arcanorum arbiter. Non dissimulat hic Noster, Sugerum ad aulæ vanitates incautius prolapsam magna cum pompa frequentique satellitio stipatum in publicum prodire suevisse, admonitum autem a S. Bernardo usque adeo ad humilitatem & modestiam se composuisse, ut fratribus antiquæ regularis observantiæ recipiendæ instigator fieret. Nolumus jam immorari ejus de ecclesia monasterii sui meritis decantandis, quomodo illam spatiosiore reddiderit, variisque pretiosis exornaverit; id quod inprimis famam ipsi conciliat, silere haud possumus. Cum Rex Ludovicus VII expeditionem

peditionem in terram sanctam A. 1147 susciperet, dignissimum e tam multis æstimarunt Regni Proceres atque Episcopi Sugerum nostrum, qui regiminis habenas una cum Comite Nivernensi moderaretur, quas etiam tanta cum justitiæ, integritatis ac fortitudinis laude tenuit, ut omnium expectationem superaret, atque a Principe pulcherrimum Patris patriæ elogium præmii loco capefferet. Animam autem efflavit vir immortaliter meritis die 13 Januarii A. 1151 annum septuagesimum agens. Superest Matthæus, a patria Vindocinensis dictus, non quod illustri Vindocinensium Comitum stirpe fatus esset, ceu historicorum nonnulli balbutiunt. Hunc A. 1258 Præsulem monachorum factum, A. 1270 vero a Ludovico S. Rege, ad Cruciatam profecto, Regni gubernaculis admotum, inque hoc dignitatis gradu a successore Philippo III R. donec reversus esset, confirmatum, quin & posthac summo in pretio habitum fuisse, Noster contendit. Plures e tot Abbatum regularium numero sistere institutum nostrum haud patitur, sed Commendatarios etiam e longinquo salutare jubet. Sub Francisco I quippe Rege, cum pragmatica Caroli VII sanctione abolita, omnibus Capitulis seu Collegiis Canonorum Ecclesiarum cathedralium, Abbatibus item & Prioratibus electivis jus legendi sibi pastores, vigore Concordati inter Leonem X Papam & Regem initi, ademptum esset, ad alium quoque statum monasterii hujus res devenere. Licet enim Ecclesiis speciali Pontificum privilegio munitis eligendi facultas integra maneret, iisdem tamen A. 1533 plane fuit abrogata. Interea A. 1529, quo Abbatiam S. Dionysii morte Aimari Gouffierii vacare contigit, novum quidem Antistitem sibi adsciscendi potestatem monachis faciebat Princeps, sed ita, ut Ludovicum Bourbonium enixe ipsis simul commendaret. Cujus Regiæ voluntatis cum rationem non haberent, atque in Johannem Oliverium Abbatem S. Medardi Suessionensem suffragia potius conspirarent, prohibitione sua Rex obstitit, eumque Bourbonio locum cedere coegit. Hic ergo primus Commendatarius Abbas audivit, quem deinde exceperunt Carolus Lotharingicus Cardinalis, tum Ludovicus Guisus Cardinalis Blesis A. 1588 misere trucidatus, hinc Carolus, Cardinalis Vindocinensis, mox Bourbonius dictus, porro Ludovicus

vicus, Cardinalis Guisus appellatus, dehinc vero Heinticus Lotharingicus. Post eum veniunt Armandus Bourbonius Princeps de Conty, Julius Mazarinus, Cardinalis, tandemque Johannes Franciscus Paulus de Gondy, Cardinalis Radesianus cognominatus. Ultimus hic fuit Abbatum, atque post ejus decessum. A. 1679 Pelissonius a Rege œconomus saltem constitutus, imo A. 1686 mensa Abbatialis in alium usum destinata, ad sustentandam nempe congregationem virginum S. Cyri a Domina Maintenonia institutam. Cui rei ut Pontificis adprobatio accederet, monachos ipsos intervenire oportuit; illa autem A. 1691 ab Innocentio XII demum emanavit, promulgata scilicet bulla, qua titulus Abbatialis S. Dionysii penitus supprimeretur, mensæ vero ejusdem redditus bonaque omnia Domui S. Cyranæ addicendi Regi copia fieret, salvis tamen mensæ conventualis, tum Prioris & Monachorum emolumentis, juribus, honoribus ac privilegiis. Præterea Abbatia connexa beneficia simplicia Regis denominationi permessa, quæ vero cum animarum cura conjuncta, Communitati San. Dionysianæ relicta fuere. Perplexiorem multo dicam illi deinde intentavit Archi-Episcopus Parisiensis jurisdictionis spiritualis causa, non nisi certa eaque monasterio perincommoda transactione A. 1692 sopitam, cujus tenorem Autor fusius proponit. Tam dura atque acerba fata subire oportuit locum adeo venerabilem & Pontificum, Regum, Principum &c. beneficiis certatim quondam cumulatum, ut sane non injuria huc quadret illud: *Fuimus Troes: fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum.* Verum priusquam filum ab-rumpamus, paucula quædam de reformatione Ordinis S. Benedicti, quæ superiori seculo in Gallia accidit, suggerente Nostro, commemoremus. Cum enim temporis decursu & humana fragilitate invalescente a summo existimationis culmine ad incitas fere & laicorum opprobria ille redactus esset, ita ut repudiata sancta fundatoris regula, precationibus, vigiliis, silentio, solitudini, jejuniis & lectionibus sacris passim successissent ludi, venationes, luxuria in vestibus ac cibis, libertas faciendi, quæ velis, aliæque voluptates indecoræ, de emendandis hisce malis diu serio cogitarunt recti tenaciores, sed irritò conatu.

Nisi

Nisi quod sub initium seculi decimi sexti congregatio Chesalio-Benedictina e paucis monasteriis conflata antiquam normam reducere tentavit, & Heinrichi IV ætate duæ iterum societates, altera San-Dionysiana, altera Exemptorum dicta, emerferunt, quæ leviolem reformationis speciem præ se ferebant, revera sane nihil aliud agentes, quam ut a molestis Episcoporum visitationibus eo pacto immunes essent. Prædominante itaque semper inveterato cacoethe, de curatione ejus tantum non omnes desperare, ipseque etiam Cardinalis Valdemontius, ad monasteria Metensis, Tullensis ac Virodunensis Diocæsis reformanda Legati titulo a Clemente VIII Pontifice missus, animum despondere, satius esse ratus, ordinem S. Benedicti penitus supprimere, quam in redintegrando eo operam ludere, id quod tamen consilii Papa haud admisit. Sub hæc autem tempora quidam Desiderius de la Cour, homo antiquæ probitatis atque indolis, in cœnobio San-Vannensi, quod Viroduni est, educatus, apud Ericum Lotharingiæ Principem locique istius Episcopum eo gratiæ pervenit, ut A. 1600 monasterium illud ad avitam regulam componendi partes ipsi plane demandaret. Nec fefellit is expectationem de se conceptam, sed novitiatum ibi, nequicquam moratus refractarios nonnullos, introduxit, brevique institutum suum aliis insuper conventibus religiosis serio commendari, quin & integram sodalitatem, San-Vannensem nuncupatam, atque a Pontifice A. 1604 confirmatam, feliciter inde progerminare vidit. Re semel adprobata multo plures per universam Galliam reformationem hanc ultro amplectebantur, inque novam congregationem, a S. Mauro discipulo S. Benedicti appellatam, (ad evitandam nempe invidiam, quæ suscepta ab aliquo peculiari cœnobio denominatione suboriri facile potuisset) ad sensu Regis A. 1618 impetrato, blande conspirabant. Utcunque tamen res alexæ plenissima videbatur ad amissim istam exigere San-Dionysianos monachos, majori quippe licentiæ aduetos, & quod maximum, aulæ ac Parlamenti favore subnixos, ita, ut Cardinalis Rupifocaldus, cui id negotium cordi imprimis erat, omnem constantiam suam in subsidium vocare necesse haberet, priusquam homines seculo peritus addici quam cen-

suram subire paratiores in ordinem cogeret. Verum enimvero & hoc quoque A. 1633 mense Augusto ex voto contigit, tametsi in eo incassum laborarit, quod omnia Benedictinorum in Galliis monasteria sub unica congregatione S. Mauri coadunare præsumserat. Siquidem Cluniacensium coetus, quorum Generalis fuit, eo vivente tantum foederi adhæsit, postea iterum abcessit; San-Vannensis vero confraternitas nunquam incorporari voluit; sola Chefalio-Benedictina numerum auxit, ut adeo centum atque octoginta Abbatia & Prioratus sub illa S. Mauri congregatione hodie comprehendantur. Quanto autem cum fructu Christiani orbis nobilissimum hoc consortium coaluerit, præter alia pietatis atque eruditionis documenta testari queunt tot Patrum Ecclesiae ut & Historicorum opera, ab ejusdem alumnis immortalis cum literatorum adplausu hætenus detecta atque luci exposita.

Supplementi in modum doctissimus Autor annectit copiosissimam descriptionem Ecclesiae S. Dionysii, in qua basilicae hujus structuram tam antiquam, quam modernam, gazam item prædivitem certe atque incredibili donariorum aliarumque rerum pretiosarum varietate ad stuporem usque splendens, nec minus Regum & Principum ibi conditorum sepulcra ac mausolea, tabulis æneis nitidissime incisa, justoque commentario illustrata repræsentat. Novus hic nobis isque fertilissimus campus ad complura notabilia inde eruenda pateret, si præscriptos terminos violare non nefas putarem. Non possumus tamen, quin e tot cimeliis insigne vas achatinum, quod Carchesium Græcis vocatur, ac Festum seu Sacrificium Bacchi faberrime exsculptum iusta magnitudine delineat, sed in Sacris Regum calicis ablutorii usum præbuit, in gratiam antiquariorum hic Fig. 1. & 2. Fig. 1 & 2 depictum producamus, mysteriorum vero sensum noscituos ad Tristanum in Comment. Historicis T. 2 p. 603 seqq. egregie hæc explicantem ablegemus. De exquisita insuper Chartarum, Diplomatum, Actorumque veterum, bonam partem ineditorum, collectione, quam historiae suae corroborandae infervituram Noster adhuc subjunxit, id verbulo saltem indigitasse sufficiat, in illa etiam contineri Necrologium S. Dionysii,

TAB. I V.
Fig. 1. & 2.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 7.




Fig. 5.



Fig. 9.




Fig. 10.




Fig. 4.



Fig. 6.





nisi, 400 circiter annorum, cujus ope plurimorum Virorum
celebrium emortuales epochas multo evidentius stabilire detur.

D. ÆGIDII HUNNII THESAURUS EVANGELICUS,
complectens Commentarios in quatuor Evangelistas, &
Actus Apostolorum, nunc primum hac forma editus a
JO. HENRICO FEUSTKINGIO,
Theologo Anhaltino.

Wittebergæ & Servedæ, apud Jo. Wilh. Meyerum &
Godofredum Zimmermannum, 1706. fol.

Constat 14 Alph. & 14 plagulis.

Immortale Ægidii Hunnii nomen est, qui, quoad Tubingæ
apud Wurtembergicos, Marpurgi apud Hassos, & Witeber-
gæ apud Saxones vixit, bene meruit, editisque ingenii monu-
mentis puriorem Dei cœtum sacrarum rerum accessione egre-
gie locupletavit. Sive enim dogmatica scripta componeret,
sive intemerata fidei capita contra Arturum, Bellarminum,
Tannerum, Paræum, Pierium, Pezelium, Salmuthum, Grabi-
um, Crenzhemium, Huberum defenderet, sive Pontificios in
Colloquio Ratisbonensi, & Philippistas in Saxonia Ascaniensi
debellaret, aut sacras literas interpretaretur, certe ad consum-
matissimorum Theologorum gloriam atque ἀκμὴν accessit.
Præclare ergo de Ecclesia orthodoxa non minus ac beatis Hun-
nii manibus meritus est Vir summe venerandus D. Johannes
Henricus Feustkingius, *Sereniss. Principum Anhaltinorum a concio-
ribus aulicis primariis, consiliis ecclesiasticis, & confessionibus pri-
vatis, nec non sacrorum in Principatu Servedano Antistes*, quod
præter exegeticos in epistolas novi Testamenti labores, in actis
nostris anno 1705 p. 241 commemoratos, exasciatas quoque,
jisdem Theologi in Evangelistas commentationes publici fe-
cit juris. Methodum, qua ille usus est, commodam ac facilem
experientur exegeticos cupidi. Præmissis namque tum in uni-
versos, tum in singulos historiæ Evangelicæ conditores prole-
gomenis, exponit ante omnia argumentum, & cujusvis capitis

partitionem. Post hæc ex textus *συναφεία*, locis parallelis, fideique analogia, geminum sibi que constantem sensum eruit & demonstrat. Subjungit tandem locos morales & doctrinas, ubi, quicquid ex textu sacro ad didascaliam, ad elenchum, ad epanorthosin aut pædiam applicari potest, rotundis thesibus exhibetur. Et hoc quidem filo commentarios libros in Marcum quoque, Lucam & Actus Apostolorum Hunnius pertexuisset, nisi hanc laborum telam cum vitæ staminibus immatura fata abripuissent. Cum igitur Marci & Lucæ Evangelium hujusque Apostolorum Actus Hunnium interpretem non haberent, visum fuit summe reverendo Editori, D. Johannis Winckelmanni & D. Danielis Arcularii perspicuos ac plane Hunniana, hoc est, paraphrastica methodo concinnatos commentarios in isthæc diviniora scripta succenturiare Hunnianis. Erant quippe Duumviri isti Hunnii in Academia Hassorum Marpurgensi Collegæ etiam & Sympalæstritæ. Ad integri vero operis intellectum & præparationem librum velut introductorium præmisit Editor *de Majestate, autoritate, fide & certitudine sacrarum literarum*, ab eodem Hunnio conscriptum, cui enarrando immorari superfluum arbitramur, cum ipsius *Eduardi Stillingfleti*, Episcopi in Anglia Vigorniensis judicio, *Autor pro suo ingenio, quod eximium & capitale habuit, totam in eo impiorum arcem ita arietaverit, ut unde fulciri queat integra, Atheorum, Epicuræorum & Deistarum colluvies, non facile apparatus inventura sit idoneum.* Quis autem insuper & qualis Hunnius præsertim fuerit, subjuncta ejus vita, a *Leonbardo Hutero*, Theologo Witebergensium nominatissimo, conscripta, palam reddit, in qua multa, ad archæologiam sacram & eruditionem ecclesiasticam pertinentia, reperiet studiosus Lector. Ad calcem operis Index rerum & verborum locupletissimus adjectus est.

AN EPISTOLARY DISCOURSE, PROVING
from the Scriptures and the first Fathers, that the
Soul is a principle naturally mortal &c.

h. e.

*DISCURSUS EPISTOLARIS, PROBANS EX
Scripturis & Patribus primitivæ Ecclesiæ, quod Anima
sit principium naturaliter mortale, sed immortale red-
dendum vel per merum Dei arbitrium, ut puniatur; vel
per illius cum divino Spiritu baptismali unionem, ut præ-
mium accipiat. Ubi simul ostenditur, neminem post A-
postolos habere potestatem dandi Spiritum divinum im-
mortalizantem, nisi Episcopos. Autore HEN-
RICO DODWELLO,
A. M.*

Londini, apud R. Smith, 1706, in 8.

Constat plag. 25.

In solitam *Dodwellus* proponit doctrinam, hactenus inter
Christianos receptæ prorsus contrariam, quam tamen in Scri-
ptura Sacra & scriptis Patrum ævi Apostolici & Apostolico
proximorum optime fundatam, nec malum in actiones huma-
nas habere influxum arbitratur. Ecce tibi eam in compendio
nunc redeuntem. Animam hominis ex sua natura mortalem
affirmat; nec tamen esse materialem, quin potius a corpore
distingui, nec ita pendere ab ulla re creata, ut, remoto ejus in-
fluxu, esse desinat, quin potius dissoluto corpore in auram re-
verti, nequaquam vero cum eo perire. Immortalitatem esse
privilegium specialis pacti inter Deum ac homines quos-
dam ex pura gratia facti, adeoque non concedi, nisi quibus pa-
ctum illud innotescit. Eorum nempe animam, qui Evangelio
Christi obediunt, per Spiritum illi supperadditum immortalem
reddi: contra animas illorum, qui Evangelio non obediunt,
per Dei voluntatem immortales evadere. Obedientium esse
vitam æternam, in præmium cum felicitate sempiterna a con-
gregatione mundi dandam: inobedientes vero pœnas manere
ternas & miseriam nunquam desituram. Cruciatu inferna-
les primario destinari angelis lapsis, seu Diabolis, ita, ut nullus
foret

foret infernus, nisi angeli lapsi fuissent. Homines quosdam damnari, non quatenus peccant, sed quatenus cum Diabolo adversus Deum rebelle faciunt. Spiritum, qui immortalitatem confert, per baptismum aquæ exhiberi, nec nisi ab Episcopis accipi posse. Quotquot igitur aliunde Spiritum divinum se accepisse prætendunt, illos eum non habere, sed malum: nec aliter quam rebelles ac socios Diaboli considerandos esse, qui Episcopalem communionem deserunt. Quamobrem quo homo salvetur, ex mente *Dodwelli* requiritur, ut ipsi innotescat Evangelium a Christo & Apostolis annunciatum, ut is eidem obediat, ut baptizetur, ut sub Episcopo vivat & ab eodem Spiritum divinum atque remissionem peccatorum (quam etiam vere pœnitentibus citra Episcopi absolutionem obtingere non posse contendit) accipiat: quo damnetur, juxta ejusdem mentem opus est, ut Evangelium Christi cognoscat, sed eidem non obediat. Hanc dispensationem salutis Novo unice Testamento propriam esse: ignotam fuisse in Vetere immortalitatem animæ, ignotam fuisse beatitudinem æternam, ignotum fuisse infernum, quoniam hæc omnia ad homines ante Evangelii manifestationem viventes nullo modo pertinuerint. Hinc in Novo demum Testamento lapsum angelorum & infernum ipsis paratum revelari, Diabolum tanquam rebellem & hostem animarum proclamari, bellumque ipsi indici: horum vero ne minimum quidem in Vetere auditum fuisse, sed in eo Diabolum temporali modo hominum felicitati obfuisse, quod testentur exempla protoplastorum ex Paradiso expulsorum, Jobi multis calamitatibus obruti, Israelitarum ob Davidis ambitionem stragem ingentem perpessorum. Quoniam tamen Ninivitæ & Regina Arabiæ in extremo judicio surrecturi dicuntur a Salvatore nostro adversus concionum ipsius contemtores; probabiliter supponi ait, animas eorum, qui Evangelium non audiverunt, usque ad judicium extremum superfore, illo peracto in conflagratione mundi vi ignis consumendas. Et quia in sacris falus æterna etiam nonnullis ante Christum viventibus attribuitur, qui in terris nec Evangelium audiverunt, nec baptizati fuerunt, animabus illorum separatis ἐν τῷ ἁδῆν Evangelium annun-

annunciatum esse & eas aqua baptizatas fuisse affirmat. Christum nempe Evangelium prædicasse Judæis defunctis, cum ad inferos descenderet; Apostolos vero denatos & Episcopos denatis Gentilibus. Novum hoc Theologiæ systema ex Scriptura dum adstruit, *ψυχὴν τῷ πνεύματι* ab Apostolo contradistingui, & *ψυχὴν* tanquam principium mortalitatis ab Adamo in nos derivatum, *πνεῦμα* vero tanquam principium vitæ ac immortalitatis a Christo unice profectum representari notat. Diserte enim Apostolum *ψυχικὸν σῶμα* vocare corruptibile & mortale in oppositione ad *πνευματικὸν*, quod est incorruptibile atque immortale, ac omnem immortalitatem a resurrectione Christi derivare, quæ adeo nonnisi eos concernat, qui Christi participes facti. Provocat etiam ad formam processus in judicio extremo observandi, tales unice supponentem, qui Evangelium Christi audiverunt. Præmium enim decernitur iis, qui in membra corporis Christi mystici beneficia contulerunt; pœna dictabitur eis, qui beneficiorum collationem neglexerunt. Illam itaque processus formam in hos minime quadrare, qui Evangelio non audito ignorarunt, dari aliquem Christum & ejus cultoribus beneficia exhibentes præmiis, damna vero inferentes pœnis affectum iri. Incredulis decerni pœnas infernales, Marc. XVI, 16, consequenter supponi, ipsos Evangelium audivisse, Rom. X, 14. Adducit ulterius loca Joh. III, 18. 36. 2. Thess. II, 12, Luc. XII, 46. & ea vindicat, quæ hypothesebus ipsius contraria videri poterant. Ita notat, Joh. V, 28. 29. per omnes in sepulchris dormientes & ad judicium resurrecturos intelligi non totum humanum genus, sed eos omnes, quos judicium concernit: nam quod in Scriptura universalitas expressionis non excludat limitationes intentas, ex 2. Sam. XXI, 4. 6. 9. 1. Reg. XVIII, 10 & 1. Cor. I, 14. 16. probat. Doctrinam de naturali mortalitate animæ & immortalitate ejus præternaturali a Spiritu Divino derivanda cum notionibus a Judæis in ævo Apostolico receptis ex asse convenire monstrat. Jam vero hunc recte supponi Scripturæ Sacræ sensum, qui tunc ex ejus lectione facillime hauriri poterat. Loci

denique 1. Corinth. XV, 22 hanc veram esse interpretationem, quod, quemadmodum omnes, qui in Adamo sunt, moriantur, ita etiam omnes, qui in Christo sunt, vivi reddantur. Non autem hinc consequi, quod, qui sunt in Adamo, sint etiam in Christo, consequenter vivificentur: quin ipsos Apostolos significare, quod omnes ab Adamo ad Moysen usque viventes, qui Spiritum non habuere, in actuali immortalitate permanserint, Rom. V, 15. 19, quodque pereant, nequaquam vero in iudicium veniant, quibus lex divina non innotuit, Rom. II, 12. Cæterum medium obtinendi Spiritum esse baptismum aquæ, ex Joh. III, 5 evincit, & ideo ad salvationem una cum fide ipsum requiri ex Marc. XVI, 16 & 1. Petr. III, 21 comprobatur. Quod potestas conferendi Spiritum sit penes Episcopos solos, inde corroboratur, quod sint, quemadmodum Apostoli Christi, ita Episcopi Apostolorum in actibus eminentibus autoritatis ipsorum ordinariæ successores, Christum tanquam caput corporis mystici repræsentantes, ut adversus eos rebellans adversus Christum rebellare, eos despiciens Christum despiciere dicatur. Hac de causa Apostolos ab aliquo loco discedentes Episcopum quendam in eodem reliquisse. Patrum cum hætenus dictis consensum multis declarat, adducens testimonia *Justinus Martyris, Tatiani, Irenæi, Athenagoræ, Theophili Antiocheni, Tertulliani, Clementis Alexandrini, Cypriani, Arnobii, Lactantii, Athanasii*, & sub finem demum seculi quarti doctrinam de naturali immortalitate animæ cum pendentibus inde doctrinis aliis invaluisse pronunciat. Citat autem *Justinum*, in Dialogo cum Tryphone p. 222. 223 & 224, *Tatianum* in Orat. ad Græcos §. 20. 21. 22. 24. 34. edit. Oxon. *Irenæum* lib. 81. c. 62, *Theophilum* lib. 2 ad Autolyc. p. 101, *Tertullianum* de Anima c. 20. 21. 25. 27. 36. 37, *Cyprianum* in epist. ad Pompejum & in epist. ad Fidum, *Lactantium* Instit. lib. 7. c. 4. 5. 6. 10. 12. lib. 2. c. 11 & 12, lib. 3 c. 12. lib. 11. c. 12, *Athanasium* in Orat. contra Gent. p. 35. 56. 57. 59. 60. 62. 67. 72. Nostri equidem instituti ratio non permittit, ut loca ipsa adducantur; quo tamen lectori appareat, qua fide citentur, unum alterumque apponere libet. Ex verbis itaque *Athenagoræ, ὁ δὲ καὶ*

πνεῦν καὶ λόγον δεξάμενος ἔστιν ἄνθρωπος, ἡ ψυχὴ καὶ ἑαυτήν, ἄνθρωπον ἄρα δεῖ τὸν ἐξ ἀμφοτέρων ὄντα δια-
 μένειν εἰς αἰεὶ, monstrat, credidisse ipsum, ad hominem per-
 fectum semper duraturum tres requiri partes, corpus, animam
 & mentem seu rationem, per quam Spiritus immortalizans in-
 telligatur. Quod Spiritus ex mente Patrum immortalem red-
 dat animam, probat verbis *Tatiani*, *Ψυχὴ γὰρ ἐκ αὐτῆς τὸ*
πνεῦμα ἔσωσεν, ἔσωθη δὲ ὑπ' αὐτῆς. Esse vero
 animam sua natura immortalem, ex ejusdem *Tatiani* verbis,
ἐκ ἔστιν ἀθάνατος ἡ ψυχὴ καὶ ἑαυτήν, θνήσκῃ δὲ. Ἀλ-
 λά δύναται ἡ αὐτὴ καὶ μὴ ἀποθνήσκειν, infert. Esse
 Spiritum aliquid animæ superadditum, ex *Arnobio* patere ar-
 bitratur, dum *Christi est*, inquit, *dare animis salutem & Spiritum*
perpetuitatis apponere. A baptismo & baptismali Spiritu im-
 mortalitatem derivare *Lactantium* ita scribentem : *Quæ ratio*
docet, mortalem nasci hominem, postea vero immortalem fieri, cum
cœperit ex Deo vivere, id est, justitiam sequi. &c. Quod tum
fit, cum homo cœlesti lavacro purificatus exponit infantiam cum
omni labe vitæ prioris, & incremento divini Vigoris accepto fit
homo perfectus ac plenus. Verba *Clementis Alexandrini*, quibus
 Christus Judæorum, Apostoli & alii Doctores primarii Gentili-
 um animabus separatis ἐν τῷ ἀδῆ Evangelium prædicasse di-
 cuntur, prolixiora sunt, quam ut eadem huc transcribere liceat. E-
 vincit quoque *Dodwellus*, doctrinam suam de naturali animæ
 mortalitate & præternaturali immortalitate per Spiritum ba-
 ptismalem conferenda non malum habere in actiones huma-
 nas influxum, sed eundem prorsus, quem habet doctrina ha-
 ctenus recepta. Quemadmodum enim stante doctrina com-
 muni metus pœnarum infernalium a libidinosis actionibus revo-
 cat securitatemque impedit, & spes beatitudinis cœlestis bene
 operandi alacritatem superaddit, ita eadem quoque obtinent,
 si quis partes *Dodwelli* tueatur. Etenim qui Evangelium non
 audit, nec naturalem animæ mortalitatem novit: qui vero
 audit, eidem quoque obedire tenetur, nisi cum Diabolis mise-
 rias sempiternas perpeti voluerit.

A LETTER TO MR DODWELL, &c.

h. e.

EPISTOLA AD DODWELLUM PERSCRIPTA A
SAMUELE CLARKE, M. A. Joannis Episcopi
Norwicensis Diacono.

Londini, apud W. Botham, 1706, in 8.

Constat plag. 6.

AUtor hujus epistolæ jam variis scriptis aliis idiomate patrio editis suos in Philosophia pariter atque Theologia profectus Orbi litterato abunde comprobavit. Æstimant eruditi ejus Demonstrationem existentia & attributorum divinorum, Hobbesio, Spinozæ & eorum sectatoribus oppositam, in qua simul notionem libertatis explicat & ejus possibilitatem ac certitudinem in oppositione ad necessitatem & fatum comonstrat: nec minoris faciunt ejus Discursum de immutabili obligatione religionis naturalis & de veritate ac certitudine revelationis Christianæ. Utrumque argumentum materiam præbuit Sermonibus sedecim, juxta foundationem *Roberti Boyle* in Ecclesia Cathedrali S. Pauli annis 1704 & 1705 contra Atheos & Deistas recitatis. Alias quoque edidit Paraphrasin in quatuor Evangelistas notis criticis in loca difficiliora instructam, itemque Officium Christiani in baptismo, confirmatione & pœnitentia, nec non quasdam Animadversiones in librum quendam, cui titulus *Amyntor*, seu Defensio Vitæ Miltoni. Idem nuper admodum *Jacobi Rohaulti* Physicam Latine vertit, recensuit & uberius annotationibus ex *Isaaci Newtoni* Philosophia maximam partem haustis amplificavit & novis aliquot Tabulis æri incisus ornavit, quia versio anterior sensum Autoris in plerisque male exprimit. Omisit tamen Mechanicam, tum quia ad Physicam non spectat, tum quia inter Rohaulti Opuscula posthuma extat. Epistolam denique ad *Dodwellum* exaravit, de qua nobis hoc loco sermo est. In ea ad argumenta singula a *Dodwello* contra immortalitatem animæ naturalem prolata

prolata respondet, & Patrum de hoc argumento judicia vere repræsentat. Quæ vero de autoritate Episcopali dicta sunt, silentii sipario tota involvit, utpote Episcopo a sacris domesticis. Distinctionem inter Spiritum Dei immortalizantem credentes & voluntatem Dei immortalitatem incredulis superadidentem precariam vocat. Asserere, quod nullus foret infernus, nisi Diabolus lapsus esset, idem esse ait, ac Deum tanquam tyrannum arbitrarium repræsentare. *Dodwellum*, dum concedit, animam non ita pendere ab ulla re creata alia, ut, influxu ejus remoto, esse desinat, idem revera loqui, quod affirmant dicentes, animam ex sua natura esse immortalem. Quod ante prædicationem Evangelii Diabolus non fuerit pro hoste publico declaratus, nec homines ulli ejus fuerint consortes, adeo manifeste falsum esse, ut refutatione non indigeat. Contrarium namque patere ex historia lapsus Adami, Jobi, & Israelitarum I. Chron. XXI, 1. Fuisse Diabolum in Vetere etiam Testamento hostem hominum in rebus ad vitam æternam spectantibus; habuisse enim Patriarchas expectationem melioris civitatis post dissolutum præsens tabernaculum. Idololatriam fuisse & apud Judæos & Gentiles peccatum & peccata quævis in se Deo esse exosa atque pœnis digna, non quatenus consortium cum Diabolo arguunt. Sine lege perire Rom. II, 12 non esse idem ac annihilari, sed synonymon. Posius judicari, ut ex aliis Scripturæ locis pateat. Obscuras præcædi a *Dodwello* Animæ & Spiritus notiones, ut differentia non satis manifesta sit. Quod si per Spiritum intelligat operationem Spiritus S. in animam, non esse differentiam inter immortalizationem per Spiritum & immortalizationem per voluntatem Dei, quæ duo tamen distinguit: si per Spiritum intelligat adscititium principium substantiale, mirum videri, cur in immortalizatione credentium ipso opus sit, cum immortalizatione obedientium sine tali principio peragatur. Locum Pauli de corpore animali corruptibili & spirituali incorruptibili ita esse accipiendum, quod corpus in se corruptibile post resurrectionem per Dei potentiam fieri debeat incorruptibile. Horren-
dum dictu esse, quod Evangelium sine ulla proportione misere-

riam peccatorum augeat, cum tanquam maximum tenerrimæ misericordiæ Dei erga homines exemplum in sacris repræsentetur. Illationem ex forma judicii extremi esse prorsus insolitam: utut enim actus charitatis & misericordiæ erga fideles a Salvatore Matth. XXV tantum commemorentur, non tamen ideo excludi alias virtutes & vitia alia, cum ex aliis locis Scripturæ constet, omnes omnino actiones examinatum iri. Universales Scripturæ assertiones in sensu limitato nequaquam accipiendas, ubi nec communis acceptio vocis significatum ejus evidenter limitet, ut Joh. XII, 19, nec alia Scripturæ loca limitationem expresse addant. Patribus, æque ac Scripturæ Sacræ, falsum assigni sensum, ab ipsorum mente alienissimum, de naturali mortalitate accipiendo, quod de negata animæ existentia necessaria, soli Deo propria, dixerint. Verba ejus, quibus asseritur, animam esse distinctam & a spiritu, & a materia ac motu, hoc est, formam materialem, principium activum substantiale a materia distinctum, attamen ab ea in esse, fieri & operari dependens, & consequenter cum materia dissolvendum, tam manifestam involvere contradictionem, ut refutatione non indigeant. Interpretationem loci I. Cor. XV, 22 esse minus naturalem, & ipsius *Dodwelli* hypothesibus repugnare, cum inde sequatur, non nisi eos, qui in Christo sunt, resurrecturos esse, consequenter nullum incredulum. Repugnare ulterius naturali mortalitati, quod omnes animæ a dissolutione corporis superesse, & quæ Evangelium non audiverunt, in conflagratione universali post peractum judicium ab igne consumi debeant. Quæ tandem de animabus separatis dicuntur, nulla certitudine niti, ac ideo tantum ab Autore affirmari, ne Scriptura hypothesi ipsius contraria deprehendatur. Hæc ad argumenta *Dodwelli* dum respondet doctissimus Autor, non inelegantem de immaterialitate animæ affert demonstrationem, quam lectori non ingratham fore putamus. Desumitur tota a conscientia individuali, quam quod anima habeat, experientia singulis momentis confirmat, & hunc in modum concinnatur. Aut materia per naturam suam est sui conscia, aut non. Si est, cum sit divisibilis, quælibet particula erit sui conscia, adeoque systema

stema ex multis particulis compositum unam individua-
 conscientiam habere nequit, quod experientiae per modo dicta
 repugnat. Non igitur materia per naturam suam est sui con-
 scientia. Ponamus ergo, quod Deus particulis unitis conscientiam
 sui superaddat. Cum particulæ illæ sint entia semper realiter
 & necessario distincta, subjectum esse nequeunt, cui individua-
 lis conscientia inhæret. Hæc igitur superaddenda per rei ali-
 cujus additionem, quæ individualis conscientiae capax. Ani-
 ma adeo, cujus vis cogitandi est conscientia individualis, materia-
 lis esse nequit, nempe nec substantia materialis, nec modificatio
 materiae. Cæterum malos quoque doctrinæ *Dodwellianæ* in actio-
 nes humanas enumerat influxus, quod nempe disceptationes
 novas excitet, mentes infirmas ac inconstantes dubiis & scrupulis
 repleat, & hominibus profanis nova argumenta topica,
 quibus doctrinas fundamentales omnium religionum tradu-
 cant, suppeditet.

*BIBLIA HEBRAICA, SECUNDUM ULTIMAM EDI-
 tionem Jos. Athie, a Johanne Leusden recognitam,
 aliosque Codices optimos recensita, variisque Notis illu-
 strata ab EVERARDO van der HOOGHT,
 V. D. M.*

Amstel. & Ultraj. ediderunt Boom, Waesberge, Goethals, Borstius,
 Wolters, Halma, van de Water, & Broedelet, 1705, in 8. maj.

Constat Alph. 4.

Cum omni ævo Viri & pii & eruditi non defuerint, qui, ut
 sanctis Veteris Instrumenti tabulis illibata sua constaret in-
 tegrilas, nulli vel labori vel sumptibus pepercerunt, rem adpri-
 me gratam, *Φιλεβραίοις* maxime, se facturum esse existi-
 mavit Cl. *van der Hooght*, si, quod industriæ Amstelæda-
 mensis & Ultrajectinæ Societatis Bibliopolæ, quorum nomina
 hic designantur, enixe ab eodem expetiverunt, nova hæc Bi-
 bliorum Ebraicorum editio sub ipsis novi hujus Seculi incuna-
 bulis, sua potissimum manu obstetricante, in publicum prodi-
 ret,

ret. Ut vero, quid in elegantissima hac Editione, quæ Athianis, quoad paginas, ob majorum licet characterum & chartæ formam augustiorem paulo ampliores, lineas item, notas Ebraicas, Parschijoth, Haptharoth, librorum ordinem, paginarum titulos, capitum & omnium versiculorum assignationes exacte respondet, præstiterit Cl. Editor, Lectori quodammodo constet, operæ erit pretium, ut optimi instituti rationes ipsius Editoris ductu breviter hoc loco exponamus. Quod itaque ad lemmata sive capitum argumenta attinet, lubens fatetur quod ob collationem inprimis & censuram correctiorum Codicum, prelo jam sudante, nova ipsemet conscribere non potuerit, sed in Pentateuco ubi Athiana, in reliquis vero Scripturæ libris Leusdeniana, argumento tantum Cap. XXIX Proverb. immutato, retinuerit. Ne vero cæteroquin temere quid neglexisse aut arduis istis semel in se susceptis partibus ullibi defuisse videretur, omnium foliorum, postquam a Judæo Correctore ad exemplar, quod tertiæ & novæ editioni Leusdenius concinnaverat, vice triplici singula revisa fuissent, scrutinium instituit accuratissimum, hac equidem, quam ipse salubri consilio sibi præscripsit, methodo, ut primum cum Bibliis Stephani Parisiis annis 1539, 1540 &c. excusis, dehinc cum Veneta majori, quæ Bombergi est & Felicis Pratenfis exemplaria ad MStorum probatissimorum fidem exarata presse sequitur, ac cum ipsis denique Athianis A. 1667 editis, quo nec Typographus nec Corrector Judæus ipsum fallere posset, cura & studio indefesso sollicitè omnia conferret. His vero curis immerso cum plurimi errores atque menda, quæ & Stephani & Athianas Editiones, sive voces integras, sive literas, sive puncta Vocalium & Accentuum spectemus, multum inquinaverant, sponte se objicerent, omnes discrepantias in Codicibus Jos. Athiæ, Bombergi & Stephani obvias scriptis consignavit, Masorethisque, Lexicis, Grammaticis & duodecim maximi nominis editionibus, quas §. 17 & 23 Præf. exhibet, in consilium rite adhibitis, ita ad examen revocavit, ut cunctis difficultatibus demum sublatis, variantes alicujus momenti Editiones partim margini adscripserit, partim etiam calci totius Codicis

dicis subjunxerit. In Psalmodum libro (quod in reliquis quoque cum Bombergo Drusius præstitit) specimen dissensionum, quæ Ben Ascher & Ben Naphtali horumque asseclas, Judæos item Occidentales, sive Palæstinos, & Orientales, sive Babylonios intercedebant, nude, nulla vel censura vel judicio, cum provincia hæc nimis negotiosa sit, interposito, harum rerum cupidis Cl. Editor propinat. Post cujuslibet libri extremum, si quatuor priores Pentateuchi libros, qui in Præf. §. 30 seqq. enodantur, removeamus, versus summa, medius libri versus, Masoretharum capita, una cum eorundem symbolis & horum textibus, quos nemo hæcenus ubique designavit, idiomate & Rabbinico & Latino proponuntur, ac quoties pagellæ spatium permisit, plenius explicantur. Ad manifestissima Accentuum vitia, quæ in Athianis maxime turmatim deprehendisse se affirmat, medicam extendens manum, rationem Accentuum ex optimis cujusvis gentis morem eruditus §. 17 sequ. succincte tradit, & de *Paschta*, *Makkaph* atque *Metheg*, quod ultimum pro diversis Athianæ editionis de a. 1667 exemplaribus variis & diversis quoque fatis, quæ ipsum *Hooghtum*, cum Genesin adornaret, quod §. 18 non dissimulat, seduxerunt, circumactum est, lectu jucunda æque ac necessaria inculcat. Alia novæ hujus Bibliorum Hebraicorum editionis commendationi inservientia argumenta non pauca in medium proponi poterant, nisi in eruditissimo præfamine operi præmissis Editor Cl. otium nobis fecisset.

*NOTITIA MAJORUM, PLURIMAS LUBECENSIIUM
aliorumque clarorum Virorum Vitas comprehendens, quam
Filiis impertit JACOBUS a MELLE, Templi pri-
marii, Lubecensis Pastor.*

Lipsiæ, apud Jacobum Fritsch, 1707. 4. Plag. 19.

Jucundam esse atque utilem, imo & interdum necessariam, majorum, quibus quisque prognatus fuit, notitiam, probe secum perpendens Celeberrimus Mellenius, Filiorum suorum trigam felicissime adolescentem ignorare amplius gentis suæ historiam paulo accuratiorem & diffusiolem noluit, atq; adeo in eruditissimum hoc Schediasma collegit industria haud mediocri, quicquid ex dispersis hinc inde monumentis ad familiæ suæ memoriam con-

servandam indagare potuit. Qua opera ut isti decus ingens conciliavit, sic rem quoque una amplificavit & ornavit literariam, dum, præter vitæ propriæ recensum, aliquorum insuper eruditorum clarorumque Virorum vitam resque gestas ab interitu solerter vindicavit, cum ex materna maxime stirpe eorum haud unos in medium producere ipsi licuerit. Patris quidem majores singulos ex abstrusa antiquitate eruere se haud potuisse fatetur, familiæ tamen suæ cognomen a solo patrio, cui primam illa debet originem, adscitum fuisse nullus dubitat, ab oppido videlicet *Melle*, quod in Episcopatu Osnabrugensi ad Elsam flumen haud procul ipsa metropoli Osnabruga situm est. Ut vero, quinam heic redivivi veluti sistantur, Lectoribus constet, ex Eruditorum numero allegamus sequentes, ordine, quem Clarissimo Autori sectari placuit, retento: *Jacobum Stolterfohtum*, Ecclesiæ Lubecensis in primario B. Virginis Mariæ Templo Pastorem; *Johannem Kirchmannum*, ex Professore Rostochiensi Scholæ Lubecensis Rectorem; *Johannem Stolterfohtum*, Ecclesiæ Marianæ Pastorem Lubecensem; *Lucam Bacmeisterum*, Theologiæ Professore, Pastorem & Superintendentem Rostochiensem; *Jacobum Bordingum*, Professore Medicum Rostochiensem & Hafniensem, Regisque Daniæ Archiatrum; & quos occasione suavissimæ suæ conjugis, *Dorotheæ Pomariæ*, adjungit, *Samuelem Pomarium*, Superintendentem Lubecensem, atque *Jeremiam Reusnerum*, Jctum Wittebergensem. Horum vitam, liberos, scripta, fata, & quòdcunque modo ad eos spectare visum est, cum cura recensuit. Sed & præterea familiarum Lubecæ spectatissimarum: *Luneburgiana*, *Warendorpiana*, *Crispinorum*, *Morneweckiana*, *Schepenstedtiana*, *Morkerkiana*, *Bremiana*, *Westfabliana*, *Attendorniana*, meminit, & notatu de iisdem digniora varia inde ab aliquot seculis repetita & documentis authenticis illustrata exhibuit.

ASTRONOMIÆ COMETICÆ SYNOPSIS, AUTORE EDMUNDO HALLEJO apud Oxonienses Geometria Professore Saviliano & Reg. Soc. S. ex Transf. Anglic. A. 1705 Num. 297 p. 1882 & seqq. huc in compendio translata, retentis fere ubique ipsius Autoris verbis.

Methodum Newtonianam Orbitas Cometarum Geometricè construendi, in *Princip. Philos. Nat.* propositam & a Gregorio
in

in *Elem. Astr.* clarius explicatam calculo Arithmetico accommo-
davit *Hallejus* ita, ut ope solius Tabulæ generalis insequentis,
quam immensi pene calculi fructum prædicat, omnia de motu
Cometarum hætenus observata accuratissime repræsentare li-
ceat. Ad illius constructionem sequenti modo pervenit. Af-
sumit, Cometas in Orbibus Parabolicis Solem in Foco situm,
ea lege ambire, ut areæ æquales æqualibus temporibus descri-
bantur. Quoniam vero Parabolæ omnes inter se similes
sunt, si determinata aliqua pars Areæ datæ Parabolæ dividatur
in partes quotlibet; in omnibus Parabolis fiet similis divisio sub
iisdem angulis, atque distantia erunt proportionales. Unde,
unam Tabulam pro Cometis omnibus sufficere concludit.
Sit jam (Fig. 3) S Sol, P O C orbita Cometæ, P Perihelion; TAB. IV.
O locus, ubi Cometa Quadrante distat a Perihelio, C locus Fig. 3.
quivis alius. Junge CP, CS; ac fiant ST, SR æquales ipsi
CS, ac ductis rectis CR, CT (quarum hæc Curvæ Tangens est,
illa perpendicularis) in axem P SR demitte normalem CQ.
Jam data quavis Area COPS, oportet angulum CSP & distan-
tiam CS inquirere. Quoniam ob naturam Parabolæ recta
RQ ubique æqualis est semilateri recto, ponatur latus rectum
 $=2$, adeoque $RQ=1$; ac sit recta $CQ=Z$: erit itaque
 $PQ=\frac{1}{2}Z^2$, Segmentum Parabolicum $COP=\frac{1}{12}Z^3$, Triangu-
lum $CSP=\frac{1}{4}Z$, adeoque area mixtilinea COPS $\frac{1}{12}Z^3+\frac{1}{4}Z$
 $=a$, ac $Z^3+3Z=12a$: ex qua æquatione valor ipsius Z inno-
tescit. Sit jam area OPS in partes centenas dividenda: hæc
area duodecima pars est quadrati lateris recti, adeoque $12a$ æ-
quantur quadrato illi $=4$: si itaque successive extrahantur ra-
dices æquationum $Z^3+3Z=0, 04: 0, 08: 0, 12: 0, 16$ &c.
habebuntur totidem Z seu ordinatæ CQ respectivæ ac divisa
erit SOP in partes centenas. Eodem modo ultra locum O
continuandus est calculus. Radix autem hujus æquationis,
cum RQ sit $=1$, Tangens est Tabularis anguli CRQ sive dimi-
dii anguli CSP, adeoque angulus CSP datur. Ejusdemque
anguli CRQ secans RC media proportionalis est inter RQ sive
 1 & RT duplām ipsius SC. Quodsi SP ponatur 1 , adeoque la-
tus rectum 4 , ut in Tabula, ipsa RT erit distantia quæsitā, du-
plum scilicet ipsius SC in priore Parabola.

Modum supputandi ex Tabula sic constructa locum Cometæ visum exhibiturus, ex *Newtoni Princip. Phil. Nat.* supponit, Cometæ in Parabola moventis velocitatem ubique esse ad velocitatem Planetæ gyrantis in circulo circa Solem ad eandem a Sole distantiam ut $\sqrt{2}$ ad 1. Si itaque Cometa in Perihelio ad distantiam æqualem distantiaæ Terræ a Sole supponatur, erit area diurna a Cometa descripta ad aream Terræ ut $\sqrt{2}$ ad 1, ac proinde tempus annum ad tempus, quo Cometa describeret quadrantem orbitæ suæ a Perihelio ut 3.14159 &c. (h. e. area circuli) ad $\sqrt{\frac{8}{9}}$. Cometa igitur describeret quadrantem illum diebus 109. 14 h. 46, adeoque area illa Parabolica area POS analoga in centum particulas distributa, singulis diebus competunt 0,912280: cujus Logarithmus 9,960128 in perpetuum usum servandus. Tempora autem, quibus Cometa in distantia majore vel minore Quadrantes similes describeret, esse supponit, ut revolutiones in circulis, h. e. in sesquialtera ratione distantiarum, adeoque areas diurnas in partibus centesimis Quadrantis æstimatas (quas medii motus mensuras instar graduum ponit) esse in singulis in subsesquialtera ratione distantiaæ Periheliaæ a Sole.

Locum itaque Cometæ visum ad datum tempus supputaturus quærat 1. locum \odot ab æquinoctio & Logarithmum distantiaæ ejus a Terra: 2. capiat intervallum inter tempus Perihelii & tempus datum in diebus & partibus diei decimalibus, & ejus Logarithmo addat Logarithmum constantem 9,960128 cum complemento Arithmetico sesquialterius Logarithmi distantiaæ Periheliaæ a Sole; summa erit Logarithmus motus medii: 3. cum quo ex Tabula excerpit angulum a Perihelio & Logarithmum distantiaæ a Sole, ac illum in Cometis *directis* addat, in *retrogradis* subtrahat loco Perihelii, si tempus fuerit post Perihelium, vel contra, si fuerit ante Perihelium, ut habeatur locus Cometæ in orbita; hunc vero addat Logarithmo distantiaæ Periheliaæ, ut prodeat Logarithmus distantiaæ veræ Cometæ a Sole. 4. Cum loco Cometæ in orbita, dato loco Nodi capiat distantiam Cometæ a Nodo, ac data inclinatione plani per Trigonometriam eliciat locum ad Eclipticam reductum cum Inclinatione s. latitudine Heliocentrica, ac distantiaæ curtataæ

Loga-

hmmum. 5. Ex quibus datis eodem modo eruat locum visum cum latitudi-
vifa, quo Planetarum loca ex dato loco & distantia Solis computantur.

Exemplum.

Cometæ A. 1683 d. 23 Jul. 13h. 35' vel 13h. 40' T. æquat. hoc est
d. 10 h. 50' post Perihelium ad Merid. Londin. computatus.

Perib. 9.748343 Perihel. Π 25.29.30 Log. pro dist. 0.111336

esquialt. 9.622514 Ang. corresp. 56.47.20 Log. Perib. 9.748343

Arithm. 0.377486 Comet. in Orb. \vee 28.42.10 Co. Sin. Incl. 9.913187

9.960128 ϑ \mathcal{H} 23.23.00 Log. dist. Curt. 9.772866

Temp. 1.310723 Comet. a ϑ 35.19.10 Log. dist. \odot 0.006104

Med. Mol. 1.648337 Red. ad Eclip. 4.48.30 \odot Locus Ω 10.41.25

s. Motus. 44.498 Comet. Helioc. \mathcal{H} 28.11.30 Com. Visus \ominus 5.11.50

Incl. Bor. 35.2.00 Lat. Bor. 28.52.00

observatus erat \ominus 5. 11. 30, Latitudo observata Borealis 28 52.

Cæterum monet, Cometam anni 1680, qui Solem pene attigit, Tabula
haud coerceri potuisse ob immanem motus medii velocitatem cum
rectum admodum exiguum sit. Suadet itaque ex invento motu medio

variationis $Z^3 + 3Z = \frac{4}{100}$ Mol. med. Tangentem dimidii anguli a Peri-

licere una cum Logarithmo distantia a Sole.

Quamvis vero Cometarum orbes ut perfecte Parabolicos consi-
t; credibile tamen ipsi videtur, eos potius in Orbibus valde Ec-
circa Solem revolvi & post longissimas periodos reverti. Latus
rectum Ellipsis esse ad latus rectum Parabolæ eandem Periheliam
am habentis ut distantiam Apheliam in Ellipsi ad axem totum Ellip-
ocitates autem esse in dimidiata ratione eorundem, adeoque in
valde Eccentricis rationem hanc proxime ad rationem æqualita-
dere. Tantillam autem differentiam, quæ ratione majoris in Para-
ocitatis intercedat, facillime in situ Orbis determinando compensari.
n igitur hanc construxit, ut, si quando novus emerferit Cometa, col-
mentis dignoscere possimus, an sit aliquis ex antiquis, ac proinde
m orbitæque axem determinare reditumque prædicere. Ita Come-
i 1682 eundem esse judicat cum Cometa anno 1531 ab Appiano & 1607
& Longomontano observato, & anno 1758 rediturum.

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum
in Orbe Parabolico.

<i>Medius motus.</i>	<i>Angulus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>	<i>Medius motus.</i>	<i>Angulus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>
o	gr. ' "		o	gr. ' "	
1	1. 31. 40	o. 000077	31	42. 55. 07	o. 062400
2	3. 3. 15	o. 000309	32	44. 3. 16	o. 065835
3	4. 34. 43	o. 000694	33	45. 10. 26	o. 069316
4	6. 6. 0	o. 001231	34	46. 16. 35	o. 072839
5	7. 37. 1	o. 001921	35	47. 21. 36	o. 076396
6	9. 7. 44	o. 002759	36	48. 25. 33	o. 079984
7	10. 38. 2	o. 003745	37	49. 28. 29	o. 083604
8	12. 7. 53	o. 004876	38	50. 30. 23	o. 087249
9	13. 37. 17	o. 006151	39	51. 31. 11	o. 090912
10	15. 6. 6	o. 007564	40	52. 30. 54	o. 094594
11	16. 34. 20	o. 009115	41	53. 29. 42	o. 098298
12	18. 1. 54	o. 010798	42	54. 27. 32	o. 102019
13	19. 28. 47	o. 012609	43	55. 24. 22	o. 105752
14	20. 54. 53	o. 014550	44	56. 20. 11	o. 109490
15	22. 20. 14	o. 016607	45	57. 15. 5	c. 113240
16	23. 44. 43	o. 018783	46	58. 9. 2	o. 116995
17	25. 8. 22	o. 021072	47	59. 2. 5	o. 120756
18	26. 31. 7	o. 023470	48	59. 54. 13	o. 124518
19	27. 52. 55	o. 025969	49	60. 45. 26	o. 128278
20	29. 13. 52	o. 028551	50	61. 35. 45	o. 132035
21	30. 33. 39	o. 031263	51	62. 25. 14	o. 135792
22	31. 52. 31	o. 034045	52	63. 13. 50	o. 139541
23	33. 10. 23	o. 036916	53	64. 1. 38	o. 143288
24	34. 27. 12	o. 039864	54	64. 48. 38	o. 147029
25	35. 42. 59	o. 042892	55	65. 34. 50	o. 150762
26	36. 57. 41	o. 045989	56	66. 20. 14	o. 154482
27	38. 11. 20	o. 049154	57	67. 04. 51	o. 158192
28	39. 23. 56	o. 052383	58	67. 48. 22	o. 161890
29	40. 35. 26	o. 055668	59	68. 31. 51	o. 165578
30	41. 45. 50	o. 059010	60	69. 14. 16	o. 169254

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in Orbe Parabolico.

<i>Medius motus.</i>	<i>Angelus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>	<i>Medius motus.</i>	<i>Angelus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>
o	gr. ' "		o	gr. ' "	
91	86. 20. 34	o. 172914	91	86. 20. 34	o. 274176
92	86. 46. 20	o. 176557	92	86. 46. 20	o. 277239
93	87. 11. 43	o. 180188	93	87. 11. 43	o. 280284
94	87. 36. 45	o. 183803	94	87. 36. 45	o. 283306
95	88. 01. 27	o. 187404	95	88. 01. 27	o. 286308
96	88. 25. 49	o. 190978	96	88. 25. 49	o. 289293
97	88. 49. 48	o. 194540	97	88. 49. 48	o. 292252
98	89. 13. 32	o. 198085	98	89. 13. 32	o. 295201
99	89. 36. 54	o. 201614	99	89. 36. 54	o. 298122
100	90. 00. 00	o. 205122	100	90. 00. 00	o. 301030
102	90. 45. 14	o. 208612	102	90. 45. 14	o. 306782
104	91. 29. 18	o. 212080	104	91. 29. 18	o. 312469
106	92. 12. 14	o. 215529	106	92. 12. 14	o. 318060
108	92. 54. 4	o. 218963	108	92. 54. 4	o. 323587
110	93. 34. 52	o. 222378	110	93. 34. 52	o. 329042
112	94. 14. 40	o. 225769	112	94. 14. 40	o. 334424
114	94. 53. 30	o. 229142	114	94. 53. 30	o. 339736
116	95. 31. 22	o. 232488	116	95. 31. 22	o. 344979
118	96. 8. 22	o. 235809	118	96. 8. 22	o. 350153
120	96. 44. 30	o. 239127	120	96. 44. 30	o. 355262
122	97. 19. 48	o. 242416	122	97. 19. 48	o. 360306
124	97. 54. 17	o. 245684	124	97. 54. 17	o. 365284
126	98. 28. 00	o. 248933	126	98. 28. 00	o. 370200
128	99. 00. 57	o. 252159	128	99. 00. 57	o. 375052
130	99. 33. 11	o. 255366	130	99. 33. 11	o. 379842
132	100. 4. 43	o. 258552	132	100. 4. 43	o. 384576
134	100. 35. 45	o. 261720	134	100. 35. 45	o. 389252
136	101. 5. 48	o. 264865	136	101. 5. 48	o. 393868
138	101. 35. 22	o. 267989	138	101. 35. 22	o. 398428
140	102. 4. 19	o. 271092	140	102. 4. 19	o. 402930

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in
Orbe Parabolico.

<i>Medius motus.</i>	<i>Angelus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>	<i>Medius motus.</i>	<i>Angelus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>
o	gr. ' "		o	gr. ' "	
142	102. 32.41	o. 407380	204	113. 37.25	o. 523456
144	103. 00.31	o. 411784	208	114. 9.52	o. 529751
146	103. 27.47	o. 416132	212	114. 41.23	o. 535881
148	103. 54.31	o. 420430	216	115. 12.02	o. 541958
150	104. 20.43	o. 424676	220	115. 41.51	o. 547922
152	104. 46.22	o. 428866	224	116. 10.52	o. 553782
154	105. 11.33	o. 433012	228	116. 39. 7	o. 559538
156	105. 36.16	o. 437110	232	117. 6.38	o. 565199
158	106. 00.32	o. 441164	236	117. 33.27	o. 570762
160	106. 24.23	o. 445178	240	117. 59.35	o. 576233
162	106. 47.47	o. 449144	244	118. 25. 5	o. 581616
164	107. 10.44	o. 453060	248	118. 49.57	o. 586912
166	107. 33.17	o. 456936	252	119. 14.14	o. 592122
168	107. 55.27	o. 460772	256	119. 37.56	o. 597252
170	108. 17.14	o. 464208	260	120. 1. 6	o. 502301
172	108. 38.37	o. 468318	264	120. 23.44	o. 507274
174	108. 59.39	o. 472030	268	120. 45.52	o. 612174
176	109. 20.20	o. 475705	272	121. 7.30	o. 616998
178	109. 40.40	o. 479340	276	121. 28.39	o. 621754
180	110. 00.40	o. 482937	280	121. 49.22	o. 626438
182	110. 20.20	o. 486498	284	122. 9.38	o. 531056
184	110. 39.41	o. 490022	288	122. 29.28	o. 635608
186	110. 58.44	o. 493512	292	122. 48.54	o. 640098
188	111. 17.28	o. 496965	296	123. 7.57	o. 644525
190	111. 35.55	o. 500384	300	123. 26.36	o. 648893
192	111. 54.05	o. 503769	310	124. 11.40	o. 659559
194	112. 11.58	o. 507121	320	124. 54.36	o. 669880
196	112. 29.34	o. 510441	330	125. 35.34	o. 679876
198	112. 46.55	o. 513729	340	126. 14.44	o. 689568
200	113. 4.00	o. 516984	350	126. 52.12	o. 698970

Tabula Generalis pro supputando Motu Cometarum in Orbe Parabolico.

<i>Medius motus.</i>	<i>Angulus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>	<i>Medius motus.</i>	<i>Angulus a perihelio.</i>	<i>Logarithmus pro distantia a Sole.</i>
o	gr. ' "		o	gr. ' "	
360	127. 28. 6	o. 708104	820	141. 49.24	o. 970836
370	128. 2.33	o. 716976	840	142. 10.00	o. 978397
380	128. 35.38	o. 725606	860	142. 29.56	o. 985771
390	129. 7.27	o. 734006	880	142. 49.10	o. 992970
400	129. 38. 4	o. 742186	900	143. 7.48	I. 000000
410	130. 7. 34	o. 750160	920	143. 25.51	I. 006871
420	130. 3. 2	o. 757930	940	143. 43.21	I. 013586
430	131. 3. 39	o. 765516	960	144. 00.18	I. 020155
440	131. 30. 12	o. 772918	980	144. 16.46	I. 026583
450	131. 55. 41	o. 780148	1000	144. 32.46	I. 032876
460	132. 20. 30	o. 787216	1500	149. 26. 8	I. 158188
470	132. 44.32	o. 794122	2000	152. 26.15	I. 246058
480	133. 7.50	o. 800882	2500	154. 32.20	I. 313703
490	133. 30.25	o. 807494	3000	156. 7.27	I. 368678
500	133. 52.20	o. 813969	3500	157. 22.49	I. 414974
520	134. 34.18	o. 826522	4000	158. 24.36	I. 454950
540	135. 14. 0	o. 838600	4500	159. 16.36	I. 490125
560	135. 51.28	o. 850187	5000	160. 1.12	I. 521521
580	136. 27. 6	o. 861359	5500	160. 40. 5	I. 549874
600	137. 00.57	o. 872155	6000	161. 14.24	I. 575718
620	137. 33.13	o. 882575	6500	161. 45.00	I. 599460
640	138. 3.58	o. 892649	7000	162. 12.34	I. 621417
660	138. 33.21	o. 902401	7500	162. 37.34	I. 641838
680	139. 1.29	o. 911866	8000	163. 00.23	I. 660922
700	139. 28.25	o. 921012	8500	163. 21.20	I. 678834
720	139. 54.16	o. 929907	9000	163. 40.42	I. 695708
740	140. 19. 5	o. 938549	9500	163. 58.38	I. 711662
760	140. 42.56	o. 946951	10000	164. 15.20	I. 726784
780	141. 05.55	o. 955124	50000	170. 52. 0	2. 197960
800	141. 28. 3	o. 963082	100000	172. 45.44	2. 399556

Cometarum omnium, hactenus rite observatorum, Motuum in Orbe Parabolico
Elementa Astronomica.

Comete Anni.	Nodus A- scend.	Inclin.Or- bitæ.	Perihelion in Orbe.	Perihelion in Ecliptica.	Latitudo Pe- riheli.	Diffantia Perihelia a Sole.	Log. dist. Perihelia a Sole.	Temp. equat. Periheli Londini.
	gr.	gr.	gr.	gr.	gr.			dieh.
1337	II 24.21.0	32. 11. 0	γ 7.59.0	γ 12.45.15	22. 40. 30 B	40666	609236	Junii 2. 6. 2
1472	κ 11.46.20	5. 20. 0	γ 15.33.30	γ 15.40.20	4. 25. 50 A	54273	734584	Feb. 28.22.23
1531	γ 19.25.0	17. 56. 0	κ 1.39.0	κ 0.48.15	17. 3. 05 B	56700	753583	Aug.24.21.18½
1532	II 20.27.0	32. 36. 0	σ 21. 7. 0	σ 16.59.40	15. 57. 00 B	50910	706803	Oct 19.22.12
1556	MP 25.42.0	32. 6.30	κ 8.50.0	κ 11. 0.00	31. 10. 20 B	46390	666424	Apr. 21. 20. 3
1577	ν 25.52.0	74. 32.45	σ 9.22.0	MP 7.53.00	69. 35. 20 A	18342	263447	Oct. 26. 18.45
1580	ν 18.57.20	64. 40. 0	σ 19. 5.50	σ 19.17.10	64. 40. 0 B	59628	775450	Nov.28. 15.00
1585	γ 7.42.30	6. 4. 0	ν 8.51.0	ν 8.59.10	2. 55. 25 A	109358	038850	Sept 27. 19.20
1590	MP 15.30.40	29. 40.40	κ 6.54.30	κ 2.55.50	22. 45. 50 A	57661	760882	Jan. 29. 3. 45
1596	κ 12.12.30	55. 12. 0	κ 18.16.0	κ 22.44.35	54. 44. 30 B	51293	710058	Julii 31.19. 55
1607	γ 20.21.0	17. 2. 0	κ 2.16.0	κ 1.29.40	16. 10. 5 B	58680	768490	Oct. 16. 3. 50
1618	II 16. 1. 0	37. 34. 0	ν 2.14.0	ν 6.10.00	35. 50. 0 A	37975	579498	Oct. 29.12.23
1652	II 28.10.0	79. 28. 0	ν 28.18.40	II 10.41.35	58. 14. 0 A	84750	928140	Nov. 2.15.40
1661	II 22.30.30	32. 35.50	σ 25.58.40	σ 21.37.30	17. 17. 0 B	44851	651772	Jan. 16.23.41
1664	II 21.14.0	21. 18.30	σ 10.41.25	σ 8.40.35	16. 1. 50 A	102575½	011044	Nov. 24.11.52
1665	κ 18.02.0	76. 05. 0	II 11.54.30	γ 24. 6.35	23. 8. 0 B	10649	027309	Apr. 14. 5.15½
1672	κ 27.30.30	83. 22.10	γ 16.59.30	σ 9.26.00	69. 27. 40 B	69739	843476	Feb. 20. 8.37
1677	κ 26.49.10	79. 03.15	σ 17.37.5	σ 16.21.05	75. 44. 10 B	28059	448072	Apr.26.00.37½
1680	κ 2. 2. 0	60. 56. 0	κ 22.39.30	κ 27.26.50	8. 11. 10 A	00612½	787106	Dec. 8.00. 6
1682	γ 21.16.30	17. 56. 0	κ 2.52.45	κ 2. 0.30	16. 59. 20 B	58328	765877	Sept. 4.07.39
1683	MP 23.23.0	83. 11. 0	II 25.29.30	σ 10.36.55	82. 52. 00 B	56020	748343	Julii 3. 2.50
1684	κ 28.15.0	65. 48.40	κ 28.52.0	κ 15.15.25	26. 35. 20 A	96015	982339	Majii 29.10.16
1686	κ 20.34.40	31. 21.40	II 17.00.30	II 16.24.00	31. 17. 35 B	32500	511883	Sept. 6.14.33
1698	κ 27.44.15	11. 46. 0	κ 00.51.15	κ 0.47.20	0. 38. 10 A	69129	839660	Oct. 8.16.57

CE
NE
EA

*EZECHIELIS SPANHEMII, LIBERI BARONIS ET
Legati Regii, Dissertationes de Præstantia & usu
Numismatum. Tomus I.*

Lond. impensis Rich. Smith. 1706. f.

Reliquis tribus Dissertationibus, quibus primum Volumen Operis divini, cujus recensendi mense Februario initium fecimus, absolvitur, ea continentur, quæ nummorum in Historia veteri commendant utilitatem. Earum priore, quæ septima est totius operis, quid Macedonicæ & Seleucidarum historiæ illi emolumentum afferant, ostenditur. Cumque de Macedonicis Regibus vix pauca in priori operis editione fuissent disputata, accuratior hic de successione eorundem disceptatio instituitur. Ubi ante omnia veterum scriptorum de ea dissensus, Thucydide præeunte, ita componitur, ut Macedonia in superiorem ac inferiorem olim divisa dicatur fuisse. In quorum ista fratres Temenidæ, seu Heraclidæ, Regnum primi occupaverint, a quibus Alexander, Perdicæ pater, & reliqui ejus majores pariter ac successores sint orti: in illa vero alii Reges regnare poterint iisdem temporibus, qui a scriptoribus sequiorum temporum cum inferioris Macedoniæ Regibus paulatim fuerint confusi, atque non unam Regum Macedonicorum seriem pepererint. Qua conjectura eruditis ex Thucydide observationibus firmata, Regum ante Philippum Alexandri parentem certam nullius, nisi Amyntæ prioris, qui sextus sit in illa serie, juxta Herodotum ac Justinum, & alterius Amyntæ, qui sit in illa serie decimus, in antiquo ære nobis superesse memoriam, contra Harduinum defenditur. Priorem Amyntæ nummum a Cl. Begero Vol. I. Thes. Brandeb. p. 63 jam editum averfa parte cancellum præ se ferre, Macedoniæ inferioris, h. e. maritimæ, symbolum. Ad hujus vero Amyntæ successorem Alexandrum, vulgo divitem, referri quidem ab Harduino Chronol. V. T. p. 148 nummum a Golzio adductum, altera parte laureatum Jovis caput, altera equum Thessalicum in quadro, cum legendis, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ exhibentem: sed cum ratione destitui, & ab ipso Golzio ad

Alexandrum, Philippi fratrem, patrum Alexandri M. eum referri. Similiter quem ad Perdiccam, prioris illius Alexandri successorem, nonnum in serie Macedonica, referat Harduinus, eum Golzium Perdiccæ Philippi, Patris Alexandri M. majori natu tribuere. Archelai, Perdiccæ illius prioris filii, nummos tres eidem commemorari Harduino: in quorum averfis notatus equus, cum Begero ad instructam ab hoc Rege primum omni bellico apparatu Macedoniam non posse referri dicitur, nisi nummos, quos ad antiquiores quosdam Reges pertinere Harduinus ait, figura in iis notata eadem Regum Archelao posteriorum esse, concedatur demonstrare. De nummis porro Amyntæ nomine notatis, cum diversæ in iis compareant facies, nec temporis nota ulla, certo, ad quem pertineant, non posse statui. Falsam vero Harduini legem esse, qua rejicit eos, atque ex illo censu tanquam spurios proscribit, in quibus pro AMYNTE, legatur AMYNTOY. Inde ad Philippi Macedonis & Alexandri M. nummos proceditur, in quibus splendidissimus ΒΑCΙΑΕΩΣ titulus, quem Harduinus ante Alexandri excessum in nummis haut obtinuisse putaverat, observatur; imo eum jam in antiquissimo Amyntæ prioris nummo littera Β notari, moneatur: juxta & certaminum in Alexandri honorem post fata ejus celebratorum memoria ex vetere ære renovatur. Inde Macedoniæ Regum post Alexandrum, Antigoni Gonatæ, Philippi ac Persei nummi exhibentur. De quorum Regum insignibus, cornu maxime, sequitur, quæ in priore quoque editione legitur, proluxior disceptatio, non illiberaliter passim locupletata. De Regum vero Seleucidarum serie quæ afferuntur, nova sunt maximam partem, in qua constituenda feliciter rem successuram fuisse Petavio atque aliis, si nummorum subsidio uti voluissent, demonstratur, ut qui omnes Seleucidas excepto Seleuco eo nomine quinto, ordine, addita temporum notatione, exhibeant: ut ex iis inprimis interpretari, supplere & emendare veterum scriptorum monumenta fas esse videatur. Quem laborem licet occupasse præstantissimo opere Cl. Vaillantius videatur, multa tamen sunt, quæ illustrissimo Autori post illam messem satis amplum spicilegium præbuere. Talia sunt, quod figuram

figuram stantem, barbatam, tunicatam, capite modio ac tutulo ornatam dextra tridentem tenentem in nummo Alexandri Zabinae, de qua haesitaverat Vaillantius, Oper. cit. p. 332, Serapidem omnino esse erudite ostendat: quod Josephi locum Antiquit. L. XIII. Cap. XXI Antiochi Cyziceni filium Antiochum, cum Antonino Pio jungentis, id quod crucem Petavio fixerat, sublata voce ANTONINOR sanet, qua eliminata ΑΥΤΙΟΧΟΣ ΕΥΣΕΒΗΣ superest, quod verum extitit ejus Regis cognomen; aliaque ejus commatis. Qualia adsperguntur quoque nonnulla, quae ista excipit, tractioni, de cognominibus Seleucidarum, quibus in priore editione fusa deducta subinde exornantur. Hinc Dissertatione octava de Parthorum Regum seu Arsacidarum nummis differitur, atque aliquot eorum antea inediti ex gazis Pembrocianis, Mediceis, & Regis Galliarum producuntur, in quibus cum obscura videri possint legenda unius, qui ab altera parte caput Arfacidae exhibet in Fig. 4 cum tiara & littera B, in altera Regem sedentem, cum figura stante & cingulum ei praebente, cumque litteris ΑΣΙΑ ΑΑ ΕΠΙΦ. quae explicare Vir summus non est dignatus, legenda esse putemus Βασιλέως (nempe B ex parte anteriore jungendum) Αρσάκης, (id enim, compendio scribendi facto, notatur litteris ΑΑ,) ΕΠΙΦανής. Inter insignia Parthorum, (de ceteris enim in priore editione actum etiam fuerat,) singularis est observatio de stella in Fig. 5. quae eum trahit Vir illustrissimus, quod fundator hujus imperii Arfaces in numerum Deorum fuerit relatus, unde subsecuti Arfacidae *participes siderum, fratres Solis & Lunae* appellari voluerint, quod constat ex Ammiano XVII, 5 & XXIII, 6. De titulis eorum agens, antea dictis, de ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ καὶ ΕΠΙΦΑΝΗΣ, καὶ ΔΙΚΑΙΣ cognominibus, in nummis tribuere eis solitis, nonnulla addidit. De Tigranis inde Armeniorum Regis, Seleucidarum & Arsacidarum rebus immixti, nummis peculiari opera agit; ut & de nummis Cappadoeciae Regum Ariarathae, Ariobarzani & Archelai, quorum omnium pauca in pristino opere attigerat: illi vero tractationi de Διλορωμαίς appellatione, quam ii sibi Reges vendicaverant,

TAB. IV.
Fig. 4.

Fig. 5.

olim disputata inserit. Hinc de Ponti & Bithyniæ Regibus
 a Specim. p. 234 ex nummis agit, cumque de eorum æra Morelli, a) Vaillan-
 b not. ad Se- 234 tii, b) Harduini c) adtulisset sententias, atque explosisset, rem in
 guin. p. 396 medio relinquere videtur. Inde ad Bospori Reges delatus, de
 c Chronol. nova serie eorum, ex nummis maxime concinnanda, prout in
 V. T. p. 222. Academia Antiquitatum Parisiensi a J. Vaillantio proposita, &
 224. a Bernardo in Nova Reip. litterariæ relata fuit, nonnulla dif-
 ferit. Atque ante omnia quidem a Vaillantio expectare se ait
 M. Junio causam, cur eosdem Cotyos, Juinthymevi, & Rhescuporidis, &
 1703. quidem ut totidem Bospori Regum nummos ad Trajanum ac
 Hadrianum, signatamque in iis æram ad æram Bospori Regum
 nunc referat; quos tamen nummos velut totidem Thraciæ
 Regum; æram autem ad æram Thracum antiquissimam, in e-
 ditis ad Seguinum notis retulerit, idque eo magis, quod hæc
 æra maxime dissideat a signata in priorum Ponti & Bospori Re-
 gum nummis æra. Neque vero se nosse etiam ait, an alibi Rhes-
 cyporidis, qui Hadriani ævo: vel alterius sub Antonino Pio,
 aut tertii eodem sub Severo nomine, totidem Bospori, ut Va-
 illantius velit, Regum, facta occurrat mentio: cum alias sub
 Hadriano & Severo *Sauromata* in Bosporo Rex commemo-
 retur. Sequitur de Thraciæ Regibus diligentior disquisitio,
 ubi rursus de Vaillantii systemate, Reges quosdam Thraciæ in
 Bosporum relegantis, agitur. Pergameni proximi sunt, eaque
 occasione fuse de Eurypyli facie signato nummo & Pergami ur-
 bis conditore agitur: inde de Cariæ Dynastarum nummis cum
 Jove Labradensi seu militari: post de Judæorum Regibus Eth-
 narchis & Tetrarchis ex iisdem. Hic in Herodis M. Ethnar-
 chæ nummo, quod liliium phaseliticum interpretatus fuerat
 de Numm. Harduinus, id galea esse ostenditur cum cauda equina, addu-
 Herod. p. 4. 7. cto alio consimili, in quo clarius galea dignoscitur. Alius He-
 TAB. IV. rodus nummus cum ara accensa, Harduino indictus, in cujus
 Fig. 6. averfa galea sit, non apex sacerdotalis, ut visum quibusdam, cujus
 sit Herodis, non liquere satis, verosimile tamen esse, quod sit nepo-
 tis ex Aristobulo filio magni Herodis, de quo apud Josephum
 Fig. 7. Antiqu. XX, 1, qui Claudio imperante vixerit. In Agrippæ
 Junioris nummis spicis ab una, tabernaculo ab altera parte Ta-
 bernacu-

bernaculorum & Pentecostes festum notari, non Imperatoris munus, ut Harduinus voluerat, quale ei delatum esse nullis idoneis monumentis probari queat. De Abgaris proximo loco Edeffensorum Regibus nonnulla sequuntur, eorumque prænominibus, Romanis imprimis, eos in clientela Antoninorum fuisse testantibus. Mox de Numidiæ & Mauritanix, & inde de Sicilia Regibus, agmen denique claudentibus Gotthorum, Vandalorum aliarumque in partibus Europæ septentrionalibus gentium Principibus.

Quæ in priore opere non nisi paucissimis tractata fuerant, de illustrandis ex vetere ære urbium antiquitatibus, ea jam copiose atque luculenter tota Dissertatione nona tractantur. Hic primum de antiquis & oblivione plane sepultis urbium nominibus ex eo eruendis, quale *Patrarum* urbis, primæ quondam Achaicarum, cujus antiquius nomen *Aroes*, in solis nummis superstes. Succedunt conditores urbium & consecrati in iis Heroes. Inde de insignibus coloniarum agitur, quæ cum matribus urbibus ipsis communia, eas prodere soleant, ut Apolloniatarum nummi, cum iisdem prorsus typis, qui in Corcyræorum nummis occurrunt, affatim loquantur, Corcyram ab iis pro antiqua patria habitam fuisse. Hinc servata a Colonis in nummis Sacrorum atque Deorum, quos conditores ipsorum colerent, memoria ob oculos ponitur. Mox de Metropolitibus agitur & coloniarum ab iis propagatarum in nummis monumentis. qua occasione nummus Heracleotarum, in quo urbs illa ΜΑΤΡΟΣ ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΙΩΝ titulo honoratur, ab aliis quidem editus, prolixè illustratur, & de juribus ac privilegiis Metropoleon ratione coloniarum differitur. Porro de Metropolitibus provinciarum nonnulla adduntur, & primo quidem de Metropolitibus Imperio Romano nondum subiectis, quales Antiochia & Tyrus, quibus frequens est in nummis illius tituli honos, antequam Romani potestate in eas potirentur; tum secundo de Metropolitibus in orbe Romano constitutis: quales plures in una eademque provincia, temporis decursu, tum veteri urbium contentione, tum peculiari Imperatorum indulgentia constitutas esse observatur, idque exemplis Metropoleon Phœnicix, Palæstinæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Bithyniæ, Ponti,

TAB. IV.
Fig. 8.

Ponti, Mesopotamiæ, probatur. Et in Sicilia quidem præter Tarsum metropoleos jura Anazarbum consecutam fuisse, jam observatum esse Viris doctis, nec tamen Elagabali primum favore, ut visum Norisio, id quod probatur, producto ex cimeliis Vrenianis Caracallæ nummo, quem ut Elagabali non esse, sed Caracallæ constet, ejus typum in Fig. 8 exhibuimus. At nescimus, an capitis legenda eum nummum ad Caracallam referri patiantur: sic enim illa ΑΥΤ.Κ.Μ. ΑΥΓΕΟΥΗ... quæ manifeste suadent, non ad *Caracallam*, sed qui post Elagabalum imperavit, *Seuerum Alexandrum* hunc nummum referendum esse, atque adeo extritas litteras esse non quæ *Antonini*, sed quæ Alexandri nomen conficiant. Peculiaris autem de Proconsularis Asiæ Metropolitibus, & Imperat. Caracallæ ad eas rescripto apud Ulpian. Leg. IV. §. 5. D. de offic. Procons. tractatio instituitur. Illa *μητροπόλεως* dignitas titulo *πρώτης* in nummis passim signatur, cujus rei exempla in nummis Nicomediæ & Niceæ in Bithynia, Ephesi, Smyrnæ & Pergami in Proconsulari Asia, quæ *πρώται Ασίας* passim dicuntur; porro in nummis Tripolitarum in Phœnicia, Mitylenes & Sami in Asia proconsulari, eaque occasione de peculiari Smyrnæ primatu speciatim agitur, qui in maximo Caracallæ nummo hac inscriptione celebratur: *CMYRNAIΩN. ΠΡΩΤΩΝ. ΑCΙΑC. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CΕΒΑCΤΩΝ. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ.* Alium vero sensum titulum *πρώτης* in Macedonicis quibusdam nummis habere monetur: ea enim in IV Provinciis a Paulo Æmilio, victo Perseo, divisa, inde obtinuit, ut in Nummis *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ* non tantum, sed & *ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΑC* legeretur. In nummo vero Magnetum tanquam singulare annotatur, quod honori ea urbs sibi duxerit, vel septimo loco in urbibus Asiæ censeretur, cujus rei indicium in duobus Gordiani nummis ex thesauris Galliarum Regis in Fig. 9 & 10 exhibetur. Excipit illa de urbibus *ιεραῖς & ἀσύλοις*, quarum in nummis mentio, *διάσκεψις*. Inde *ἐλευθέρως & αὐτονόμως* tituli urbibus tributi explicantur. *Ναυαρχίδες* porro urbes in nummis non eæ esse contra

Fig. 9 & 10.

contra Vaillantium probantur, quæ primæ sint inter maritimas, ut idem sit urbs *ναυαρχίς* in littoralibus, quod *μητρόπολις* in mediterraneis. Nam multas ex maritimis & *μητροπόλεις* & *ναυαρχίδας* dici: sed eas, in quibus naves ad tutelam provinciae in statione essent, in quas imperium etiam talibus urbibus esset concessum. De magistratibus porro urbium, quorum in nummis est mentio, nonnulla annotantur. Et primo quidem de magistratu *ἀρχόντων*, eorumque collegio, quod *συναρχία* in iis dicatur passim: inde de *στρατηγοῖς* sive urbanis prætoribus; proximo loco de Prytanibus & *γραμματεῦσι*; postremo denique de Sophistis quibusdam sermo instituitur, a quibus gestorum magistratuum peculiaris existat in vetere ære mentio. Tales nummi producuntur a Polemone Smyrnæorum *στρατηγῶ* cusi, item alii, in quibus Attali, Procli, Ruffini, Vari *στρατηγίαι*, h. e. præturæ signantur. Postremo quid *ἐπιμεληταὶ* & *ἐπιστάται* sibi in veteribus nummis velint, exponitur, nempe *ἐπιμελητὰς* significare, quibus extraordinaria aliqua loci cujusvis vel oppidi cura sit demandata statuitur: *ἐπιστάτας*, quibus quæcunque cujusvis rei inspectio, esset concedita, unde addatur haut raro, cujus rei sint *ἐπιστάται*, quibus hic titulus tribuitur; ex. c. *ἐπιστάτης τεμένους* &c.

Atque hic quidem subsistit Opus multivaria doctrina refertissimum, lectu jucundissimum, usu maximum, hoc magis stupendum, quod ea ætate, eo vitæ genere, in medio aulae strepitu, inter publicorum negotiorum amplissimos cumulos, a Viro incomparabili huc usque deduci potuerit. Quod finem facientes optamus, hoc est, ne ad finem haut perductum opus, qua parte deficit, majus eruditis desiderium, quam qua spectatur, admirationem omnibus Apelleæ Veneris exemplo injiciat.

RATIOCINIORUM MECHANICORUM IN MEDICINA
Uſus vindicatus, per CHRISTIANUM
 STRÖM.

Lugduni Batavor. apud Andream Dyckhuysen, 1707, in 8.
 Plag. 4.

Ratiociniorum Mechanicorum in Medicina usum *Autor* vindicaturus, ante omnia eos ignorantiae arguit, qui Mechanicorum nomen fabris solummodo lignariis competere scribunt, quasi rerum Mathematicarum periti alios tali indigarent titulo, quam qui præter pondus, mensuram & numerum, quibus Numen Divinum cuncta constituit, cum in rebus corporeis, tum in corpore speciatim humano, nequaquam concipere valeant. Nec illorum æquiores censet causas, qui ex antiquitatis amore ratiocinia Mechanica unice averfantur, quod veterum Medicorum princeps, *Hippocrates* Thessalo filio in epistola quadam multum Geometriæ & numerorum scientiæ studium luculentissime commendaverit, veterumque Græcorum præcipua medendi ratio Mechanica extiterit. Recentiorum tamen scientiam Geometricam propter multa seculo elapso detecta nova perfectiorem expendens, quam Hippocratis, a Democrito haustam, ad Chemicos quosdam delabatur, qui scientiæ suæ autoritatem in theoria Medica adversus Mechanicos, in specie *Archibaldum Pitcarnium* & *Hermannum Boerhave*, omnibus tueri modis allaborant. Hos siquidem considerare jubet, quid ratiocinium Chemicum a Mechanico habeat diversi, dum Chémica non nisi ars sit, corporum naturalium compagem & texturam explicandi, explicatamque componendi. Chémiam quippe a Mechanicis neutiquam ex Medicina proscribi, sed ab his tantummodo exigi, ut ne Chémici sua ratiocinia, quamvis vere Mechanica, cum illis confundant, quæ machinæ nostræ organis sunt propria, eademque temere ad theoriam Medicam applicent instar eorum, qui cordis motum ab effervescentiis, muscutorum contractiones ab acidi & alcali conflictu, ciborum in ventriculo dissolutionem a liquore acri, aut fermentatione vera, humorum

humorum diversorum in glandulis diversis secretiones a fermentis olim derivarunt. *Robertum Boyle* itaque extollit, quod, licet ipse Chemicus præstantissimus, omnia tamen ad normam, non principiorum Chemicorum, sed legum Mechanicarum examinans exemplum reliquerit, in motuum machinæ nostræ explicatione unice ad principia Mechanica confugiendi, in casu vero, quo medicamentorum desideratur confectio, Chemicam consulendi. Et quamvis Mechanicorum nonnulli fortasse in ægrotis restituendis infeliciores fuerint, veriore nihilominus eorum cognitionem tanquam effectus hujus causam jure culpari, eo magis negat, quo plura sæpius obstacula intervenire possint, & quo minus ipsi soli excidere soleant scopo. Quinimo ad morbos oculorum, aurium, aliarumque partium provocat, Mechanicorum industria promptius, quam aliorum levatos, postquam varii generis lentes polire, tubos surdorum auribus aptare, atque adscititiis membris munia obire læsa docuerunt. Quodsi vero majora ab iis, qui naturæ se leges exactius scire gloriantur, quam ab aliis, postulentur, regerit Noster, quoad successum in agendo inter naturæ legum gnaros & ignaros vix multum haberi discriminis, ceu quod ex voluptate magis, quam utrique ex opere suo percipiunt, atque in agendo fiducia debeat aestimari. Tandem in eos, qui Mechanicorum ratiociniaque inconstantia proclamant, ac objecta eorundem mutabilia, multum invehitur, cum ratiocinia ideo vera esse non desinant, etiam si a prudenti Mechanico pro necessitate immutentur. Si quæ vero inter artis peritos diversitas reperitur, eam cum aliis rectis communem non vitio scientiæ, verum temporum & subditorum adscribit defectui, quo multæ machinæ nostræ proprietates latuerint, usque recentissimorum demum labore fuerint detectæ. Neque ullus dubitat, quin Medici posthac eadem industria in corporis nostri inquisitione pergentes, multa in nominis reprehensione digna sint deprehensuri. Causam interim eorum haud agit, qui scientiæ Mechanicæ prorsus ignari tam vulchro nomine velint superbire, hypotheses aut rectis hypothesium simulacra fingentes, quibus intricatissima quævis expedire se posse ignorantibus persuadent,

cum simplicissimorum nihilominus phænomenorum causas per mille deducant ambages. Ut character tamen innotescat, quo Mechanici ab hisce distinguendi veniant, Mechanicis adjudicat, causas rerum, non pro arbitrio, sed insuperabili quadam necessitate adsumere, easque non creare, sed creatas invenire, in extenso figuram, molem & motus velocitatem considerando, legesque itidem immutabiles experimento multiplici habere perspectas; in rebus autem magis arduis, ubi sibi ipsis non sufficiant, iudicium non minus suspendere, donec de certioribus constet, ac dubia pro certis nunquam venditare.

ANALECTA GÜSTROVIENSIA,

h. e.

*DE INCLYTA MECLENBURGENSIUM CIVITATE GÜSTROVIA Monumenta edita a FRIDERICO THOMAS, Gymnas. Güstrov.
b. t. Sub-Rectore.*

Güstrovix & Lipsix, sumptibus Joh. Henr. Ruswormii, 1706, 8.
Const. alph. i. plag. 2 $\frac{1}{2}$.

IN antiquitatibus versatissimus hujus libri Autor magno studio e variis editorum pariter ac ineditorum documentorum latebris conquirit, quæ ad notitiam antiquariam & literariam Güstrovix urbis faciunt, omniaque continuo rerum ac annorum nexu ita hic disposuit, ut parallelismus quidam Historix Meclenburgicæ inde appareat. Et ne quis forte de fide atque auctoritate dictorum dubitet, Clarissimus Vir neque auctores, quos in arduo hoc argumento tum ex domesticis, tum ex peregrinis consuluit, suo loco tacet, neque privata schediaasmata aliaque ex Archivo sibi communicata instrumenta & fragmenta diplomatum priscorum, quibus usus est, & quæ fidem rebus narratis abunde faciunt, dissimulat. Tribus autem periodis absolvit omnia, quæ ad notitiam rerum Güstroviensium faciunt; qua-

quarum prima agit de Güstrovix primordiis & de conditoribus, qui prima urbis hujus fundamenta jecerunt. Ubi equidem in primi qualiscunque fundatoris personam frustra inquiri arbitratur, ex ipsa tamen nominis impositione patere asserit, Güstroviam originem suam primam Slavis antiquis ac Venedis debere, cum ipsa appellatio Güstrovix aliarumque in illis terris urbium Slavismum redoleat. Quemadmodum enim in ipsa Sarmatia posteaquam a Slavis coepit inhabitari, frequens ea oppidorum remansit denominatio, quæ in *owa, owe, ow*, Slavico more terminatur, ut *Gracow, Warschow, Jaworow, Ostrow, Rostow, Zarnow, Grabow*, &c. ita nec apud nos (inquit Auctor p. 2) ejusmodi denominationis desunt vestigia, e. g. *Cracow, Tetrow, Malchow*, (olim *Malokowe*) *Buckow, Bützow, Grabow, Ilow, Güstrow*, &c. Imo ex Polonico seu Wendico idiomate, & ex vetere scribendi consuetudine, quam tabulæ & diplomata antiqua referunt, *Güzstrow* s. *Güzstraw* forsitan conflatum esse putat e composito *Guz-trawa*; *Guz* autem s. *Gus* gibbum, tuber seu tumulum, & *Trawa* gramen Polonico sermone denotat, quasi primis conditoribus hic locus ob gramineos colles arriisset, indeque appellandi ansam dedisset. Verum quemadmodum ejusmodi conjecturæ valde fallaces sunt, ita nec inde de antiquitate certa ac memoria urbis plura verisimiliter colligere licet, sed ex omnibus Annalium conditoribus patet, vix ulla de Güstrovix ante seculum XII aut nominis, aut memoriæ occurrere vestigia. Conversio autem Güstroviensium ad Christianismum plene ac proprie, eliminato paganismo, anno 1128 coepit, & ab Oriente pariter ac Occidente illuxit, quam non quidem ipse Episcopus & Pomeranorum Apostolus, Otto, suscepit, sed per suos in societatem itineris & operis Apostolici adscitos ministros, qui bini fuerunt sacerdotes, ad prædicandum baptizandumque ordinati, Siffridus alter (*Siegfried, Sievert*) alter Albinus nuncupati, peregit.

In secunda periodo rerum Güstroviensium Clarissimus Auctor agit de Güstrovix incrementis, ostenditque, excidium Slavorum Wendorumque exeunte seculo XII nova plerisque Civitatibus Meclenburgicis in Republica ac Politia dedisse incremen-

ta, novis ubique introductis statutis, juribus & privilegiis; insignem autem ac primariam Güstrovix instauracionem atque amplificationem anno 1219 sub Henrico Burevino II (qui speciatim tribus hanc urbem modis, nempe aula Principali, jure Civitatis Teutonicæ & basilica sacra ornavit) ac postea sub Principe Nicoloto I anno 1228 factam fuisse narrat, inter causas istius incrementi potissimum referens rem cerevisiarum & potum generosiorum, qui Güstrovix coquitur & vulgo *Knise-nak* (quod Slavico idiomate Domini potum ein *Herren-Bier* significat) appellatur.

Tertia periodus hujus historix complectitur Güstrovix ornamenta, quæ si non omnia, tamen vel maximam partem civitas Meclenburgensibus Ducibus debet, ex quo illi Principatu veteris Vandalix tandem potiti sunt. Inter cæteros autem Duces merito nominandus est Henricus Pacificus, quippe qui tota mente omnique studio in id incubuit, ut abolitis Pontificiorum dogmatibus Sacra in ecclesiis Meclenburgicis redderentur puriora & ad divinæ veritatis amussim exactiora. Hinc etiam accidit, ut Güstrovix sub ejus auspiciis anno 1533 negotium Reformationis Ecclesiasticæ non tantum feliciter cœperit, sed & postea, quicquid adhuc renati Evangelii cursum ex malitia cæcodæmonis & Canonicorum Güstroviensium renitentia sufflaminaret, sublatum fuerit. Non minus etiam inter ornamenta Güstrovix refertur ab Auctore emendatio judiciorum rerumque forensium, in quibus constituendis ac restaurandis Duces Meclenburgici maxime usi sunt opera Joh. Lucani, Jcti & Cancellarii, dum vivebat, longe celeberrimi. Inprimis vero Auctor ea ornamenta ac æterna in Rempubl. & Ecclesiam merita, quæ civitati huic & olim a Duce Ulrico, Nestore illo Germaniæ, concessa, & post eum a Gustavo Adolpho profecta sunt, verbis suis exprimere satisque laudare nequit; unde sub finem hujus periodi Joachimi Ottonis, Rectoris in Gymnasio Güstroviensi fidelissimi, Orationem Panegyricam de Fatis Güstrovix, anno 1701 habitam, subnectit, quæ superius dicta confirmat.

Coronidis loco adjectus est duplex Catalogus; alter Genealogicus est, & Sereniss. Ducum Meclenburgensium,
ex re-

ex Regia Obetritarum profapia descendendum seriem Genealogicam a Bilungo Rege, qui seculo X inclauit, ad nostra usque tempora velut in tabula repræsentat; alter autem est catalogus biographicus personarum, de Ecclesia & Politia Güstrovienfi a tempore auspicate Reformationis ad nostram usque ætatem præclare meritarum, qui in classem *Theologicam* ac *Politica*m ab Autore distribuitur.

GERHARDI NOODT, JCTI ET ANTECESSORIS, Observationum Libri duo, in quibus complura Juris Civilis aliorumque Veterum Scriptorum Loca aut illustrantur, aut emendantur.

Lugd. Batav. apud Fred. Haaring, 1706, 4.

Alph. 1. plag. 3.

Quantum Jurisprudencia civilis & literæ elegantiores sibi invicem lucis atque emendationis subinde afferant, legum & litterarum periti quotidie deprehendunt. Celeberrimus Antecessor Lugdunensis, *Gerhardus Noodt*, postquam Probabilium juris libros IV hujus rei testes jam A. 1691 edidit, superiore anno novis eam speciminibus comprobavit. Nos ut quatuor illos libros in Actis dicti anni, mense Junio, justo studio exhibuimus, ita ex duobus quoque his si nonnulla decerpamus, operæ facturi sumus pretium. Modestini locus in leg. penult. D. ad Legem Cornel. de Sicariis & Venef. non immerito in mendo cubare potest judicari, quod deportari solere dicantur, qui eadem sponte dolove malo admiserunt in honore aliquo positi, capite vero puniantur, qui secundo gradu sunt. Nam in secundo quoque qui sunt gradu, quidni in honore aliquo & ipsi positi dicantur? Emendat textum exigua mutatione, dum pro honore aliquo honore alto reponit: quemadmodum Marcianus l. 3. §. 5. D. ad L. Cornel. de Sicariis expresse estatur, *altiores deportari in insulam*. Notum est, quantas difficultates pepererit Criticis communis lectio legis 9. D. de Leg. Rhodia de jactu, secundum quam Eudæmon queritur, e in Italia naufragium passum in Cycladibus insulis a publicanis,

nis, vel ut alii vertunt, a servis publicis spoliatum esse, cum inter Italiam & dictas insulas immane intercedat intervallum. Quas non infeliciter superasse videtur Vir celeberrimus, quando Libro I. c. 13 ex Livio & Plinio conjicit, pro Italia substituendam esse *Æthalam*, probabilius sane, quam ante eum jam alii loco Italiæ Icariam legendam existimaverant. Ita l. 45. §. 5 feliciter emendat Libro II. c. 6 ac legendum monet: *vereor ne non possit*, ubi vulgares editiones habent *vereor ne possit*, plane contra sensum & mentem Ulpiani. Erudite etiam eodem Libro cap. 9 & 10 refutat Salmasium, qui circa *ἀντίχρησις* Jctos ignorantiae accusaverat, eorumque definitionem, qua mutuum pignoris usum hac voce exprimi contendunt, ex ipsis, quibus Salmasius eam impugnaverat, legibus tuetur egregie. Quomodo aliis locis juris civilis medelam aut lucem attulerit, prolixum nimis foret commemorare; singula fere capita specimina nova exhibent, quæ iis, qui amœnitates Jurisprudentiæ ex æquo æstimant, non poterunt non abunde satisfacere, eosque ad lectionem operis elegantissimi allicere.

LIBRI NOVI.

De veteribus Regum Francorum Diplomatum & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis Disceptatio II, ad R. P. D. Joannem Mabillonum, Mon. Ben. Auctore P. Barthol. Germon. S. J. Presb. Paris. apud Claud. Rigaud, 1706, 12.

Vindiciæ MS. Codicum a R. P. Barthol. Germon impugnantorum cum appendice, in quo S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obscurati & depravati illustrantur, & explicantur. Auctore P. Petro Coustant, Presb. & Monach. Ord. S. Bened. e Congr. S. Mauri. Par. apud Viduam Franc. Muguet, 1706, 8.

L' Histoire & la Religion des Juifs depuis Jesus Christ jusqu'à present, pour servir de suplement & de continuation a l' Histoire de Joseph. Par Ms. Basnage. Tomes V. A Rotterdam, chez Reinier Leers, 1707, 12.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DCC VII.

LA SAINTE BIBLE, &c.

h. e.

*BIBLIA SACRA, VETUS ET NOVUM TESTA-
mentum complexa, illustrata notis Theologicis & Criticis,
ad Versionem Ecclesiarum Reformatarum communem:
comparata cum textu originali, dictione etiam passim
emendata. Accedunt præfationes in singulos libros: &
duæ præfationes generales in Vetus & Novum Testamen-
tum. Studio DAVIDIS MARTINI, Ecclesiæ Wallonica,
quæ Trajecti ad Rhenum est, Pastoris.*

Tomi II.

Amstelæd. apud Henric. Desbordes & Socios, 1707, fol.

Alphab. 18, pl. 18, & Fig. æn. 6. ch. aug.

Versio Gallica Bibliorum Genevensis, a Roberto Oliveta-
no primum adornata & Neocomi anno 1535 edita, varia
fata subiit, ut magis magisque pura & ædificationi Re-
formatarum Ecclesiarum accommodata evaderet. Joannes Cal-
vinus, qui præfatione præmissa eam commendaverat, paulo
post, die diem docente, varios ejus emendare errores conatus fuit,
& linguæ quoque barbariem emollire, ut expedite magis legere-
tur ab omnibus, quod factum nova editione, A. 1553 Roberti Ste-
phani typis evulgata, & identidem repetita. Auctæ variæ illæ e-
ditiones notis fuerunt, quas paucas initio & versioni tantum il-
lustrandæ inservientes alleverant Olivetanus & Calvinus, plu-

Hh

res

res inde, qui sequentibus editionibus præfuere, ex Scriptis Calvinii adjecere, ea libertate, ut nulla editio alteri similis hac parte existeret, optimo tamen habito notarum delectu, si fides Richardo Simonio, in editione Henr. Stephani anni 1565. Hinc porro Cornelius Bertramus denuo reformandam hanc versionem putavit, socias manus ei commodantibus Theod. Beza, Rotano, Jaquemoto, & Goulartio, quem tamen plus quam par est Judæorum Grammaticorum præjudiciis deditum esse fuit observatum, cujus inde temporibus, nihil magnopere in versione Genevensi immutatum fuit, nisi quod voces exoletæ, quarum quotidie excrescere messis solet in illa linguæ Gallicæ inconstantia, identidem eliminarentur. Sane Samuelis Maresii, Theologi Groningensis, luculenta, imo splendida editio, ab Elzeviriis adornata Amstelædami A. 1669, in versione ipsa nihil mutavit, notas tamen amplissimas ex Diodati aliorumque Versionibus Genevensibus & recentioribus Theologis excerptas, non litterales tantum & Criticas, sed majorem partem Theologicas exhibet, in quibus ἀκριβειαν passim desiderabant doctiores. Ut mirum non sit doctissimum Martinum autoritate Synodi Ecclesiarum Walonicarum in Belgio de novo hoc campo decurrendum sibi duxisse. Ille, quantum ad versionem attinet, non tantum ut tersa magis ea existeret, passim effecit, verum etiam ubi phrasis Ebræa Græcave alium sensum suaderet, eum exhibuit. Notæ haut paulo magis Maresianis sunt castigatæ, ut ipsæ tamen etiam non semper inter istos limites se contineant, ut, phrasi scripturæ sufficienter explicata, sensum judicio lectoris, sine præjudicio eruendum, relinquunt, quin potius Theologicis dogmatibus, nonnunquam ex præjudiciis Ecclesiarum illarum stabiliendis, passim impendantur. Ut pauca

Genes. I, 2. speciminis loco attingamus, ad verba illa: Spiritus Dei movebatur super aquas, observat, *Ventum Dei*, h. e. magnum intelligi non posse, quoniam ventus sit aer agitated, aer autem die secunda demum sit conditus. Ideoque relinqui, ut vel potentia Dei, vel tertia Trinitatis persona intelligatur. Eodem loco vocem *balleines* retinuit, qua Ebræam תניינין ab Olivetano reddi ægre tulerat Simonius, subjecta tamen nota observavit,

omne

omne genus monstrorum marinorum ea voce comprehendi. Genes. cap. II. commate 6 cum Maresio negativam particulam in verbis *neque adscendit vapor* retinet, (quam tamen neque Ebraei codices neque versiones antiquae agnoscunt, neque adeo Olivetanus expresserat,) per ellipsin deesse eam particulam contendens, ut Psal. XXXV, 19. Proverb. XX, 3. Phrasin, ridicula quae visa fuerat in editione Maresiana Simonio, de Noë arca: *Tu la calfutreras de goudron*, retinere non dubitavit, repudiata meliore Olivetani & Calvinii: *Tu la poifferas de poix*. Phrasin, qua dicitur *Deus indurare Pharaonem*, explicat de non concessa gratia ad cognoscendum Deum, & miraculis, magis furorem Pharaonis exacerbantibus. Non absimilis nota est ad Actus Apostolicos, qua explicat verba, quibus credidisse dicuntur ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι, ubi retinuit versionem antiquam: *tous ceux qui étoient ordonnés à la vie éternelle*, quod commodius forte verti notat: *enrollés pour la vie éternelle*, hisque verbis decretum electionis innui docet, quod directe vitam æternam spectare inde sit manifestum, atque adeo electos vita æterna excidere, atque perire haut posse. Sed & voces passim hypothesebus suis præter usum accommodat, quemadmodum in epistola ad Romanos vocem προγινώσκειν non de *præscientia* explicari patitur, sed de *prædilectione*, quæ fundamentum sit electionis. Taceo alia ejus generis infinita. Ceterum, quandoque Codicum diversitates observare non veretur. Neque enim omissam in haut paucis adulteræ historiam Joannis VIII, dissimulat, neque testimonium trium testium in cœlis I Joh. V, 8. In illustranda tamen novis observationibus vi & proprietate phrasium sacrarum rarior est, & non nisi ubi summa urgere necessitas videretur, & fere invitatus, a versione priore discedere audet, licet haut paulo plus luminis exigua mutatione quandoque sensibus sacris affundi potuisset.

Gen. VI, 14.

Exod. IV, 21.

Act. XIII, 48

VIII, 28.

RELATION DE CE QUI S' EST PASSE' DANS
l' Affaire de la Paix de l' Eglise sous le Pape
Clement IX.

i. e.

*NARRATIO EORUM, QUÆ AD PACEM EC-
clesiæ sancitam sub Clemente IX spectant; una cum epi-
stolis, actis, publicis & monumentis aliis huc perti-
nentibus. Tomi II.*

Anno 1706, in 12.

Alph. 2. plag. 5.

Quam in Actis A. 1701 p. 289 recensuimus, Historia Jansenismi generalis non minori accuratione & studio continuata præfenti libro cernitur, quo pax inter Jansenii defensores & Romanam Curiam A. 1669 constituta describitur; ad hanc enim Janseniani, quoties recentioribus Pontificum Decretis urgentur, iterum iterumque provocant, adversariis eorum, atque inter alia D. du Mas, auctore Historiæ V Propositionum, & Archiepiscopo Cameracensi acriter contranitentibus. Atque contra hos quidem Præfatio prolixa potissimum pugnat, multisque argumentis probat, Episcopos Gallos Jansenio faventes, qui ea tempestate concordiam cum Pontifice inierunt, non malis artibus usos esse, aut sententiam suam dissimulasse, vel Pontifici vagis locutionibus palpum obtrufisse, huic etiam de tota re satis superque constitisse, neque præcipitanter vel imprudenter Episcopos Gallicanos ab eo in amicitiam receptos esse, id quod plurimis hinc inde petitis argumentationibus semel iterumque inculcatur, & Cameracensi præsertim Præsuli, quod Episcopos vitæ sanctimonia clarissimos fraudis arguere veritus non sit, exprobratur.

Tomus prior, cui etiam *Relationis primæ* titulus datur, repetit in primordio, quod post imperatam ab Alexandro VII Pontifice subscriptionem formulæ, qua Jansenii Augustinus condemnatur, Episcopi quatuor, Aletensis, Apamiensis, Bellovacensis

vacensis & Andegavensis, omnes fama probitatis excellentes (quorum primus etiam Sancti elogio inter vivos exornatus,) Mandata Diocesana publicaverint, quibus factum a jure discernentes, non aliud quid quam reverentiam facto a Pontifice definito deberi, fidem vero in tali casu imperari non posse docuerant. Pontifex, impellentibus Jesuitis, ad condemnandos hos Episcopos alios quosdam judices constituerat, idque Decretum, post Alexandri VII obitum confirmaverat Clemens IX, adeoque res jamjam in nervum erumpere videbatur. At Episcopi quidam extra litem positi, qui idem sentiebant, sed modestius in condemnationis negotio se gesserant, cum primis Senonensis, Meldensis & Cabillonensis, causam auctoritatis Episcopalis agi credentes, Epistolam gravem admodum ad Regem & Pontificem conscribebant, qua litem quatuor istis intentatam aboleri petebant. Hanc Epistolam XIX Episcopi fama & meritis florentes subscriptione nominum roboraverant; at Jesuitarum artibus factum est, ut a Rege non rejicerentur solum literæ, sed Parlamenti etiam censura impeterentur, qui tamen ardor paulo post, Senonensi Præsule & Cabillonensi prudenter resistentibus, deferbuit.

Dum hæc ita evenirent, Bargellinus, Nuntius Papæ, Parisios appellebat, vir moderatus, & ad componendam litem tam ut proclivis animo, ita ab Administris Curia Romanæ instructus; hujus ope ad pacem procurandam usus est Senonensis Præsul, amicitiaæ fœdere cum eodem prius sancito. Misere erant ad eundem Legatum Bullæ Romanæ, quibus Ritualis Liber Episcopi Aletensis & Novi Testamenti Translatio, Monumentis Hannoniæ typis exscripta, condemnabantur; at ille periculi se passus est, ut utramque in scriniis asservaret, a promulgatione sibi temperaret. Hæc summa primæ Relationis, quam Auctor non exiguam copiam Epistolarum aliorumque scriptorum notatu dignissimorum contulit, e quibus nervus controversiæ quam accuratissime cognosci possit, v. gr. XIX Episcoporum querulas ad Papam literas, p. 40, sequ. IV Episcoporum ad eundem querelam, p. 57, sequ. A. Arnaldi scitissimam epistolam ad Regem contra criminationem Præsulis Eburodunensis,

nensis, p. 255, quam ingeniiis aulicis apprime placuisse, atque inter edecumata specimina eloquentiæ prudentioris relatam esse legimus. Additur Tomo huic fasciculus similium schedarum, maximam partem contra potestatem Pontificis nimiam, scriptarum, inter quas ultimo loco legitur Episcopi Pontiopolitani Epistola ad Cameracensem Archiepiscopum, excusans XIX Episcopos, ex quorum numero solus ille superest, & Cameracensem serio reprehendens, quod novum Ecclesiæ jugum recentioribus libris suis obtrudat, dum Pontificis circa facta nova, quæ ad doctrinam reduci possunt, decreta fide divina accipienda atque colenda esse, propugnat.

Sunt alia notatu non indigna, quæ in priori hac Parte sparsa leguntur, quorum nonnulla enotabimus. Quid litis Episcopo Apamensi cum Jesuitis de absolutione peccatorum, scelerum licentia abutentium, fuerit, enarratur p. 207 seq. Cum primis vero historia Translationis Novi Testamenti, quæ a loco editionis Montensis dicitur, p. 226 seqq. copiose perquam exposita legitur; quantum laboris ac curæ iteratis in eam operis sit impensum ab Arnaldo, Sacio aliisque; quo pacto Amelotius suam Translationem, quam a Clero Gallicano imperatam sibi ferebat, editurus, (cum plagio literario multa, ut hic quidem pronuntiatur, e Montensi Translatione surripuisset) & privilegii Regii impetrationem & editionem ejus Parisiensem impedierit; qua ratione Sacius carceri adductus fuerit, Præsulesque Parisiensis & Eburodunensis Translationem Montensem editis stylitevticis literis proscripserint. Nervum Epistolæ Pastoralis, qua Aletensis Episcopus respondere ad condemnationem Libri sui Ritualis machinabatur, p. 302 seq. formulis non adeo Pontifici Romano æquis expositum legimus: cujus generis formulæ de immensa Jesuitarum in Pontificem ipsum potentia etiam p. 313 leguntur.

Altera Pars Historiæ pacis Jansenianæ sequentia enarrat. Qui curam ineundæ pacis susceperant, Præsules tandem iniere consilium, ut quatuor Episcopi Romæ exosi, sepositis Mandatis Diocesanis, iterum subscriptionem formulæ a Pontifice imperatæ in Diocesisibus suis procurarent, præmissa privata confi-

gnatio-

gnatione eorum, quæ in Mandatis istis publice dixerant. Id primum Aletensi Episcopo parum probabatur, metuenti cum primis, ne ad alia & majora adigerentur; tandem, positis aliquot conditionibus, consensit, atque una cum illo tres focii, quippe qui illi tantum non omnia deferebant. Eundem Præfulem, ut Lutetiam veniret, monebat Arnaldus, maximam in ejus præsentia spem ponens; at ille multis de causis iter hoc recusavit. Interea Jesuitæ omnem movebant lapidem, ut constituti judices causam IV Episcoporum disceptarent, quorum plerique ea de causa Lutetiæ jam hærebant. Rei vero Circularem Epistolam notatu dignissimam edebant, judicium illud prorsus detrectantes, quam Jesuitæ, opitulante Tellerio, Cancellario, condemnandam auctoritate Regia curabant. Interea Præsules pacis pararii, Nuntio Pontificis consentiente, literas ab A. Arnaldo conscribi curabant, quas IV Episcopi reconciliationis causa ad Pontificem mitterent. Hæ cum Nuntio & Ministris Regiis placerent, missæ sunt ad Aletensem, qui mutari quædam in illis acriter poscebat, neque se permoveri, ut subsignato nomine suo eas confirmaret, passus est; donec epistolis patheticis ultro citroque missis eo perduceretur. Nuntius acceptis literis Regi nuntiabat, sancitam esse Ecclesiæ pacem, Episcopos in gratiam Papæ receptos. Ea res multis gaudium, Jesuitis non leves cruciatus excitabat, maxime quod opus plane insciis tanta res esset confecta. Igitur omnibus machinis adorti sunt Nuntium Pontificis, eumque tandem permoverunt, ut facta infecta, & Epistolam IV Episcoporum Senonensi Præsuli reddere conaretur, illoque renitente sculpello eam discinderet. Tandem rediit tabellarius Romam missus, et Pontificis Decretum, quo pax firmabatur, attulit, qua re factum est, ut Nuntius, imo Rex ipse, Arnaldum, hætenus in cathamo sua delitescentem, parario Senonensi Præsule, adamicum colloquium admitterent, ipseque Sacius carcere liberaretur.

Quæ sequuntur alio Auctore scripta assutaque prioribus sunt. Narratur hic catastrophe negotii. Pontifex, malevolentium artibus excitatus, male suspicari de quatuor Episcopis coeperat,

perat, sed comperta re omni tandem literas conciliationis indices ad eosdem exaravit. Monialium Portus Regii causa, etsi magno cum earum detrimento, postremum tamen ad finem perducta est, & sacrorum usus ab Archiepiscopo Parisiensi, quem pertinacissimum hostem habuerunt, ipsis restitutus. Stetit pax ista aliquot annis, cum inter alios Andegavensis Episcopus inter varios assultus eam defenderet, donec postrema Clementis XI contra Jansenianos Bulla, contra quam multa nostri scriptoris querela est, penitus dissolveretur.

Continentur secunda hac Relatione multæ etiam Epistolæ lectu dignissimæ, cum monumentis aliis ad istam Historiam facientibus, præsertim illæ, quæ a Senonensi aliisque Præfibus ad Aletensem missæ sunt. Plura vero hujus farinae proponuntur in manipulo ad finem ejus annexo, interque alia Episcoporum Andegavensis & Bellovacensis formulæ, quibus subscriptionem denuo procurarunt Pontificis ad Regem & Episcopum Cabillonensem super isto negotio literæ.

Sunt & in hac altera Parte memorabilia multa. De Arnaldi libro de perpetuitate fidei contra Claudium singularia quædam leguntur p. 313 seq. interque alia, Turennum, notissimum heroem, ejus libri, antequam ederetur, perlectione ad mutanda sacra amplectendumque Romanæ Ecclesiæ obsequium permotum fuisse. De vita, moribus & gestis Sacii, defensoris Jansenii, multa p. 334 seqq. leguntur. Enotabimus præ ceteris, quæ p. 425 de nummo in pacem Jansenianam cuso enarrantur. Nummus, auspiciis Colberti signatus, antica parte repræsentat Regem Ludovicum XIV, postica aram, cui imposita sunt S. Biblia cum sceptro & clavibus Pontificiis, columba radiis circumdata cœlitus descendente, cum lemmate: RESTITUTA ECCLESIAE GALLICANÆ CONCORDIA. 1669. Masius, qui Historiam V Propositionum contra Jansenianos edidit, affirmaverat publice, invito Rege monetam hanc conflata, urgenteque Pontificis Legato abolitam fuisse. Huic Auctor noster ita respondet, ut & auctoritatem numismatis rationibus validissimis muniat, & Masianam narrationem qua circumstantias omnes convellat.

*BIBLIOTHECA CRITICÆ SACRÆ CIRCA OMNES
fere sacrorum librorum difficultates. Opus plurimorum
annorum ex Veterum Patrum traditione, probatorum
interpretum curis, clariorum Criticorum judiciis colle-
ctum a quodam Ordinis Carmelitarum Discalcea-
torum Religioso.*

Volum. I. Lovanii, apud Guil. Strykwant 1704, in fol.

Alphab. 4, plag. 16.

II. ibidem, apud eundem, 1704, in fol.

Alphab. 4, plag. 13.

III. Bruxellis, apud Jo. de Smedt, 1705, in fol.

Alphab. 4, plag. 15.

IV. ibidem, apud eundem, 1706, in fol.

Alphab. 4, plag. 21.

Libri, quem hic exhibemus, Autor est R. P. *Cherubinus*
a S. Josepho, Carmelitarum Discalceatorum Provinciæ A-
quitaniæ Ex-Provincialis, qui etsi modestiæ studio nomen su-
um titulo haut præfixit, Dedicationi tamen, quæ imaginem &
nomen CLEMENTIS XI. Pont. Max. præ se fert, illud sub-
scribere non dubitavit. Molitur ille, ut eorum commodo, qui
divinarum litterarum studio se consecrarunt, egregie inserviret,
opus splendidum, magnum, ac duodecim Voluminibus, imo
pluribus forte, absolvendum, quorum priora quatuor cum nu-
per modo ad nos fuerint perlata, non possumus, quin jam de
his certiores reddamus Lectores nostros, ut nec causarum, quæ
Autorem ad scribendum impulerunt, nec rerum, quas pertra-
ctandas sibi sumsit, nec methodi, quam sequitur, penitus es-
sent ignari. Causas, quibus adductus fuit, ut tantum opus ag-
grederetur, *Cherubinus* noster habuit varias, inter quas tamen
illa eminet, quam in ipsa Præfatione exposuit prolixius. Ni-

mirum inter ceteras ordinis, cui Autor adscriptus est, leges illa quoque locum invenit, quæ præcipit, ut *Fratribus, studiorum, cursum confecturis, tres anni Philosophiæ, tres Theologiæ, unus saltem doctrinæ moralis & Sacræ Scripturæ gustandæ concedatur*; cujus decreti observationem ut promoveret capitulum, quod vocant, generale, Romæ aliquot abhinc annis celebratum, modum illum præscripsit, ut in qualibet Provincia quædam semper esset domus, in qua ad id electi Professores Theologiæ morali & Sacræ Scripturæ omnem impenderent operam, constituta pœna singulari, cui nusquam in aliis sanctionibus similem haberi Noster fatetur, quod, qui Scripturæ ac moralis doctrinæ studium non perfecissent, neque ad Lectoris, neque ad Concionatoris aut Confessarii officium, multo vero minus ad Prælaturas in ordine admitterentur. Cum vero hujus decreti executionem difficillimam esse adverterent Superiores, nisi de communi aliquo opere tum Scripturæ studiosis necessario, tum ipsis eorum magistris commodo providerent, in quo ea omnia, quæ ad Scripturæ & Theologiæ studium inchoandum, proseguendum ac consummandum sufficerent, fusc ex probatoribus Autoribus quibuscunque colligerentur, sub gravissimi peccati obligatione tantum onus *Cherubino* imposuerunt, præsertim cum ab annis tringinta quinque Scripturæ studium ab ipso nunquam dimissum non ignorarent, ac collectiones ad hanc rem utiles ab eodem jam paratas esse conjicerent. Hic itaque superiorum mandato repugnare hariolandi crimine majus existimans, Operi se accinxit eo alacrius, quod amicis quibusdam Parisiis commorantibus ideam illius, quam ipsis ceu æquissimis censoribus obtulerat, adprobari omnino cerneret. Equidem benemerat, non carere Ecclesiam innumeris fere summaque laude dignissimis Scripturæ, sive integræ, sive nonnullorum librorum, interpretibus, nec deesse, qui scholastica fere methodo egregias ejus difficultates expenderent. Sed secum reputans, a nemine totius Theologiæ cursum fuisse expletum, aliis aliis subinde observationibus suis accuratius exponentibus; opera, in quibus pulchriora circa Scripturam expenduntur dubia, ab autoribus non raro hæreticis scripta ac vix nota, aut linguis peregrin-

regrinis consignata, aut sententiis Hebraicis Græcisve referta, ideoque ferme inutilia esse; nonnisi insigniorum Bibliothecarum esse privilegium, ut rarioribus ejusmodi abundant divitiis; non leve denique Scripturæ studiosis videri commodum, si, quæ in variis eruditorum commentariis sæpe ejusdem rei occurrant repetitiones, evitentur, & quæ alibi sparsim traduntur, apte colligantur digeranturque, tantum abest, ut a suscepto semel labore se abduci passus fuerit, ut potius opus perficere ejusmodi sedulo allaboraverit, quod jure meritoque *Bibliotheca Criticæ Sacræ* adpellari posset, ac omnes circa Scripturæ quæstiones in aliis sparsas commentariis difficultates apte complecteretur. Cuncta vero, quæ hanc in rem colligere potuit, tribus comprehendere Tomis constituit, quorum tamen singuli plura Volumina continebunt. Ita *primo Tomo* brevis ac facilis ad Scripturæ peritiam traditur præparatio & introductio, unde ipsi *Adparatus Biblici* nomen, quod erudito P. Lami etiam olim non displicuisse Autor noverat, imponere placuit. *Secundus* Tomus generalia & communia, quæ omnibus sacris & canonicis conveniunt Scripturæ libris, attinget, nec non generatim singularum editionum condiciones exponet. *Tertius* vero *Tomus* singulorum librorum proprias ac speciales rationes considerabit, eosque sigillatim percurreret, & ad omnes aut præcipuas locorum singulorum difficultates se extendet.

Cum vero quatuor ista Volumina, quæ jam nobis ob oculos versantur, ad primum saltim spectent Tomum, ut illiustantum hac vice rationem habeamus, congruum esse credimus, nec ingratum Lectori fore speramus, si ea, quæ istis Voluminibus continentur, qua fieri potest brevitate, recenseamus, de reliquis plura dicturi, quam primum ad manus nostras pervenerint. Licet itaque Synopsin Operi præfixam videamus, in qua ea, quæ in Tomo primo pertractanda veniunt, tribus iterum Libris ac viginti Dissertationibus dicuntur esse comprehendenda, ordinem tamen & numerum istarum Dissertationum in ipsa tractatione paulisper immutatum advertimus, quapropter nobis rerum, quæ exponuntur, summam persequentibus ad synopses speciales cuius Dissertationi atque Volumini additas ipsumque adeo opus erit potius respiciendum.

Primum itaque Volumen quinque Dissertationes complectitur, quarum *prima* proœmialis parœnetica dicitur, quandoquidem ad sacrarum litterarum studium ipsis fere Patrum clariorumque virorum non modo sententiis sed etiam verbis adhortatur, & ita quidem, ut ea, quæ sedulam Scripturæ lectionem videntur prohibere, removeantur, ea vero, quæ ad illam alliciunt, maxime urgeantur. Illud ergo ut obtineat Autor, Scripturæ sublimitati & obscuritati illius perspicuitatem opponit, ac difficultatem tum pulchritudinis, tum suavitatis, qua gaudet, contemplatione lenire satagit. Hoc vero ut consequatur, Scripturæ dignitatem, collectis variis, quibus insigniri solet, nominibus propriis pariter atque symbolicis, extollit; utilitatem quam mirabiles innumerique ejus manifestant effectus, comprobat; necessitatem studii Biblici commonstrat; exempla eorum, qui lectioni Scripturæ diligenter dederunt operam, proponit, & dum ita non tantum sanctorum ac illustrium virorum, Regum ac Principum, mulierum puerorumque pietate insignium, sed etiam Judæorum meminit, digressionem de ritu Scripturam legendi in Synagogis eorum satis prolixam instituit; ac denique ad Patrum autoritatem provocat, qui ad Scripturæ studium alios ut adducerent, omnem moverunt lapidem; ubi iterum, digressionis in modum, partim iis respondet, qui Scripturam a Catholicis negligi, eamque ab illis ignorari autument, partim de Catechumenis in primitiva Ecclesia eleganter differit, eosque ad sacrorum librorum lectionem admissos fuisse multis argumentis ostendit. Annectitur primæ huic Dissertationi Disputatio unica, appendicis quasi loco, quæ docet, qua animi præparatione ad Scripturæ lectionem accedendum sit, ea scilicet, quæ fide, ac Ecclesiæ in omnibus proprii judicii submissione, humilitate cordis, puritate, & rerum terrenarum contemptu perficitur. Ubi præterea de honore ac reverentia a Catholicis ei exhibita, de sanctis Evangelii, de ritu legendi scripturam in Ecclesia, aliisque circa Evangelii usum & abusum plura traduntur; Hæreticorum, quos vocat, in Scripturam S. injuriæ attinguntur, ac ultimo loco de fine lectionis seu studii Scripturæ

Scripturæ agitur. *Secunda* Dissertatio *prodroma* appellatur, quod his, quæ in sequentibus quampluribus voluminibus complecti Autor decrevit, veluti præcurrit, & generalem Scripturæ notitiam tradens ad speciales ac difficiliore quæstiones animum præparat, omniaque fere, quæ ad studii ejus initium ac progressum maxime necessaria videntur, certis quibusdam indicibus complectitur, ut tyronem ad illud accendat, simulque memoriam juvet. Continet autem partes quatuor, in quarum prima quid Scripturæ S. studium expetat, indicibus numero viginti sex designatur, adeoque de librorum sacrorum variis nominibus, divisionibus, versionibus, nec non ordine, lingua, qua scripti primum sunt, aliisque, quæ huc spectant, agitur. *Secunda* pars circa ea, quæ ad Scripturæ peritiam comparandam sunt utilia aut necessaria, versatur, ubi de præceptoris in hoc studio necessitate, de scholarum utilitate, de Patrum commentariis, de auxilio ab interpretibus, sive modernis, sive antiquis, quærendo, de Rabbinorum usu atque lectione, de Hæreticorum non negligendis Scripturæ expositionibus, de litterarum scientiarumque profanarum doctrina præmittenda, ac de linguæ Hebraicæ ac Græcæ notitia comparanda denique differitur. *Tertia* pars circa illa occupatur, quæ ad S. Scripturæ studium videri possent inutilia, nec tamen omnino contemnenda sunt, ubi plura de Mischna, Talmude, Masoretharum quibusdam observationibus, & de Cabalæ origine, nomine ac variis generibus traduntur. *Quarta* pars methodum in Scripturæ studio tenendam docet, inque duas Disputationes ita dispescitur, ut prior varias methodos ad studium istud utiles adducat, posterior vero monita quædam eo spectantia tradat, non omissis plurimis regulis criticæ, quæ Scripturæ studiosum admodum possunt juvare. *Tertia* Dissertatio ad illa progreditur, quæ Judæorum res concernunt, & primo quidem, præmissis quibusdam circa eorum statum observationibus, mox ad tabernaculi constructionem pergit, ejusque partes, Sanctum nimirum ac Sanctum Sanctorum, nec non ea, quæ in iis continebantur, expendit; qua occasione curiosa inter eruditos controversia de loco Altaris Thymiamatis discutitur, & alia circa

columnam nubis, circa aulæa opere plumario præparata, ac circa dona pro tabernaculi constructione oblata in medium profert. *Quarta* brevem continet digressionem de Excelsis & Idolis, quorum in sacris literis fit mentio, expositisque horum nominibus, quæ juxta ordinem alphabeticum recensentur, plura de Teraphim vitulisque Aaronis & Jereboami colliguntur, tandemque idololatriæ origo solícite inquiritur. *Quinta* Dissertatio, proluxior multo, quam quæ præcessit, ad Judæorum res redit & quatuor Disputationibus partem eorum exponit, quæ ad splendidissime extractum Salomonis templum pertinent. Primum scilicet de ipso templo illiusque extructione, fundamentis, situ, ornamentis, partibus variis, mirandis ac fatis multa commemorantur, non paucis observationibus circa Templum secundum, & quod ab Herode Josephus constructum scribit, nec non circa Ezechielis, Samaritanorum ac Ægyptiorum templa additis. Hinc de templi ministris inquiritur, seduloque iis congestis, quæ de Sacerdotum nomine, institutione, ætate, variis ordinibus, moribus, nuptiis, officiis, stipendiis, vestibus ac gradibus Autores commentantur, summus Pontifex fuse describitur, & de Levitarum ordine, officiis & ætate, de janitoribus & cantoribus reliquisque templi ministris nonnulla observantur. Porro ipsum templi ministerium exponitur ita, ut simul cultus divini instrumenta, tubarum usum, benedictionem Sacerdotum, pluraque alia descripta videas. Et ultimo demum loco dubia quædam circa templum illiusque vasa attinguntur, ubi de atrio gentium, de porticu Salomonis, de porta speciosa templi, de qua Actor. 3. v. 2. legitur, de atrio interiori, de conclavibus ac ædificiis atriorum, de atrio mulierum, virginum domo, & Gazophylaciis, de meatu panum propositionis, candelabro, mari æneo ac ceteris lavacris & de arca fœderis pulcherrimæ quæstiones enucleantur.

Secundum Volumen, quod Doctrinam de Judæorum cultu ulterius persequitur, quinque iterum Dissertationibus absolvitur. Et prima quidem, quæ ordine *Sexta* est, tribus Disputationibus Sacrificia Judæorum exponit ita, ut prior generatim diversas eorum divisiones ac circumstantias consideret; altera singulorum sacrificio-

um, tum quoad ritus, tum quoad alia, specialiore notitiam tralat; tertia vero diversas occasiones ac tempora respiciat, quibus offerri sacrificia consueverunt. *Septima* Dissertatio in tres partes divisa Judaicorum Festorum consuetudinem, nomina, numerum, occasionem, ceremonias sigillatim fuse ac diligenter contemplatur, eademque occasione de Judæorum jejuniis ea, quæ ad tempus, causam & ritus spectant, tradit, ac tandem ritus, quos in Synagogis observatos fuisse legimus, tum quantum ad preces, quæ in illis fieri solebant, tum quantum ad alia scitu non indigna, enarrat. *Octava* quamplurimas easque elegantes, quæ circa Urim & Thummim fieri possunt, quæstiones tribus Disputationibus expedit, & nomen, naturam, originem, locum, durationem & usum Urim & Thummim examinat, ubi sæpius Spenceri placita refelluntur, & de Teraphim & Cherubim non injucunda adduntur; Et ita Adparatus Biblici librum primum Autor concludit, ad secundum hinc progressus, qui Judæorum Doctrinam & Politiam perlustrat. *Nona* igitur Dissertatio tribus itidem partibus constans de scholis Judæorum earumque magistris, nec non eorum sectis ac libris præcipuis disserit. Et primo quidem scholarum divisionem, nomina & antiquitatem Autor expendit, ubi imprimis circa Abrahami, Melchisedechi ac Heberi scholas versatur, ac in Babyloniam translatas sequitur, maxime vero Scammai & Hillelis scholis commemoratur. Inde ad magistros transit, quorum dignitatem ac titulos exhibet, & tum inaugurationis antiquæ pariter & moderatæ ritus, tum alios explicat, ac denique ea enarrans, quæ ad discipulorum consuetudines pertinent, finem primæ parti imponit. Hinc in secunda parte quædam de Pharisæorum, Essenorum & Sadducæorum sectis profert, eorum nomina, initium & autorem describens. De Caraitis quoque loquitur, & ubi de Essenis agit, curiosa fatis circa Rechabitas ac Philonis Essenos adducit, tandemque Pharisæorum consuetudinem *fimbrias amplificandi*, quam ipsis Christus exprobrat, exponit. Tandem tres circa Judæorum libros disputationes sibi vendicat tertia hujus Dissertationis pars. Prima & Secunda, quicquid ad Talmudis & Mischnæ notitiam requiritur, explicat, tertia vero de nonnul-

lis

lis celebratissimis Judæorum commentariis verba facit, ac singulorum autores, materiam & antiquitatem contemplatur.

Decima hujusque Voluminis ultima Dissertatio Disputatione duplici Theologiam Judæorum ex Talmude aliisque ipsorum libris sistit, ac non modo plurima, quæ Rabbinum circa Deum, angelos, dæmones, animas hominum & similia docere solent, ex eorum verbis colligit, sed etiam Scripturæ interpretandi modum ab iis in præcipuis ejusdem historiis traditum recitat.

Tertium Volumen, cujus editio præter Autoris spem ob temporum necessitatem & Typographi varias ob causas mutationem ultra tempus constitutum paulisper fuit protracta, tres tantum Dissertationes continet. *Undecima* ergo, quæ primo loco occurrit, (placet enim hunc numerandi ordinem retinere) circa Cabalæ notitiam, ejusque in Scripturæ S. expositione usum versatur, qua de re licet jam in Dissertatione secunda Autor quædam attigerit, potiora tamen ac præcipua ad hanc remittere ipsi visum fuit. Cuncta vero, quæ in illa traduntur, in tres partes abeunt, quarum prima Cabalæ nomen, originem, antiquitatem variasque Cabalistarum methodos expendit; altera de divinis nominibus, imprimis nomine יהוה multa enarrat; tertia Autoris judicium circa Theologiam Judaicam aut Talmudicam continet, & quid commodi ex Rabbinorum commentariis ad Novi Testamenti loca quædam eo feliciter declaranda expectari queat, exemplis comprobatur, ut taceamus, quæ hic de Josephi libris, erroribus, illiusque a Sacris litteris frequenti dissensu, de Cabalistarum circa angelorum nomina arcanis aliisque curiosis rebus, quæ ad Cabalam magicam pertinent, annectuntur. *Duodecima* Dissertatio libro Adparatus Biblici secundo finem imponit & ad duo capita reduci potest. Primum enim de Synagogæ ritibus, nec non Synedrio ejusque jure & potestate agitur, & dum circa Synedrii ministros examen instituitur, plura de primatibus, majoribus, proceribus, patribus Synagogarum, Hiereis, presbyteris, didascalis, de Azanim, Parnasim, Archiperesitis, collectoribus eleemosynarum, diaconis, septem bonis viris & septem lectoribus traduntur. Deinde vero de Synedrii autoritate circa capitalia supplicia

disputa-

disputatur, & an Christi tempore, & quonam modo, ei competierit, disquiritur, subjunctis præterea variis, quæ circa nuptiarum ritus, tempus, convivium, de jure item uxoris ac dote, de leviratu & divortii libello præcipui nominis autores commentantur. *Decima tertia* librum Adparatus Biblici tertium ac ultimum inchoat, & quamvis Autor eandem variis Bibliorum editionibus primum destinasset, mutavit tamen consilium, ex quo de Opere, quod *Jac. Lelong*, Orat. Presb. paratum habet, edoctus fuit, quippe qui *Bibliothecam Sacram*, omnes tam typis vulgatas, quam exaratas manu S. Bibliorum editiones complectentem, proxime edere constituit. Dum ergo Noster illius editionem præstolatur, alibi suum hoc opus inde exornaturus, ad alia jam se confert, & circa præcipuas librorum Scripturæ versiones dicere incipit. Uti vero duas hæc Dissertatio iterum partes complectitur, quarum altera versiones Latinas attingit, altera versiones vernaculas explicandi curam suscipit, ita ex Latinis Cajetani, Vatabli, Malvendæ, Münsteri, Castalionis, Leonis Judæ, nec non Junii & Tremellii versiones imprimis productas variisque observationibus stipatas hic videas, ex vernaculis vero tum antiquioribus tum recentioribus, versiones, Gothica Ulphilæ, Armenæ, Dalmatica, Copticæ, Gallicæ, Oresmi & Guarini, & quæ anno 1530 Antverpiæ prodiit, Lovaniensis, Olivetani, Genevenses, Renati Benedicti, Bessæi & Frisonis, Corbini, P. Veronis, Michaelis de Marolles, P. Ameloti & illa, quæ Montibus prodiit, sub examen revocantur, ita tamen, ut circa eam, quam ultimo loco nominavimus, plurimum studii operæque Autor insumat.

Restat, ut de quarto Volumine quædam adjiciamus, in quo quatuor Dissertationes comparent, quamvis titulus tres tantum promittat. Primum ergo se hic offert *decima quarta*, quæ octo Disputationibus constans versionum Gallicarum aliarumque vernacularum historiam ulterius enarrat. In ea nimirum postquam Autor versionem Montensem a Quesnellio editam, et nique, quæ Leodii anno 1702 prodiit, nec non Belgicam Embricensem, & quæ Domino de Sacy editionem debet, considerasset, prioresque inter se contulisset, maxime circa

Simonii translationem subsistit, illiusque historiam fufe exponit, ac postea de D. Godelli, P. Bohursii, Castalionis, Jo. Diodati, & denique Jo. Clerici versionibus Gallicis quædam addit. Mox ad Italicas delatus earum mentionem facit, quæ ab Abbate Malhermio, Jacobo de Voragine, Antonio Brucciolo & Joanne Diodato luci publicæ expositæ fuerunt. Nec Hispanas, Germanicas, Saxonicas, Belgicas, Anglicas, Britannicas, Scoticas & Hybernicas, Polonicas, Slavonicas, Russicas, Bohemicas, Hungaricas, Suecicas, Danicam, Finnicam, Islandicam omittit, tandemque iterum de Coptica ac Armena observationes quasdam addit. *Decima quinta* Dissertatione, quæ sex partibus includitur, Autor ea, quæ circa versionum vernacularum lectionem, omnibus indifferenter permissam, nostris maxime temporibus agitari cœperunt, expendere aggreditur. Et primo quidem diligenter omnia conquirat, quæ circa hanc celeberrimam agitari solent quæstionem: an fieri possint, imo debeant, vernaculæ versiones? Ubi recensitis Hæreticorum opinionibus, quas refellere studet, quorundam Catholicorum placita expendit, suaque interdum utilitate translationes minime carere demonstrat. Congerit præterea plura tum Pontificum, tum Præfulum, tum Principum, imo conciliorum quorundam exempla, ex quibus versiones vernaculas merito ac prudenter interdum prohiberi, aut etiam interdum sapienter comparari aliisque permitti concludit. Hinc ad aliam quæstionem transit, an scilicet legitimas ejusmodi versiones nemini subtrahere, sed omni hominum ætati, sexui, ac conditioni promiscue concedere aut tradere Pastores debeant? quæ negative deciditur. Eaque occasione exortas inter Romanæ Ecclesiæ non incelebres Doctores Arnaldum aliosque circa quartam indicis Concilii Tridentini regulam Disputationes recenset, nec pro illius obligatione utilitate ac necessitate certare dubitat, quam in ipsa Gallia ac Belgio usu receptam facile demonstrat. Ea etiam, quæ Arnaldo Simonius opponit, & quæ ille reponit, suo interposito iudicio, non dissimulat, nec potest, quin quæstionem aliam inter Abbatem Trapensem & P. Mabillonium satis agitatum attingat, an scilicet monachis Scripturæ lectio

maxime

maxime conveniens ac propria existimari debeat? uti quoque circa illam quæstionem: an liceat missale ac similes ad usum Ecclesiæ libros in linguam vernaculam convertere, eaque in sacris publice uti? varia affert, quæ a recepta Romanæ Ecclesiæ sententia non abeunt. *Decima Sexta* Dissertatio Disputatione unica historiam editionis Polyglottorum Bibliorum tradit, & proposito primum eorum catalogo, circa eas deinde editiones, quæ majoris videntur momenti, observationes quasdam, ad pleniorum earum usum ac notitiam spectantes, exhibet, unde de editionibus, Complutensi, Antverpiensi Philippi II, Parisiensi D. le Jay, & Anglicana Walthonis non contemnenda legere hic licebit. Cum vero notum sit, quod Simonius in Critica sua novam Bibliorum Polyglottorum editionem commendat, edendique modum doceat, illius consilium perpenditur accuratius, variisque incommodis ac difficultatibus conjunctum esse ostenditur. Quam ob rem suam Autor proponit methodum, duplicemque Polyglottorum compendii rationem, ac utriusque specimen circa primum Geneseos capitulum tradit, imo integrum Psalterium, juxta methodum suam dispositum, in fine Dissertationis subnectit. Tandem ad parandam majorem Bibliorum Polyglottorum notitiam de versionibus, Arabica, Æthiopica & Persica, quæ illis inferuntur, quædam addit, septuagintaviralem vero, perinde uti Chaldaicam & Syriacam, propriis iisque fusissimis Dissertationibus in sequenti Tomo exponere constituit. *Decima Septima* Dissertatio librorum, Patribus aliisque Scriptoribus a primis seculis suppositorum, indicem refert ex Criticorum modernorum, Cavei scilicet, Ottii, Bellarmini, Riveti, Spanhemii, Dupinii, Arndii, Alexandri ac Tillemontii scriptis maxime collectum, qui tamen non nisi ad annum circiter 1180. producit, quia nec tantæ famæ videntur posteriorum seculorum Autores, nec adeo attente eorum opera Criticos expendisse, satisque incerta eorum esse judicia, Noster intelligit.

Et hæc generatim dicta sufficere, ni fallimur, iis possunt, qui, quid de tanto opere promittere sibi possint, cognoscere cupiunt. Specialiora enim quo minus jam tradamus,

Voluminum moles rerumque copia videtur prohibere, ex quibus alias plura nec inutilia nec lectori ingrata excerpere difficile nobis haut fuisset. Quodsi vero de methodo ac scribendi, quam Autor sequitur, ratione aliquid præterea dicendum sit, tenendum est, quod ipse fateatur, scholastica fere methodo ac stylo perspicuo potius, quam eleganti aut terfo, in pertractandis rebus gravissimis se fuisse usum. Ne etiam plagiarum nomen & crimen sibi attrahat, non modo ad scriptorum, ex quibus sua collegit, nomina semper provocat, sed etiam eorum verba exscribere non dubitat, tum, ut lector absque damno ipso Autoris libro carere possit, tum, ut si propria minus ardeant conjecturæ, alias, quas amplectatur, sententias non desideret. Ubi sane illud omittere non possumus, quod Autor, secus ac alii Romanæ Ecclesiæ addicti scriptores facere plerumque solent, non tantum suæ Ecclesiæ Auctoribus utatur, sed alios sæpissime consulat, quos Hæreticorum nomine dignos esse existimat. Unde ex nostris etiam Scriptoribus celeberrimos secutus ad Chemnitii, Gerhardi, Waltheri, Arndii, Sauberti, Carpzovii, Pfeifferi aliorumque scripta frequenter provocat, quamvis partium studio ductus iis aliquando vehementius insultet. Neque tamen aliorum tantum Autorum sententias colligit, sed ut certum aliquid tradat, suas quoque observationes subinde inspergit. Ceterum cum totum opus admodum diffusum sit, ut ea, quæ cohærere debebant, hinc inde crebro dispergantur, id tum demum optimum præbere usum poterit, si indices accurati accesserint, quos etiam ultimo Volumini addere Autor promisit, cui, ut destinata feliciter perficere queat, senectutem vegetam faustosque successus precemur.

ALLE DE VOORTREFFELIÏKE GODSGELEER-
de en Natuurkundige Werken van J O H A N-
NES de MEY, &c.

seu

*JOHANNIS DE MEY OPERA OMNIA PRÆSTAN-
tissima, tum Theologica, tum Physica, aliaque, aliquam
partem jam ex Latina lingua in Belgicam translata.*

Tomi II.

Lugd.

Lugd. Bat. apud C. Boutestein & Js. Severinum, &c. 1706, in fol.

Alph. 15. & fig. æn. 2.

Operum horum dudum tum separatim tum conjunctim impressorum præstantiam vel ipsa altera hæc editio multum correctior satis indicat. Dispersuerunt ea, qui editionem procurarunt, in duas partes, quarum prior 1 *Manuale Proverbiorum Salomonis*, seu expositionem plurimorum & præcipuorum libri Salomonis Proverbiorum succinctam & doctam; dein, 2 *difficiliorum quorundam N. T. locorum* explicationem; 3 *Annotationes exegeticas in Epistola ad Hebræos capita & loca selectiora*; 4 *Exercitationes quasdam sacras de conscientie casibus quibusdam, modestiæque limitibus*; & 5 *Physicam* inprimis *sacram*, seu explanationem locorum N. & V. Testamenti, in quibus scriptor sacer res naturales vel tangit vel tractat, complectitur.

Posterior Operum horum apud Belgas celebratissimorum pars continet 1 *Descriptionem naturæ & effectuum conscientie*, nec non *attributorum & operationum Dei*; 2 *Hallelujah*, seu laudem Dei, in naturæ theatro decantatam; 3 *Alterum Hallelujah*, seu laudem Dei, in gratiæ theatro celebratam, una cum explanatione rerum quarundam naturalium specialiori; 4 *Responsa & Judicia Theologorum Ecclesiæ Reformatæ celebratissimorum de unione Reformatorum cum Lutheranis*, quæ Auctor ob peculiarem quandam cum suismet Fratribus de eadem re controversiam perquam diligenter undique congeffit; 5 *Continuationem theatri naturæ*, seu *Observationes Physicas de natura, proprietatibus & operationibus cœli*; 6 *Evzooiam*, seu resolutionem quæstionis pernecessariæ: *Qua in re humanæ vitæ felicitas consistat?* 7 *Continuationem Evzooias*, seu cogitata de Republicæ bene institutæ & felicissimæ constitutione; 8 *Evarchiam*, seu continuationem alteram Evzooias, in qua de Republica bene feliciterque constituenda consilia quædam Auctor suppeditat; 9 *Continuationem tertiam Evzooias*, seu de *Vitis Patriarcharum* quædam; 10 *Monita salutaria B. V. Mariæ ad cultores suos indiscretos Gandavi A. 1673 impressa*; 11 *Væ Pe-*

tri Appeldornii ab ipso de se ipso pronunciatum in scripto suo blasphemio *Cras credo, hodie nihil*; 12 *Orationem Votivam ad Wilhelmum Henricum*, Principem Arausionensem; & 13 *Additamenta* quædam ad *Job. Gædaart* Observationes naturales.

Habent in his *Joannis de Mey*, Medioburgensium doctoris, Ministri ecclesiæ & Medici celebratissimi, operibus, qui vel difficiliorum & selectiorum Scripturæ Sacræ locorum, maxime vero eorum, quæ ad Physicam sacram spectant, explanationem, vel de bene constituenda Republica & conscientia bona servanda consilia, vel de unione Protestantium judicia quædam ipsorum Reformatorum quærunt, quæ eorum desiderio non poterunt non satisfacere.

ספר שמות

sive

ONOMASTICUM SACRUM, IN DUAS partes distinctum. Autore MATTHÆO HILLERO, S. S. Theol. Græcæque & Orient. Lingu. Prof. Publ. in Academia Tubingensi.

Tubingæ, impensis Theophili Georgi, Bibliop. Lips. 1706, 4. Alph. 5, plag. 10.

Quid propria Dei atque idolorum, hominum item ac locorum Nomina in sacris literis occurrentia in recessu habeant, multi, quantum ad difficiliora imprimis eademque maximi momenti attinet vocabula, vano fere conatu hæcenus enodare adgressi sunt. Exemplo hic nobis esse possunt Origenes, & qui ducem hunc paulo fidentius sequutus est, Hieronymus, Josephus item, Philo, aut si quis alius libri de Ebraicis Nominibus autor est, Talmudistæ, Targumistæ vulgaresque omnium religionum & Theologi & Philologi, qui nomina istiusmodi, quod posterior ætas dudum observavit, sat jejune & inaniter subinde exposuerunt. Quare cum bene multa Sacrarum Scripturarum loca inexplicata hoc modo relinquerentur, & errores adeo crassi in Historiam æque ac Geographiam

am irreperent, ut ex urbe homo ex homine contra urbs non raro fabricaretur, Autor Cl. intentatum aliis iter ingredi, maculasque, Sanctiorum Oraculorum interpretationi hoc modo affusas, in Onomastico hoc Sacro si prorsus tollere non potuit, maxima tamen ex parte corrigere pro virili annisus est. Ut vero, quod hunc in finem adornaverat Opus, justo suo eodemque concinno non careret ordine, in priori parte Nominum propriorum originem, analogiam & sensum declarat; in posteriori vero juxta ordinem literarum digesta istiusmodi Nomina explicat, & hinc quibus rebus personisve fuerint imposita, manifestat. Operi universo Index geminus, alter rerum & apud exteros fere Scriptores memoratorum nominum, alter locorum Sacrae Scripturae, quibus facem praetulit Autor, subjungitur. Instituti ratio non permittit, ut in dogmata hic tradita fusius nunc inquiramus, cum selectiora quaedam speciminis loco in medium proposuisse sufficiat. Sic ubi viam coagmentationis literarum aperit, literarum genera, confuse a Grammaticis hactenus proposita, subtilius hunc in modum distingui docet, ut, Lingualium nomine, eo quod omnia vocum elementa linguae subsidio indigeant, prorsus summoto, Dentales in sibilantes, quo literas $\Psi\psi\zeta\zeta\iota$, & non sibilantes, quo $\tau\tau\eta$ refert, a Liquidis $\lambda\lambda$ quodammodo distinguendas, dividantur. Sub novam porro Sectione XVII literas censuram revocat, quando contra Priscianum disputans, Literam non per minimam vocis compositae partem, sed per individuum oris humani spiritum, ut a Syllaba, quae duorum pluriumve spirituum comprehensio est, commode discriminari queat, definit. Quod ad ipsum idioma Ebraeum attinet, istud, ubi de formis simplicibus agit, potissimum urget Autor, consuetudini parum, peregrinitati vero nihil prorsus se tribuere, adeo ut aliarum gentium vocabulis locupletatum, contra similitudinem nihil quicquam tamen ullibi admiserit. Hoc ut uberius probet, ubi de Nominibus barbaris agit, segetem vocabulorum Chaldaicorum, Syriacorum, Persicorum, Aegyptiacorum & aliorum non alium in finem in apricum producit foecundissimam, quam ut omnibus statim innotescat, quomodo per legitimas artis regu-

p. 22

690

34

P. 363

364

regulas ex Ebraismo dictiones istiusmodi deducere interpreti in proclivi sit. Hybridæ vero voces ex Ebraico scilicet & barbaro sermone mixtas in Scripturis non reperiri, contra Flavium Josephum, Eupolemum & Lysimachum Alexandrinum, qui Hierosolymorum nomen ex sermone partim Græco, partim etiam Ebræo declarant, Bocharto potissimum in partes suas evocato, statuminat. Pariter Tremellium, Bethphage vocem per Locum Fontis exponentem, eo quod Græci fontem πηγή, Syri item, Chaldæi ac Talmudistæ פִּינֵי vel פִּינֵי, unde nomen פִּינֵי בֵּית conflatum sit, nuncupent, refutat, cum a Græco πηγή, vox Βηθφαγή duobus elementis, φ scilicet & η, discrepet, & Matthæus XXI. 1. ubi in Notis ad Versionem Syriacam Tremellius κρίσιν hanc suam instituit, non in casu quarto eis Βηθφαγήν, sed nulla flexionis aut casus ratione habita, eis Βηθφαγή scribat, unde בית פיני Domum sive locum Paghi, quasi בֵּית פִּינֵי viri nomen denotet, interpretatur. Cum de punctatione agit Noster, eandem & propriis & appellativis Nominibus punctandi rationem inesse, hoc potissimum argumento adstruit, quod in nominibus propriis, syllabarum numero crescentibus, puncta, ut in appellativis fieri consuevit, itidem decrescant, crescant vero, quando Regios Accentus appellativorum instar propria quoque Nomina sibi applicent. Prius p. 464 per פִּינֵי i. e. פִּינֵי דֵּדִית דֵּדִית dedit Deus, ubi kametz in scheva transit; posterius vero p. 468 per פִּינֵי quod sine Accentu Distinctivo, qui pathach in kametz commutat, פִּינֵי esset, (est vero Saham viri nomen 2. Chron. XI, 19) ut alia innumera, quæ juxta vocalium ordinem magna diligentia hic congeffit Autor, prætermittamus exempla, confirmatur.

Cæterum hac occasione notamus, nuperrime hoc ipso anno Onomasticon Urbium & Locorum Sacræ Scripturæ, seu Librum de Locis Hebraicis, Græce primum ab Eusebio, deinde Latine scriptum ab Hieronymo, & opera Jacobi Bonfrerii antea editum, cum novis Joannis Clerici animadversionibus, Amstelodami in fol. prodiisse, cujus libri, cum primum ad nos perferetur, uberiores in Actis nostris mentionem faciemus.

הוֹכֵלֵךְ

הלכות שבועות

i. e.

CONSTITUTIONES DE JURE JURANDO,
 ex R. MOSIS MAIMONIDIS Opere, ה"ד החז"ר
 dicto, Latine reddita variisque Notis illustrata a
 JUSTO CHRISTOPHORO
 DITHMARO,
 Hasso.

Lugd. Bat. apud Cornelium Boutesteyn, 1707, 4.

Alph. 1 pl. 8.

IN his ad Maimonidis de Jurejurando Constitutione^s
 Adnotationibus de Jurejurando ad C. I. ita statim differit
 Autor, ut in vocabuli Ebraei שבועה originem, varias jurandi
 & species & conditiones, flagellationis item, quæ poena peje-
 rantibus statuta, modum, & similia alia, quæ huc spectant, fu-
 sius inquirat. Succinctæ Cuthæorum & Samaritanorum,
 quam ductu C. II adornat, descriptioni doctrinam de voce
 שבע, quæ plenam jurandi formulam sistat, subjungit, & pro
 perfecto jurejurando omne istud, quod per nomen Dei sive
 ipsum Deum fit, habendum esse, variis Gentium consuetudini-
 bus hunc in finem allegatis, pronunciat. Josuam interim, du-
 cem Israelis clarissimum, eo quod Gibeonitis dolo eum cir-
 cumvenientibus fidem omni ex parte non præstiterit, neuti-
 quam peccasse, ad C. III inde potissimum evincit, quod ad o-
 mne jusjurandum, si validum esse debeat, consensus, sive, ut
 is, qui jurat, & is, cui juratur, idem intelligant ac velint, re-
 quiratur; inde & ad istiusmodi juramenta, quæ latronibus &
 publicanis præstari solent, dilabatur. De oliva, communi ci-
 borum prohibitorum mensura, cadaveribus discerptis, liquido-
 rum mensuris, adipe, bovis imprimis, agni & capræ, sangui-
 ne item in numero ciborum prohibitorum juxta Lev. VII, 26
 habito, erudite disputans, fustigationem a flagellatione, de qua
 p. 7 jam tum egerat, ratione & loci, & admonitionis, & culpæ,

p. 3. seqq.

51. sq.

54.

72.

73.

85 sq.

105 sq.

- ut & modi, multum diversam esse, affirmat. Missa historio-
la, quam fabulam verius dixeris, quasi Zedekias, quod Nebu-
cadnezarem de lepore vivo comedentem viderit, idque con-
tra præstitum juramentum Synedrio M. postmodum evulgave-
rit, ab Assyrio hoc Rege excoecatus fuerit, ad veras divortii
causas a falsis, quales & ipsi Karræi absurdas prorsus ex dicti-
one ערוך eliciunt, dignoscendas pedem promovet. In
interpretationem vocis פרוטו *Prutu*, cujus mentionem
Maimonides C. VII §. II injicit, porro intentus, de aliorum
quoque monetæ generum valore, ad varia, quæ in N. T. in-
primis memorantur, numismata illustranda, succincte differit.
Ad C. VIII circa rei ablatae & pruta ad minimum dignæ restitu-
tionem, per duplum, quadruplum, vel etiam quintuplum, in E-
bræorum Republica olim perficiendam, quædam annotat. Ad
C. IX vero dum de מנה *Mina* agit, observat, eandem
סלעים *Siclorum* rationem esse, qui ut vel Tyrii, vel
Provinciales erant, ita & Minam in צורי *Tyriacam* & של
מדינה *Provincialem* olim fuisse distinctam. Per חלוצה,
quæ dictio C. X §. 3 extat, & a חלץ *exiit* suam trahit ori-
ginem, uxorem mariti absque liberis decedentis, postquam
frater defuncti eam ducere recusaverat, indigitari, evincit,
infimulque ritus hujus solennia, siquidem juxta Deut. XXVIII,
5. 6. istiusmodi uxor leviro calcem exuere debebat, levi quasi
penicillo adumbrat. Sententia tandem super quæstione: u-
trum ei, qui verum Deum colit, per Idola jurare, aut jusju-
randum a Gentili exigere, vel accipere saltem liceat? ad
C. XI in medium proposita, circa C. XII, seu ultimum, contra
Baronium, Lipsium, Sigonium aliosque probare inprimis fata-
git, quod crucifixio, quæ inter supplicia apud Ebræos usitata,
qualia lapidatio, combustio, capitis amputatio, & strangulatio
erant, nullibi recensetur, non nisi temporibus sequioribus in
Rempublicam Judaicam introducta fuerit. Ceterum præter
Autoris ad Lectorem Præfationem, ubi suscepti negotii causæ
versionisque ac institutæ commentationis rationes breviter
explanantur, Jacobi Perizonii Epistola opusculo insuper præfi-
xa est, in qua, quam inviolate sancteque apud Gentes etiam a
veri

veri Dei cognitione alienas juramentum semper habitum servatumque fuerit, quæve genuina ritus istius, quo Orientales inter jurandum alter alterius femur tangendo utebantur, origo extiterit, aliaque non pauca lectu & utilia & jucunda enodantur. Inter istos sane, quibus multum se debere hinc & inde in Commentariolo suo Dithmarus noster gratus & palam fatetur, choragum facile agit *Perizonius*, cui *Triglandum*, cujus potissimum suasu literis his in Academia Lugduno-Batava CAROLI I, Hassiæ Landgrafii, cui & librum hunc sacrum esse voluit, incumbit, *Witsium* item & *Meierum* adjungit.

ZACHARIÆ HUBER, ULR. FIL. JURISCONSULTI
& Antecessoris, Dissertationes Juridicæ & Philologicæ,
quibus explicantur ac Observationibus humanioribus
illustrantur selecta Controversiarum atque
Legum capita. Pars
altera.

Franequeræ, apud Bernardum Wibrande, 1706, in 4to.

Alph. 2. plag. 6.

AD nominis paterni celebritatem adspiraturus doctissimus Autor, amœnioris Jurisprudentiæ opera solerter continuat. Primam Dissertationum harum partem in Actis nostris mense Octobri 1702 p. 417 recensu prolixiori exhibuimus, cumque exinde genium ac indolem harum lucubrationum abunde Lectores intellexisse speremus, ideo in recensenda hac altera parte nobis licebit esse brevioribus. Decem Dissertationibus præsens opus absolvitur: in Prima de Lege Julia, in Secunda de Lege Cornelia differitur: Tertia disquirat, quomodo Principes aliique imperantes summa potestate præditi, ut & Magistratus ac privati homines possint jurisjurandi gratiam facere: Quarta usum ac licentiam veterum divortiorum apud Romanos exponit: Quinta de matrimonio Claudii & Agrippinæ, deque Neronis adoptione agit. Singulæ harum Dissertationum sunt Juridico-Philologicæ, ac ad illustranda notabilia quædam Suetonii loca pertinent. Ceteræ Dissertations

tationes Juridicæ sunt, ac in Sexta exponitur & illustratur. Græcum Rescriptum Adriani Imper. in *l. 48 de judic.* Septima institutionem & exhæredationem filiifamilias ac postumi, sub conditione factam, illustrandæ *l. 11 ff. de condit institut.* exhibet. In Dissertatione Octava duplex eaque gravissima discutitur antinomia in capite Pandectarum de legatis & fidei commissis. Nona in exponendis & illustrandis duobus locis Juliani difficilioribus occupatur, quibus ultima disquisitionem: an & quatenus usucapio perimat jura in re? subjicit. Quo unum alterumve magis intelligatur, de nonnullis specialius nonnihil dicemus. Dissertatio Octava duplicis antinomix evolutioni præcipue destinata est. Postquam igitur Clarissimus Autor de officio interpretis, quoad componendas antinomias, in genere disseruerat, primum textuum sibi contradicentium par in scenam producit. Nimirum Julianus in *l. 22 de condit. & demonstr.* pronuntiat: *Quoties sub conditione mulieri legatur, si non nupserit, & ejusdem fidei commissum sit, ut Titio restituat, si nubat: commode statuitur, etsi nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam fidei commissum prestare,* cujus decisionis sententiam & rationem, tam ex jure Romano, quam scriptoribus aliis, Noster prolixè & eleganter exponit: sed, ut videtur, sine suffragio Gaji, qui in *l. 14 de Legat. 3* aliam plane sententiam amplectitur, quando ait: *Non dubium est, quin, si uxori legatum sit, si non nupserit, idque alii restituere rogata sit, cogenda est, si nupserit, restituere.* Sentit enim hic Gajus, valere conditionem, *si non nupserit mulier,* atque effectum restitutionis tribui fideicommissio, nisi paruerit conditioni, quod negat Julianus. Tam aperta contradictio sat argumenti fortassis præbebit quibusdam Criticis, quo intrudent salutarem particulam *non,* legantque *cogenda non est.* Alii, ne ulla iis hac in re difficultas sit a Gajo, notant, particulam *quin* significare *quod non,* quasi Jctus oratione sua exprimeret sententiam Juliani, doceretque, initum esse fideicommissum; sed neutra illa medendi ratio Nostro sese adprobat. Gotofredus speciosam commentus est distinctionem, viduam inter & virginem, putavitque, de virgine, hono-

rata legato & fideicommissio gravata, loqui Julianum, sed de vidua, marito orbata, cui lex de non nubendo ab eodem dicta sit, Gajum. Licet vero huic sententiæ verba textuum non minus, quam ratio differentiæ personarum, faveant, ac odium secundarum nuptiarum, ex dictis Veterum copiose hac occasione a Nostro illustratum, ei succurrere videatur, attamen temporibus Juliani & Gaji eam non convenire, adeoque opera & ingenio suo abuti, qui primi & secundi matrimonii distinctione istarum legum quarunt conciliationem, Clarissimus Autor existimat. Ipse igitur certiore conciliandi rationem traditurus, docet, Julianum loqui de fideicommissio pœnali, ad nuptias contra Legem Juliam impediendas spectante, sed Gajum agere de fideicommissio puro, sine nuptiarum impediendarum consideratione imposito: illud ergo invalidum esse, hoc autem valere, sine ulla pugna, aut decisionis apud autores nostros varietate, cum sane multum intersit, an fideicommissum suspendatur per modum pœnæ incivilis & acerbæ, qualis sit matrimonii prohibitoria conditio, & an pure simpliciterque fideicommissi onus alicui sit impositum. His expeditis, ad alteram antinomiam progreditur Noster: ex sententia scilicet Pauli in *l. 88 pr. §. 1 de legat. 3 lana legata, vestis, quæ ex ea facta est, non debetur, & materia legata, navis armariumve ex ea factum, non vindicatur*, quæ assertio, uti alias patitur difficultates, a Nostro tamen solerter remotas, ita graviter ei contradicit Ulpianus in *l. 44 §. 2 de legat. 1. dum pronunciat: si quis pocula legavit, & massa facta est, vel contra, item si lana legetur, & vestimentum ex ea fiat: Julianus libro trigesimo secundo Digestorum scripsit, legatum in omnibus supra scriptis consistere, & deberi, quod extat, quam sententiam puto veram, si modo non mutaverit testator voluntatem.* Hic ingenue fatetur Consultissimus Autor, quod discrepat inter utrumque Ictum, vix esse, ut bona gratia componi possit, hinc, rejectis quibusdam conciliationibus, concludit, æmulos hosce autores de industria dissensisse, ac adeo hoc casu vestigium superesse antiquæ dissensionis Proculejanæ & Sabinianæ, quam nulla medicina artificiali aut critica tollere, sed ut

ἀντινομίαν ἀνίατον in medio linquere oporteat. Dum in capite, de adimendis legatis, versatur Clarissimus Autor, aliam perdifficilem & perplexam Pauli pericopam, quæ in *l. 1. de adim. legat.* extat, enucleandam sibi sumit, eoque labore Dissertationem hanc absolvit. In Dissertatione ultima disquiritur: an & quatenus usucapio perimat jura in re? Præmissis igitur generalibus, ad usucapionis indolem & æquitatem pertinentibus, jus in re ex effectu intelligendum esse, Noster censet, ea ratione, ut jus in re sit, unde nascatur actio in rem; secundum quod principium quatuor ejus species, nempe dominium, hæreditatem, servitutem & pignus, etiam asserendas esse, amplius existimat. Hoc præstructo, dominium usucapione mutari, totumque tolli posse, modo illa sit legitima, Nostro certum videtur, de ejus requisitis hac occasione plenius differenti. Jus autem hæreditarium ex ejusdem doctrina usucapione non tollitur, sed hæreditatis petitio non nisi longissimi temporis sive triginta annorum lapsu excluditur; si quis tamen titulo speciali emtionis similive rem certam & singularem ex hæreditate comparaverit, ei usucapio plenissimam securitatem præstare videtur. In servitutibus proprie & ipso jure propter defectum possessionis usucapio locum non habet, docente Nostro: si quis vero rusticum vel urbanum prædium, quod alii servitutem debet, usucapiat, consequentia proprietatis acquisitæ trahit ad se libertatem prædii, & jus servitutis extinguit. Præterea si quis diuturno usu & longa quasi possessione, non vi, non clam neque precario, servitutem nactus sit, is utilem habet actionem, ope præscriptionis, quæ merito heic fuit probata, ne lites de servitutibus fierent perpetuæ; de cetero ad eam titulus vel domini scientia haut requiruntur. Servitutes personales ac in specie ususfructus usucapione non tolluntur, cum sint res incorporales, Veterum autoritate hoc etiam satis comprobante: si tamen constitutio ususfructus, inciderit in idem tempus, quo possessio usucapiantis inchoata fuit, tum jure novo Codicis utraque, & præscriptio juris, & usucapio rei, pari passu ambulat, eodemque modo sic impletur, ut altera absorbeat alteram. Eadem fere ratio pignoris

gnoris & hypothecæ, quæ usucapione non perimuntur, quod tamen an & quousque jure novo mutatum sit, non satis liquet, hinc novam ea res Nostro disceptandi præbet materiam. De possessione hic non operosa est disquisitio, cum ex numero jurium in re eam omnino esse expungendam, doctissimus Autor censeat.

JOHANNIS VAN HORNE, ANAT. ET CHIR.
apud Batavos quondam Professoris, Opuscula Anatomico-Chirurgica, Annotationibus Recentiorum in Anatomicis pariter ac Chirurgicis industriam patefacientibus adau-
cta studio & opera D. JOHANNIS GUILIELMI
PAULI, Anat. & Chirurg.
Prof. Publ.

Lipsiæ, apud Thomam Fritschium, 1707, in 8.

Constat Alphab. 1 & pl. 20.

Nullo non tempore Johannis van Horne Opuscula Anatomico-Chirurgica vel maximum merita sunt applausum; quo factum, ut aliquoties eadem non solum fuerint recusa, verum etiam a variis Professoribus in Academiis digna habita, quæ pro fundamento Anatomix & Chirurgix docendæ ponerentur. Quemadmodum olim D. Joh. Mauritius Hoffmannus in Prælectionibus Anatomicis in Academia Norica declarandum selegit Hornii Microcosmum, suasque in eundem Notas in Dissertationibus publicis Anatomico-Physiologicis viginti duobus abhinc annis publici juris fecit. Hujus enim judicio est Hornii Microcosmus (idque etiam de Microtechne ejus existimandum) liber parvus, si oculis magis quam animo legatur, si rerum contentiarum amplitudo attendatur, magnus. Id quod permovit Clariss. D. Joh. Guilielmum Pauli, inde a viginti tribus annis Collegam nostrum solertissimum & Anatomicum, si quis alius, accuratissimum, ut Microcosmi & Microtechnes editionem Lipsiensem cum Lugdunensi conferre, mendose allegata corrigere, reliqua Autoris addenda conquirere, atque
 paragra-

paragraphis tantum non singulis Annotationes aliquas apponere sustinuerit. Tredecim equidem jam præterlapsi sunt anni, cum laborem istum perfecit, quoniam verò Bibliopolæ aliorum librorum impressionibus occupatissimo minus commodum hæctenus eum typis mandare visum fuit, amplissimam nactus est Noster occasionem, omnem moram uberioribus observatis, tam propriis, quam alienis compensandi. Et ne opera hæc manca videretur, siquidem ultimis quinque annis, quibus Manuscriptum sub manu ejus esse desit, multa in re Anatomica cum orbe erudito hinc inde communicata, imò ab ipso in cadaveris foeminei anatomia publica sub finem anni elapsi observata fuerunt, singula hæc in Præfatione uberiore addere non fuit gravatus. Speciminis loco ex hac, quæ Clariss. Pauli sunt observata, sistemus, sicque de reliquis Annotationibus facile erit penes L. B. judicium.

Quam tunicam in œsophago inter carneam & nerveam vasculosam mediam Verhayen notavit, eam in ventriculo non solum suillo & canino, sed humano quoque atque jejuni humani portione vidit. Aquam in arteriam splenicam infusam, ventriculum cum liene adhuc cohærentem, non tamen ceram pariter replevisse, observavit. Ductus thoracicus in cadavere foemineo cera rubra repletus thoracem intra sub aorta primum insigne vas recipiebat lymphaticum, ut duplex videretur, hinc notabilem efformabat insulam, demum sub œsophago ductu satis tortuoso & serpentino ferebatur, usque per thymum variis ramis dispersis in venam subclaviam sinistram e regione venæ jugularis internæ osculo terminaretur. Venas cum arteriis continuari, nec poros utrumque vasorum genus intercedere, præter alios plures Pitcarnius, Cowerus, Vieussens atque Georg. Frider. Francus de Franckenau propugnant, primus quidem, quod sanguis, in poros effusus, ac venarum parietes, consequenter oscula comprimens, sibi ipsi aditum ad venas præcluderet, reliqui autem, quod microscopiorum usu talis continuitas extra dubium omne esset reddita. Verum quia microscopiis adhibitis non tam ipsa vascula, ceu pellucida, quam globali potius sanguinis se invicem propellentes cernantur,

tur, haud immerito ambigit Noster, annon sic arteriolarum & venularum continuitas cum sanguineorum globorum contiguitate confundatur, quæ tamen poris majoribus etiam sibi invicem respondentibus adhuc videri potest, quamdiu globuli ejusmodi sensibiles in minores insensibiles nondum redacti fuerint. Ad poros autem depositus sanguis nullum omnino ejus judicio in venarum oscula inveniret ingressum, nisi fibrillis intercedentibus venarum parietes æque ac arteriarum suffulcirentur; quemadmodum in liene vitulino & pene humano, in quibus sanguis ab arteriis extravasatus per patula venarum foramina remeat, ad oculum patefcit. Tametsi ad respirationem parvam vel duo diaphragmatis muscoli possint sufficere, in magna tamen, ubi costæ cum sterno elevandæ ac deprimendæ, centum eorum, tum proprii, tum communes, videntur concurrere. Præter 2 namque diaphragmatis, costæ utrinque a 27 propriis, nempe subclavio, 11 intercostalibus externis, 11 levatoribus costarum, Serrato antico minori, Serrato antico majori, Serrato postico superiori ac Cervicali descendente Diemberbrockii & tribus communibus, Pectorali, Scaleno, & Levatore scapulæ attolluntur; cum costæ e diverso utrinque a 14 propriis, videlicet 11 Intercostalibus internis, Triangulari, Sacrolumbo & Serrato postico inferiori & 5 communibus, musculis scilicet abdominis soleant deprimi. Per orificium, quod in duodeno cum choledocho pancreaticus ductus habet commune, flatus in hunc immissus aliud simul minus osculum canalis minoris detegebat, priori fere oppositum, nisi quod paulo esset superius. Non absimilem quondam ductus pancreatici in equo videre licuit Clariss. Pauli conformationem, in quo alter duodenum orificio cum choledocho communi, alter autem proprio & quidem e regione fere priori opposito pertundebat. Mercurius in meatum auditorium infusus in hoc subsistebat, adeoque cavitatem tympani haud illabendo nullum membranæ tympani detegebat hiatus, etiamsi aqua pro eadem sicciori humectanda multis ante horis fuisset indita, caputque multum una concuteretur. Quamvis Epiglottidi humanæ 4 a Jacobo

Sylvio adscripti musculi tantum non ab omnibus in dubium hactenus fuerint vocati, nihilominus non solum duos attollentes, satis longos, ab ossis hyodis basi ad posticam epiglottidis radicem protensos, sed & duos deprimentes minores ab arytænoidearum cartilaginum apicibus oblique & antè ad epiglottidis latera delatos atque vel cum Bauhino hyo- & arytanoglotteos, vel cum aliis rectis hyo- & arytæno-epiglottleos dicendos vidit.

De cetero monendus est L. B. præter Microcosmum & Microtechnen Hornii Notis illustratos, adjectam esse in hisce opusculis Thomæ Bartholini Historiam Anatomicam Aneurismatis dissecti, Horniiejusdem argumenti Epistolam, & Indicem rerum locupletissimum.

MEDICINA GYMNASICA: OR, A
Treatise concerning the Power of
Exercise &c.

i. e.

TRACTATUS DECLARANS EXERCITATIONUM
potentiam, respectu Oeconomiae animalis, magnamque
earundem in morbis diversis curandis necessitatem.

Autore FRANCISCO FULLER, M.A.

Editio secunda cum Addi-
tionibus.

Londini, apud Robertum Knaplock, 1705, in 8.

Plag. 20.

Quo Exercitationum usus in talibus sæpe morbis curandis, in quibus alia vix quicquam valent, elucescat certissimus, *Autor* in Medicina gymnastica præsentis, tam Exercitationum in corpus nostrum efficaciam in genere, quam morborum, in quibus conferant, & motuum, qui profint, nonnullos in specie explanat, omniaque tum Praxi Veterum, tum Appendice singulari confirmat. Exercitationis videlicet nomine omnem
intelligit

intelligit motionem sive agitationem corporis humani, cujuscunque illa sit generis, seu voluntaria, seu involuntaria, & quocunque fiat modo, quæ absque remediis internis possit (vel, sine qua remedia interna sola non semper possint) naturæ roborandæ ad expellendum inimicum, a quo opprimitur, sufficere. Modos vero, quibus natura in oppressionis periculum veniens sibi ipsi opituletur, ut & naturæ conatus, qui vel externorum applicationem, vel internorum, nec sanguini, nec spiritibus assimilandorum, assumptionem insequantur, prius percurrit, quam rationem ostendat, qua natura, exercitio moderato eoque continuato adjuta, se a morbis quibusdam liberare possit. Eum namque in finem in corpore nostro, nunc sternutationem, oscitationem, pandiculationem, singultum, risumve fieri, nunc stimulo, aut externo, aut interno, v. g. emetico fortiori, spiritus animales excitari, ut aliquid naturæ adversi eliminetur. Tametsi autem producta humanæ artis perfectissima motu atterantur & consumantur, corpus nihilominus humanum, seu mechanismi divini exemplar, motu frequenti ad diutius perseverandum disponi, in quantum hic in partes corporis, & fluidas, & solidas, agens æquilibrium utrasque inter restauret optime. Ne de motus tamen potentia, quam in fluidas & solidas corporis nostri partes exerit, ullum relinquatur dubium, ad structuram arteriarum conicam, sanguinis circuli promovendi gratia motum musculorum exigentem, ad exactiorem particularum sanguinis homogenearum mixtionem, occasione majoris caloris digestorii per motionem excitati contingentem, ad uberiores particularum e massa sanguinea, cum excrementitiarum, tum laudabilium denuo admiscendarum, secretionem, a velociori post motum corporis circulatione obtinendam, ad hypercatharsin, a motu post haustum purgans illatam, ad majorem denique partium solidarum tensionem, & ad nervosarum sensationem gratam, motione inducendas, pluribus provocat. Ad morbos vero motu abigendos motionis præcipue moderatæ industriam continuationem non minus postulat, ac medicamenta alias quævis alterantia sedulo continuari præcipiuntur; neque molestiam, quam primæ creant exercitatio-

nes, adeo ægro metuendam esse, ut easdem propterea omittat, cum natura iis pariter atque aliis, quorum exempla adducuntur, soleat adsuescere, ægrotusque frequenti moderatorum exercitiorum usu tantum acquirere queat robur, quanto alter, simili morbo affectus, ob motionem omnem neglectam penitus destituitur, prout sani quoque robustiores deprehendantur aliis, quo violentioribus motibus corpus consueverint subigere. Exercitationem itaque excellens haberi remedium, partim ratione medicaminum, v. g. decoctorum lignorum, Martialium & balsamicorum, quorum vires exaltet, partim intuitu morborum, quos pellat, ubi evidenter collegit, ad morbos speciatim motu curandos atque exercitationes huic scopo satisfaciennes progreditur, ibique phthisin, hydropem & malum hypochondriacum, hic autem equitationem, frictionem & balnea frigida, non solum nominat, sed & declarat. Phthisi siquidem a motione, inprimis ab equitatione, eo certius pollicetur auxilium, quo laxius particulæ morbificæ in massa sanguinea cum reliquis cohæreant, & quo æqualius moleculæ acres per emunctoria ubique fecerni debeant, diligentem simul usum balsamicorum non aliorum, quam temperatorum, acrimoniam obtundentium & nutrientium, e. g. tussilaginis, liquitiæ, cynoglossi &c. admittens. Hydropis titulo, cui exercitatio medeatur, talem præcise innuit Anasarcam, in qua vel ægroti cathartico- rum usu intempestivo ita debilitati fuerunt, ut diuretica & corroborantia nequicquam ferre possint auxilii, vel qua homines adultioris ætatis, foeminae hystericae, aut subjecta asthmatica, afficiuntur: in quali non tam purgantia fortiora, veluti sanguinis crasin & ventriculi tonum destruentia, quam diuretica, in majori saltem dosi & cum motu, suadet usurpanda. In affectione hypochondriaca & hysterica, spiritus & nervos potissimum occupante, remedia haud violentiora, v. g. cathartica diuretica, sanguinis missionem &c. sed leniora & cordialia, atque præsertim exercitationes, primum equitationem vel unctionem, tum balnea frigida vel frictionem ideo commendat, quod spiritus ac nervi primario hisce corroborentur, nec pauperes laborem sustinentes morbis istis

unquam

unquam corripiantur. Sed ea præteriens, quæ de Rheumatismo scorbutico, Atrophia nervosa, & Debilitate ex mœrore, motu pariter curandis, potuisset addere, equitationi primum inter exercitationes concedit locum, quia hæc infinitis succussionibus non mesenterii tantum & intestinorum glandulas obstructas aperiat tonumque restituat, ac morbificas a glandulis intestinorum secretas particulas immutat, sed & præter alias secretiones transpirationem æqualiorem vultumque vividiorum efficiat, atque animum majoribus voluptatibus perfundat, quam exercitationes aliæ; quantum vero commodum ab equitatione in phthificos, hypochondriacos & cachecticos redundet, observationibus, cum Sydenhamii & Baynardi, tum propriis, demonstrat. Hinc frictionem, multum a Veteribus adhibitam, intuitu insensibilis transpirationis, quam egregie promovet, & quam reliquis evacuationibus cunctis notabiliter præpollere Recentiorum experientia testatur, subjungit, nullusque dubitat, quin frictio assidue repetita, glandularum cutanearum obstructions referando, mucum gelatinosum in muscutorum interstitiis attenuando, & spiritus excitando, in Rachitide recenti, Rheumatismo scorbutico, certa Atrophia, & hypochondriacis ac hysteriis obesioribus, magnum edere valeat effectum, cum vel ganglia ipsa sub cute demum soleat dissolvere. Balnea denique frigida propter actionem, qua spiritus repellunt impelluntque, ut unitis viribus materiam morbificam aggrediantur, exercitationibus a *Nostro* cum Veteribus annumerantur; de efficacia vero eorundem *Flozeri Inquisitio in usum & abusum balneorum* laudatur, in *Actis A. 1698 p. 524.* a nobis recensita. Atque hanc morbis exercitatione subveniendi rationem Veteribus quondam maxime solennem fuisse, ex Hippocrate, Galeno, Celso, aliisque non minus luculenter, quam summum equitationis in nervorum affectibus emolumentum, exemplo Autoris proprio, quod in Appendice fusiùs enarratur, comprobatur.

BERICHT EN OPMERKING WEGENS DE
 Staat van een Buitengevvoone, zo genaamde
 Slaap-Ziekte de Stolvviik voor-
 gevallen.

i. e.

*RELATIO DE AFFECTU SOPOROSO EXTRAOR-
 dinario, Stolvici observato.*

Roterod. apud Eliam Yvans & Petrum van der Veer, 1707, 4.
 Plag. 3 $\frac{1}{2}$

Multa hæctenus in Relationibus publicis de rustico per-
 multos menses dormiente fuerunt significata; quoniam,
 autem plenariam fidem illis semper habendam non esse, in-
 comperto est, rarus autem hic casus omnino meretur, qui cum
 orbe literato communicetur, brevem ejus historiam ex scripto
 hoc, in quo quatuor Doctores Roterodamenses, scilicet Paulus
 Walwiik, Cornelius van der Zee, Henricus Snellen, & Abra-
 ham Salomon van der Voort, eum visitantes, quæ vel ipsi vi-
 derunt, vel ab adstantibus audiverunt, consignarunt, delinea-
 bimus.

Dirk Klaasz Bakker Stolvici prope urbem Goudam de-
 gens, annorum 32, vir probæ vitæ, & in tectis arundine conte-
 gendis strenuam navans operam, postquam sub initio anni 1706
 post patris mortem deteriore hereditatis conditionem, quam
 speraverat, invenerat, melancholiæ se dedit, ita ut quotidie
 magis magisque solitudinem amaret, & ab omnium hominum
 frequentia remotissima quæreret loca, tempusque in libro,
 quem semper secum gestabat, legendo tereret, sæpius etiam de
 die lectum petens ut plurimum dormiret, subindeque evigila-
 ret. Cogitationibus interim suis admodum inhærebat, nec
 ad quæsitæ nisi magno temporis intervallo interjecto responde-
 bat, instar eorum, qui ex profundo somno sunt excitati. Cuius
 rei causam manifestare detrectabat; sicque tres consumse-
 rat menses, i. e. ad finem usque Martii, ubi ingravescentibus
 sympto-

symptomatibus istis, plerumque temporis in lecto traducebat, subinde tamen laboribus etiam vacabat. Sudorifera interim dantur, sanguis aliquoties ex vena educitur, qui bonæ conditionis observatur, clysmata injiciuntur, sed omnia absque successu. Die 24 Junii somno profundo sepeliebatur; hinc vesicatoria nuchæ apposita magnam quidem seri copiam elicuerunt, sed absque euphoria. Die 29 Junii emeticum infundebatur, inde non solum magnam pituitæ copiam evomuit ille, sed & exsuscitatus & cum adstantibus locutus fuit. Pauca vero post minuta iterum obdormivit, somnumque ad 13 Julii continuavit, quo subito exclamando aquam poposcit, qua avidè, clausis licet oculis, epota, eundem soporem repetiit, & ad 11 usque Januarii diem anni currentis sub eodem gradu & absque ullo stertore protraxit. A die 29 Junii usque ad medium Augusti præter dictam aquam nihil alimenti assumpsit, si vini Hispanici circiter uncias tres vel quatuor excipias. Ab illo tempore soror ejus singulis sex diebus unicum bolum panis & carnis ori ingessit; tandem singulis diebus fere bis vel ter oblatum cibum sub eadem quantitate clausis tamen semper oculis deglutivit ille, ita ut tam paucum alimentum infanti recens nato pro vita sustentanda vix sufficeret. Uno tempore facilius deglutiebat eadem, quam alio, de potu præter dicta nihil assumebat. Insensibilis transpiratio exilis admodum ex arido habitu judicabatur, sudor nullus, feces alvinæ paucæ, donec die 27 Julii sequentibusque 14 diebus post Elyxir Proprietatis infusum quotidie egereret dormiens, sed absque morbi levamine. Cum vero cibus ei præberetur, ut dictum, quotidie vel singulis binis diebus lectum urina & fecibus commaculavit. Quæ fordes ut evitarentur, sellæ fuit impositus, foramine pro illis transmittendis instructæ; hæque semper viscidæ, fuscæ, duræ, subinde liquidæ excernebantur. Pulsus erat æqualis, sed parvus & tardus, nisi quod post Spirituum naribus admotorum usum ille acceleraretur. Ut plurimum absque motu jacuit dormiens, rarius ab uno latere in alterum volvebatur, palpebras quandoque movebat, oculos tamen non aperiebat; collum etiam extendebat, tussiebat. Postquam igitur ultra 6

men-

menses dicto modo dormiverat, die 11 Januarii hor. 10. matutina post tussim somno plenarie excusso, oculos aperiebat, de nullo conquerens dolore, sed solum lumen oculis molestum esse, pronuntians. Lassitudinem vero membrorum & capitis gravitatem accusabat, corporisque marcorem mirabatur, vixque, se tamdiu dormivisse, ut crederet, a se impetrare poterat. Famelicus cibum poscebat, potum hauriebat, & prudenter loquebatur. Cepit posthæc quidem aliquoties iterum somnum, sed interruptum, & cum stertore. Die 12 Januarii hora 8 matutina arcte & graviter & pristino modo dormire denuo coepit, & die 22 Februarii, quo supra nominati Doctores scriptum hoc subsignarunt, adhuc dormivit.

*DESIDERII ERASMI OPERUM OMNIUM TOMUS
III, VIII, IX & X.*

Lugduni Bat. apud Petrum van der Aa, 1703, 1706.

Tomus III constat Alph. 12. pl. 19 & Fig. æn. pl. 10.

VIII Alph. 3. plag. 15.

IX Alph. 6. plag. 20.

X Alph. 4. plag. 17.

Splendidissimæ hujus Operum Erasmi editionis mentionem jam antea fecimus, tum anno 1704 mense Augusto p. 352 sq. cum tomum primum, secundum & quartum, tum anno 1705 mense Novembre p. 481 sq. cum quintum, sextum & septimum recenseremus, quin & in ejusdem anni Novis Litterariis p. 239 causam indicavimus, quare tertii tomi editio differenda fuerit. Nimirum cum undique ab eruditis Epistolæ quam plurimæ ad Bibliopolam transmitterentur, quæ lucem antea vel sparsim, vel nondum plane adspexerant, necessitatem sibi impositam vidit tomum tertium in duas partes dividendi, ex quo factum ut inter postremos fere hic tomus prodierit, quanquam subscriptum annum editionis 1703 habeat. Ut vero & illis satisfiat, qui auctas tantopere Epistolas seorsim comparare velint, novum quoque titulum exemplaribus nonnullis præmisit, qui annum 1706 subscriptum habet. Ceterum quantum

quantum ad hanc editionem, & eo præcipue nomine commendanda videtur, quod Epistolæ, quæ in prioribus editionibus, vivo etiam Erasmo procuratis, nulla temporis ratione habita, disponebantur, hic ordine temporum collocantur, iis tamen, quibus addita temporum nota non fuit, seorsim in Appendicem rejectis. Exhibentur hic Erasmi Epistolæ non tantum impressæ omnes, exceptis quidem Dedicacionibus, quæ suis locis insertæ comparent, verum & plus quam quadringentæ viginti quinque, quæ lucem publicam antehac nondum adspexerant, a Crasserio quippe, Kortholto, Hottõno aliisque liberaliter communicatæ, in quibus diligenter cum codicibus MSptis conferendis, ut in ornanda tota hac collectione, laudatur inprimis industria Joannis de la Faye. Præterea vero & Longolii, Bembi, Sadoleti, Mori, Melanchthonis, Camerarii, Pirckheimeri aliorumque ad Erasmus Epistolæ, ex horum collectionibus epistolonicis excerptæ, congruo loco inseruntur. Accedunt denique Indices rerum & verborum longe copiosissimi, & effigies quorundam eruditorum, quorum modo Epistolas hic exhiberi diximus, ut nihil plane ad ornatum & decus editionis deesse videatur. Sed pergamus ad reliquos tomos, quibus præstantissima hæc editio absolvitur. Volumine VIII ea continentur, quæ Erasmus e Chrysostomo, Athanasio, Origene & Basilio Latinitate donavit, quæ vel eo digna, quæ conservarentur, credidit Editor, quod in editionibus SS. Patrum, quæ indies novæ prodeunt, aliæ, aut interpolatæ inveniantur translationes, quibus hæ ipsæ minime cedunt, quippe ab Erasmo, non juvene, sed sene factæ. Hæc dum imprimeret Bibliopola, commodum in Petri Opmeri codicem MS. quorundam Erasmi opusculorum incidit Bibliopola, in quo cum ineditas Orationes duas, alteram de Pace & discordia contra factiosos, alteram funebrem in Bertam de Heyen Goudanam viduam, deprehendisset, eas merito huic volumini, quod reliqua mole non æquabat, subjunxit, una cum carminibus ineditis, in quodam Petri Scriverii codice repertis. Sequuntur in eodem volumine Francisci Robortelli Annotationes in Apophthegmata ab Erasmo versa e Laertio, ubi Diogenis Cynici vitam describit, qui libellus olim Venetiis 1543 prodierat. His ultimo loco ac-

cedit Joannis Herold Declamatio apologetica contra Dialogum famosum in Erasmi funus editum. Quæ nono eoque ultimo editionis Frobenianæ volumine continebantur, in duos tomos IX & X hic fuere distribuenda, cum ob accessionem novam, tum imprimis ob Indicem generalem, quem satis copiosum ultimo volumini subjungere visum est. Habentur ergo in utroque volumine præter complures Apologias Erasmi pro se ipso, aliaque ejus opera critica, in quibus aliquando paulo commotior factus, acriter cum adversariis decertat, Apologia Martini Lydii pro Erasmo eorum calumniis opposita, qui eum Arrianismi accusabant, Index item Expurgatorius in opera Erasmi, Guilielmi Insulani Oratio funebris in ejus obitum, & Index demum, quem diximus, generalis in omnia Erasmi Opera, excepto Epistolarum volumine, cui peculiare sui indices sunt adjecti. Habemus ergo editionem luculentissimam Operum Erasmi, quibus, Cl. Editoris judicio, nulla paulo locupletior Bibliotheca, nemo paulo elegantioris ingenii vir potest carere.

JO. ANTONII CAMPANI, EPISCOPI APRUTINI, Epistola & Poemata, una cum vita Auctoris. Recensuit JO. BURCHARDUS MENCKENIUS.

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1707, in 8.

Alphab. 2 pl. 5.

BEne mereri de Campano voluit Collega noster, quo scriptore ita se delectari scribit, ut alio nullo. Neque enim fingi quidquam aut scribi festivius pulcriusque, sive in prosa, sive versa oratione posse videtur, his elegantissimi Campani operibus, quæ joco & sale refertissima eaque styli elegantia conscripta sunt, ut cum quibusvis Veterum monumentis possint comparari. Præmissa est his ejus Epistolis & Poematibus ad Virum illustrem & celeberrimum, ANTONIUM MAGLIABECHIUM, Fautorem nostrum æstumatissimum, Epistola, in qua dolet primum Editor, serius ad se perlata fuisse, quæ Vir summus de Petro Alcyonio (cujus in Actis hujus anni p. 43 mentionem fecimus) in tribus epistolis ad se scriptis observaverat. In his enim
& fal-

& falso a nonnullis tradi evincit, eum corrigendis typorum erroribus operam navasse, cum & Medicus fuerit, & Florentiæ primum, deinde Romæ bonas litteras publice docuerit, & imprimis, quæ de plagio traduntur, tum Cælii Calcagnini, Jo. Francisci Pici, Principis Mirandulani, & Petri Victorii, Alcyonio æqualium, testimoniis, tum ex eo oppugnat, quod post vulgatum *de Exilio* librum non minus elegantia monumenta alia ediderit, & præterea vix sperare potuerit, hoc unicum Ciceronis in orbe universo exemplar superesse, ex quo detegi fraus ipsius potuisset. Observat præterea, Franciscum Berni nequissimam satyram in Alcyonium conscripsisse, in posterioribus quidem ejus Poematum ludicrorum editionibus mutilatam, in qua inter alia Alcyonium fustibus castigatum his verbis testatur:

- - - *L'Alcionio*
Fu bastonato come Sant' Antonio,
Jo gli son testimonio.

Verum & hæc conficta esse nullus dubitat, cum Alcyonium inter & Satyricum hunc gravissimæ olim intercesserint inimiciæ; quæ adeo, cum hic oblata sit occasio, eruditos ignorare nolimus. Sed ut ad Campanum nunc redeamus, exstabat quidem Operum ejus omnium, in quibus & Historica, & Oratoria, atque Philosophica multa continentur, editio Venetiis 1502 in folio, quod ajunt, a Michaele Ferno, qui Vitam etiam Campani prolixissimam præmisit & præfationes passim non inutiles inseruit, procurata, verum & adeo rara, ut vel ipsis eruditorum primiceriis ignoraretur, & adeo sphalmatibus inquinata, ut Oedipum lectorem requireret. Atque hæc fere causa fuit, quare inter tot litterarum instauratores solus Campanus, qui toties suis scriptis pollicitus immortalitatem est, hæctenus pulvere ac sordibus obrutus latuerit, quando quidem & Cl. Daenius, qui, cum Ravennas ederet epistolas, adjecit Campani quasdam, sed breviores, fatetur, *se quo minus longiores iisque meliores adderet, σφαιματων infinitate deterritum*, in Epist. Reines. Ep. XL. Dignus tamen visus fuit hic scriptor & Daenius & Reinesio, qui se in vicem de perversa ejus lectione consularent, quemadmodum ex Epistolis Reinesianis XL, XLI, XLIII & XLV patet. Et

dedit quidem in hac editione operam diligentem *Menckenius*, ut obscuritas, quantum fieri potest, tolleretur omnis, & Epistolæ (non minus quam Carmina) integræ prodirent; quamobrem & novem libris Epistolarum Appendicem adjecit earum epistolarum, quas Fernus sub titulo Censurarum seorsim in Operibus Campani disposuerat, quippe censuras in Quintilianum, Suetonium, Plutarchum, Livium, Ciceronem longe elegantissimas & lectu præ ceteris dignissimas continentes. Præmissa est huic editioni Vita Campani, e Ferno excerpta, & notis ab Editore illustrata, in quibus inter alia refutat Jul. Cæsarem Capaccium, qui L. II Hist. Neap. Sueffam Campano patriam adscripsit, cum Cavellis, ignobili Campaniæ pago, natus fuerit; tum & Volaterranum, qui Anthropol. L. XXI, p. 776 Campanum Græcorum expertem vocat & fere quadragenarium decessisse testatur, cum pateat, viginti tres annos natum Græca, Demetrio Chalcondila præceptore, didicisse, & ad quinquagesimum ætatis annum pervenisse; nec non Ughellum, qui in Ital. S. T. I p. 412 a Paulo II Tudertinis præfectum scribit, quod factum demum a Sixto IV; præterea & plura alia e Mabillonii Itin. Ital. T. I p. 196, Benedicti Curtii Symphoriani Comm. ad Aresta Amorum p. 738, Varillasii Anecd. Flor. L. IV p. 173 & ipsis imprimis Campani Epistolis & Poematibus observat. Quæ vero de ingenti Campani erga Germanos odio diligenti ejus lectione collegerat, ea sigillatim in Oratione, quam ante sexennium publice Lipsiæ recitatam Epistolis in hac editione subjecit, edisseruit. Ceterum ut una Lectori pateat, qua sermonis elegantia scripserit, quamque fuerit characteris epistolici scientissimus Campanus, non verebimur integram ejus Epistolam XXV Libri V, quæ Venturæ Pontano inscripta est, hoc loco inferere:

Quæris, quod genus Epistolarum maxime probem: sua cuique ratio, suum judicium est. Mibi illæ placent potissimum, quæ sunt familiarissime, quæ mordent, quæ blandiuntur, quæ narrant tanquam in aurem aliquid. Theatrum & plausum non postulant, & ut dicam apertius, eam ego censeo Epistolam elegantissimam, quæ præter gratiam sermonis nihil habeat, cur elegans videatur; ut sit ad manum, quicquid scribas, & excidat, non emittatur; denique

ut lo-

ut loqui ad angulum cum amico, non insonare ad forum videaris. At cur non, inquis, interdum & ad forum, cum ad Senatum aut Populum scribo? Rarum id quidem, sed evenit, & ratio exigit, ut, quocum tibi res sit, videas. Sed nescio, an Epistolam velis dici, quæ in Historiam exeat. Vale. Sic temperare nobis haud possumus, quin nonnulla exscribamus ex Epistola proxime præcedente, ubi Eclogæ & Satyræ discrimen ostendit. *Vult Ecloga, inquit, veluti modos quosdam, ad quos cantet, suaves, expeditos, simplicitatis tamen, sed studii plenos; Satyra præcipites, abruptos, amaros, nequitia felleque confectos, saltantes non ad cantum, sed impetum, ut quicquid dicat, evomat, quicquid attingat, mordeat, tum implicata, suspecta, nodosa omnia, nihil apertum, nisi quod turpissimum, sententias tamen e media ductas Philosophia, multam historiam præteritarum rerum, multam notitiam præsentium, licentiam quoque summam, ut ea objiciat maxime, quæ sunt molestissima, tum salis multum, & facetiarum, & urbanitatis, & ut uno dicam verbo, Satyrorum is dicit optime, qui pessime.* Verum institutum nostrum non patitur, ut plura afferamus specimina; quantam enim Epistolæ doctrinam complectantur, vel Index ab Editore additus docebit. Optamus vero, ut & reliqua Campani opera, imprimis elegantissima ejus Historia Brachii, pari ornatu propediem prodeant.

FRANCISCI PHILELPHI, TOLENTINATIS, Epistole breviores elegantioresque; accedunt Angeli Politiani Epistolæ quædam.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1705, in 12.

Constant pl. 14.

NOn immerito Campano jungimus Philelphum, qui & ipse humaniorum litterarum per Italiam instaurator, illius ætatem proxime attigit. Hujus Philelphi varia scripta profant, in quibus refert Menagius (Suite de Menagiana p. 95) *de Contemptu mundi* librum, & de eo, quod hac occasione obiter notamus, eadem, forte per errorem, narrat, quæ alii de Alcyonii libris *de Exilio* tradidere. Epistolas quidem scripsit

satis elegantes, ita tamen, ut ad Campani Veneres neutiquam accederent; earum duplex, quantum nobis constat, habetur editio, altera in sedecim libros digesta Brixiae anno 1485, altera, quæ multo locupletior, quippe triginta septem libris divisa (teste Mallinckrot de Orig. Typogr. p. 18) Venetiis 1502 edita. Accedit his nunc tertia editio, quam Isidorus Nardus, usus, ut loquitur, originario exemplari, nuper procuravit. Verum non eadem Philelpho, quæ Campano, felicitas obtigit, cum non omnes, sed breviores atque adeo minus doctrina refertæ hic exhibeantur; nec hæcenus ineditas hic expectes, quippe omnes in Brixisiensi, nedum in Veneta editione, occurrunt. Laudem tamen meretur hæc editio, quod Philelphi Epistolis a Nardo, ut Campani a Menckenio, præmissa sunt argumenta. Subjunctæ sunt longe brevissimæ quædam Politiani Epistolæ, qualis illa: *Doles, quod non rescribam. Dolere desine, jam rescribo, Vale.* Item illa: *Dolui rebeementer, letatus sum vehementer; quod egrotasti, quod & convaluisti. Vale.*

TRIAS DECADUM, MEMORIAM THEOLOGORUM NO-
stræ ætatis clarissimorum renovatam exhibens, curante
M. HEINRICO PIPPING.

Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1707, in 8.

Alph. 1 pl. 13.

S*acrum Decadum Septenarium*, de quo abunde dictum est in *Actis* anni 1705 p. 230 sq. continuaturus Reverendus *Pippingius*, Vir ut in colligendis *Actis* nostris, ita in ornanda universa re litteraria indefessus, tres *Decades* nunc ceteris adjungit, eoque *Theologorum Centuriam* complet. His pariter præmissa legitur erudita *Præfatio*, in qua eos recenset, qui intra hoc biennium, ex quo scilicet *Septenarius* ejus prodiit, *Vitas Eruditorum* descripsere. Itaque hic de *Francisci Arisii Cremonæ Literatæ Tomo I* & *Thomæ Smithi Vitis eruditissimorum & illustrium Virorum*, nec non de *Jo. Henrici Cunradi Silesia Togata*, *Casparis Theophili Schindleri* cura nuper edita, agit, simulque nuntiat, *Danielem Guilielmum Mollerum*, Prof. Al-

torfi-

torfinum, in *Lamprandrologia*, quam molitur, *Norimbergensi* eruditos Norimbergæ natos in lucem protracturum. Sic & producit Christophorum Jacobum Bluhmium, qui, exemplo Ephraimi Prætorii, Dantiscanorum Doctorum memoriam refrigerantis, Brunsvicensium Concionatorum Indicem composuerit, & jam similem Hildesianorum promittat, eodemque refert Jacobi a Melle Majorum suorum Notitiam a nobis superiori Mense p. 217, sq. memoratam. Denique, ut alios mittamus, commendat Christiani Feustelii *de Eruditorum Germanorum vitis, contra iniquas Gallorum nonnullorum censuras, speciatim de Βιογράφοις Germanorum, contra Rolandi Maresii judicium* Schediasma nuperrime editum, cujus in Actis nostris mentionem propediem faciemus. Hinc ad suum delatus institutum Cl. Pippingius, non diffitetur, promptissimos se expertum fuisse in communicandis his monumentis eruditos, & in his maxime laudatum modo Bluhmium & Jo. Georgium Layrizium, Aulæ Vinariensis Theologum primarium, quorum ope novas mox Decades se editurum sperat. Interim huic *Decadum Triadi* diutius inhære institutum nostrum non patitur, quare ut in Septenarii quoque recensu fecimus, solum eorum, quorum hic vitæ enarrantur, nomina addemus. Exhibentur nimirum in Decade octava Georgius Crauserus, Balthasar Raithius, Samuel Skunkius, Gregorius Michaelis, Johannes Gebhardi, Casparus a Lilien, Petrus Holmius, Christianus Nifanius, Job. Reinhardus, Job. Eberhardus Busmannus: in nona Justus Siberus, Petrus Bangius, Severinus Waltherus Sluterus, Jo. Gottlieb Mollerus, Ebregott Daniel Colbergius, Jo. Weissenbornius, Olaus Svebilius, Christianus Bremerus, Jacobus Wachtlerus, Laurentius Norrmannus: in tertia denique Fridericus Fabricius, Thomas Honstedt, Paulus Hofmannus, Conradus Feuerlinus, Andreas Carolus, Andreas Daniel Habichhorstius, Jacobus Henningius, Andreas Acoluthus, Jo. Wincklerus & Phil. Ludovicus Hannekenius. His in Appendice addidit Noster Theologorum Ulmensium, Elia Veiel & Jo. Heinrichi Weihenmairi, vitas.

Kurze Fragen von den menschl. Neigungen, 2c.

i. e.

JOHANNIS WOLFGANGI TRIERI QUÆSTIONES
succinctæ de Affectibus humanis.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch, 1707, 12. Pl. 14.

U Titur Autor, ut e titulo patet, methodo erotematica, quam doctrinæ de Affectibus inprimis convenire dicit, quoniam hæc re vera sit propensionum nostrarum examen. Opusculum ipsum divisum est in libros duos, in quibus ubique physicam de temperamentis doctrinam cum doctrina de moribus conjungit. Initio libri I, ubi de natura hominis in genere agit, de facultatibus animæ, voluntate & intellectu, ita sentit, ut neutram imperare alteri, utramque autem imperio temperamenti plerumque subesse, multis verbis demonstret. Quatuor autem constituit vitia cardinalia, superbiam, avaritiam, libidinem, gulam, respondentia quatuor temperamentis, cholericis, melancholicis, sanguineis, phlegmaticis. Exstructa deinde quadam vitiorum genealogia, cui tanquam hypothese reliqua magna ex parte innituntur, statuit, in cholericis semper cum superbia conjuncta esse tria vitia reliqua, avaritiam, invidiam, iram: in melancholicis autem avaritiam tantum reperiri & invidiam, superbiam & iram ob frigiditatem ejus temperamenti ab illis abesse. Hinc de singulis temperamentis agit, naturam eorum exponit, connexionem doctrinæ physicæ cum morali monstrat, & ex physiognomiæ regulis nonnulla inspergit: addit etiam, quæ sit brutorum pro ratione temperamenti indoles, quam miseram homines, si temperamento obsequantur, vitam agant, qua ratione vitia e temperamento orta emendari queant, qua diæta, quo vitæ instituto uti oporteat. Libro secundo mixturam temperamentorum perpendit, & primum generatim de mixtura differens, temperamenta, primas item qualitates, quas vocant, singulari quadam ratione inter se comparat. Sigillatim deinde agit de cholericis-melancholicis, quorum mixtionem pessimam esse judicat, cholericis-sanguineis, quæ temperatura a nonnullis optima est habita, cholericis-phlegmaticis, melancholicis-sanguineis, qui ab aliquibus pessimi mortaliū dicuntur, melancholicis-phlegmaticis, & sanguineis-phlegmaticis, quos omnium minime malos agnoscit. Demum varia monita ad hanc doctrinam pertinentia addit, ut non inutiliter in hoc opusculo versatus videatur Autor. Promittit vero, se mox Observaciones miscellaneas paulo prolixiores de temperamentis & propensionibus editurum.

* * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M D C C V I I.

JO. COCCEJI, SS. THEOL. D. AC PROFESSORIS
in Academia Lugdunensi Batava, Opera cœvenda
Theologica & Philologica.

Amstelodami, apud Jansonio-Waesbergios, Boom,
& Goethals, 1706 in fol.

Alphab. 16, plag. 14.

JAm inde ab anno Seculi superioris quinto supra septuagesimum manibus Eruditorum trita sunt Celeberrimi Viri, Joannis Cocceji, scripta tam edita, quam posthuma, in unum corpus redacta a Filio, paternarum uti facultatum & possessionum, sic virtutum etiam hærede dignissimo, Johanne Henrico. Non credebat ille tunc, futurum, ut & ea, quæ jam exhibentur, ederet, ratus, posteriores cogitationes, quas ibi declaravit Parens, prioribus heic insinuatis dubio procul meliores ac præstantiores censeri debere. Ast cum non una vice ad hæc accederet, consulturus, an quid haberent, quo magis, quam editis, erudiretur, non raro invenit, has priores curas posterioribus lucem haud poenitentiam afferre, meditantibusque plurimam materiam suppeditare posse. Ac licet nonnunquam eadem in his reperiantur, quæ in editis, plerumque tamen stylo adeo diverso tamque familiari concepta omnia testatur, ut sperandum sit, eos, qui quandoque de obscuritate editorum sint conquesti, in hisce inventuros esse, quæ editis dent lucem. Et si fortassis hinc inde reperiantur in his scriptis, quæ cum editis, tanquam posterioribus, haud satis concinant,

nant, promptum hinc futurum innuit Lectori de Autoris profectu judicium.

Ut itaque singula, quæ inedita servata fuerunt, cum cetera typis describerentur, (qua de causa eadem & ἀνεκδότων titulum indepta sunt, quo distinguerentur a prius editis & posthumis, quæ pristinae operum collectioni inserta fuerant,) ab interitu vindicarentur, peculiarem hunc Operum Coccejanorum tomum adornavit Noster, in quo racemationem post vindemiam instituit, atque in fragmentis hisce recensendis & ad prelum parandis per octennium, & ultra, nobiles impendit horas, istum tenens ordinem, juxta quem, quæ libros respiciunt Biblicos, aut integros, aut eorum aliquot majores minoresve particulas, annotationes, juxta ante omnia serie Noster exhibet, & tum Exercitationes quasdam miscellaneas, Orationes item, curas porro Philologicas, ac Epistolarum denique ab ipsomet Coccejo, aut ad ipsum, exaratarum apparatus haud contemnendum subministrat.

Primo loco dantur *Curae Cocceji priores in Genesin*, quas inter primas ejus lucubrationes reponendas venire, ex caractere Noster colligit. Mox adjiciuntur *notæ in eundem librum, ejusque Capita ab undecimo usque ad quadragesimum quartum, quas continuationem vocat curarum secundarum in Genesin*. *Notæ hinc sequuntur analyticae in Numerum & in Deuteronomium, quo ultimo in libro usque ad Caput XXIX progressio facta est. Breves sunt notæ, quæ in Josuam, & aliæ, quæ in librum Judicum contextæ sunt. Post summam rerum ad Jobum dicendarum* (quam antecedit *προβλεψία de ratione interpretandi, qua se ad explicationem Jobi Bremæ paravit*), *Analysis Psalmorum* legitur, meditationes denique primæ in Prophetiam *Jesaiæ & Prophetia Hoseæ analytice illustrata, nec minus Hoseæ & Apocalypseos collatio*, cui jungitur *Habacuci Analysis paraphrastica & cum Cantico comparatio, scripta post theatrum regni Christi in Cantico Canticorum*. A notis in *quinque Capita priora Matthæi, quas tentavit Coccejus in gratiam Elsevirii, Novum Testamentum cum brevibus notis edere parantis, auspiciis fit lucubrationum ejus in Novum Testamentum hæctenus ineditarum, post*
quas

quas spectes *Colloquium Christi cum Nicodemo*, Joh. III, 1—21, *Sermonem Johannis Baptiste περί καθαρισμῶν*, Joh. III, 23—36, *Commentarium in Epistolam ad Romanos*, plane diversum ab edito A. 1665, *Epistolam ad Galatas* harmonica dispositione & brevi verborum ac rerum expositione illustratam, *Διαγράμματα*, summam rerum in *Epistolam ad Colossenses* & ad *Hebraeos* dicendarum delineantia; ac brevem tandem *Epistola Petri prioris* dispositionem atque expositionem.

Generali τῶν συμμίλων nomine ab Editore Clarissimo insignita sunt, quæ jam commemoramus: *Exercitatio*, puta, de *Ecclesie indefectibilitate* ad Matth. XVI, 18. - *Annotationes in posteriorem partem Capitis primi Evangelii Johannis*, inque *Caput secundum & sequentia ad sextum usque*; *Meditatio* in Joh. XIV, 2; *Refutatio cavilli Sociniani* ad Joh. XVII, 3; *Consideratio Capitis V Epistole ad Romanos*, cum examine *Parhermeniarum Socini*; *Explicatio analytica Capitis IX Epistole ad Romanos*; *Consideratio locorum Apoc. XI, 2. 3. 7. 8. 9. II. 15. XII, 6. 14. XIII, 5. Dan. VII, 25. XII, 6. 7*; de *Capite XX Apocalypseos cogitatio*; de *peccati natura*; de *divortii justa causa*; *Judicium de scripto Wolzogenii de Scripturae Interprete*; *Consilium de agendis ad incitationem studiorum Theologorum ex usu Academiae & Ecclesie Frisicae*; *Responsio ad quæstionem: an Theologia Studio prius Philosophia discenda, an vero Lingua sancta?* *Exercitatio de Linguae Hebrae analogia, utilitate, necessitate, & discendi methodo*; *Hebraismi aliquot & Hellenisticae locutiones ex Novo Testamento*; *theses de Synedrio & Judiciis, exterminio, anathemate & separatione a Synagoga sive Ecclesia.*

Inter *Orationes* (præter inauguralem de *Philologia Sacra* supra notis in *librum Judicum* subnexam,) prima est *Græca*, quam ad *Martinii*, ipsum exercere cupientis, jussu de *Turcarum religione* composuit, quamque *Celeberrimus Joannes van der Wayen* *Genero suo*, *Creightono*, *Latinitate donandam* porrexit, *cujus proinde versio Græco textui apponitur.* *Secunda agit de dono linguarum effuso in Apostolos.* *Tertia linguarum studium commendat.* *Quarta, omni regimini, quod a Deo est,*

obediendum esse, probat. Quinta, quis liber sit & liberatis? dispicit.

Plura circumspicientibus se offerunt observationes de *distinctiori significatione selectarum vocum linguae Hebraicae ex usu Scripturarum*, secundum ordinem Alphabeti, sed eae ad finem haud perductae. Mirari quempiam posse dicit Editor, quare illas Autor non inseruerit *Lexico*, quod postmodum in usum Serenissimae Principis, Mariae Eleonoraë Palatinae Viduae conscripsit. Sed quum id operis inchoaret, animum ei fuisse dicit brevitatis studiosum, cum contra in his observationibus paulo fuerit prolixior.

Agmen claudunt Epistolae CCCCXCVII, quarum non paucas ad alios Coccejus ipse perscripsit, sed plures longe ad se datas recepit a Viris omnino doctissimis & celeberrimis, quos inter sunt Jacobus Altingius, Nicolaus Arnoldus, Abrahamus & Franciscus Burmanni, Johannes Buxtorfius, Ludovicus Capellus, Ludovicus Crocius, Johannes a Dalen, Constantinus l'Empereur, Jo. Frischmuthus, Johannes Fredericus Gronovius, Franc. Gomarus, Jo. Hornbeckius, Jo. Henr. Hottingerus, Antonius Hulfius, Samuel Maresius, Guil. Momma, Stephanus le Moyne, Antonius Perizonius, Christianus Revius, Andreas Rivetus, Frid. Spanhemius, Jacobus Triglandius, Jo. Valckenier, Christophorus Wittichius, aliique. Addidit eas Filius de manibus paternis quam optime meritis, tum ut plurimae intelligerentur Parentis responsoriae, tum ut patefierent argumenta, super quibus Viri Clarissimi eum saepius consulere voluerunt, tum ut constet, quomodo olim a maximis tam in patria, quam extra eam Theologis ejusdem studia probata fuerint.

BRABANTIA ILLUSTRATA, CONTINENS ACCURATISSIMAM omnium Castellorum & Pratoriorum nobilium Brabantiae &c. descriptionem, ex museo JACOBI LE ROY, P. R. J. Baronis, nec non Toparchae S. Lamberti.

Lugduni, apud Daniel. van den Daelen, Amstelodami, apud
 Andream van Damme, Hagæ Comitum, apud
 Engelbrechtum Boucquet, 1705 in fol.
 chart. regal.

Alphab. 5, plag. 7 & multis fig. æneis.

Quod diu minatus erat splendidum sane opus Perillustris
 ac plurimis in rempublicam litterariam meritis inclytus
 Autor, quodque in Actis Suppl. T. II Sect. VI, cum Topogra-
 phiam ejus Historicam Gallo-Brabantiaë recenseremus, publico
 sperare fecimus, illud Amstelodami A. 1696 sub titulo: *Braban-
 tia Sacra & Profana scenographice illustrata*, primum in lucem
 prodire passus est. Primarias ibi Ducatus istius urbes, præto-
 ria insuper & castella nobilium ut & celebriora cœnobia mi-
 rifica arte exsculpta præbuit, sed absque ulla fere, quæ historiæ
 studiosos allicere possit, locorum descriptione, ad alios potius
 autores in confecto duarum plagularum indice curiosum Le-
 ctorem remittens. Ecce vero alteram libri editionem, in qua
 licet titulus paululum sit mutatus, non tamen mutata apparent
 elegantissima schemata, quin concinniore adhuc ordine, in qua-
 tuor puta agros, Lovaniensem, Bruxellensem, Antwerpiensem,
 & Sylvæ Ducensem dispertita, ac triplici idiomate, Latino ni-
 mirum, Gallico & Belgico copiose satis descripta, nec non
 chartis quatuor districtum istorum topographicis aucta in con-
 spectum veniunt. Neque intra hosce cancellos tantum sub-
 stitit incomparabilis Viri diligentia, sed quoniam arcibus præ-
 dictis atque terris variarum dignitatum, Baronatus, Comitatus,
 Marchionatus, imo & Principatus titulos imposuisset Principum
 erga illarum possessores favor, diplomata, quibus istud gratiæ
 emanavit, ab A. 1518 usque ad A. 1694 longa serie adjunxit. Quo
 ipso quantum historiæ atque genealogicæ rei lucis accenderit,
 quilibet visus non plane hebetis deprehendet. Docet præte-
 rea, antiquos Brabantiaë Duces, si Carolum Audacem exceperis,
 nullos Comites aut Marchiones, multo minus Principes creasse,
 sed tantum viginti & tres Baronatus, de quorum tamen origi-
 ne nihil certi e Tabulariis publicis constet, ibi extitisse, præeunte

Divæo, observat. Ab illo ævo increbuisse nimis honores, ita ut tandem, ne multitudine sua vilescerent, Caroli II Hisp. Regis sanctione opus fuerit, quæ vetat quenquam in Collegium nobilium recipi, nisi a quatuor generationibus nobilitatem suam probasset, & si Baronis locum ambiret, quatuor millia florenorum, si Comitis aut Marchionis, decem millia, si denique excellentius adhuc fastigium prensaret, viginti millia e terris aliisque redditibus dominicis annuatim se percipere demonstravisset.

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOMATIBUS &c. Disceptatio II ad R. P. D. JOANNEM MABILLONIUM, Monachum Benedict. Auctore P. BARTHOLOMÆO GERMON, Societ. Jesu Presbytero.

Parisiis, apud Claudium Rigaud, 1706 in 12.
Constat plag. dimidiat. 36.

Longius produci videmus bellum hoc diplomaticum, majoreque animi contentione adgressorem pugnam renovare, quam sub initium forte suspicari licuisset. Postquam nempe artis diplomaticæ conditor Cl. Mabillonius Supplemento suo, mense Augusto superioris anni a nobis prolato, Doctiss. Germonium cum Disceptatione sua, quam itidem paulo ante recensuimus, repellere ac tantum non conficere præsumsisset, grave hic sibi duxit victas manus ostendere, aut prælio saltem dubio elabi, quin potius causæ suæ fiducia acrius jam instat, Fontanio quoque, Mabillonii promacho, certos brevi ictus minitans. Neque tamen modestiæ erudito seni debitæ immemor hac vice videtur, sed offensionem ejus asperioraque verba in Supplemento contra se, proprio licet nomine ne semel quidem appellatum, passim dispersa non effugere se potuisse dolet, & quandoquidem argumentis suis nondum satisfactum putat, etiam atque etiam ab ipso contendit, ut ne moleste ferat, se denuo consuli. Præsens autem hæc disceptatio in quatuor divisa est partes. Prima generales illas rationes, quibus

quibus edita olim a Mabillonio vetustiorum diplomatum specimina suspecta reddere conatus erat Noster, pluribus defendit. Ideo namque eorundem veritatem probari oportuisse ingeminat, quia singulare hoc privilegium iis tribui observet, ut ceterorum norma sint & regula; neque amplius provocari posse credit ad legis auxilium, quod instrumenta proferens non teneatur argumenta conquirere, quibus illorum *αὐθεντία* certam faciat, & ab eo potius sit exigendum, qui instrumentum reprobatur, ut idoneam afferat rationem, cur id debeat reprobari. Illud enim habiturum fore locum, quoties diplomata aliorum documentorum sortem probandi retinerent, non vero quando ad ea, tanquam ad trutinam, reliquorum veritas expenderetur, sed tum indubitatis plane & perspectis ad demonstrandam illorum certitudinem rationibus opus esse. Cum ergo artem diplomaticam instituerit Mabillonius, certas tradens vera a falsis instrumentis discernendi regulas, suspectis tamen chartis unice innixas, fundamentum hoc prius omni falsitatis specie liberandum venire, quam fides illis adjiciatur, tantum abesse, ut seu juris aliqua praesumptio, qua vera censentur diplomata, quaecunque non probantur falsa, seu Mabillo-nii autoritas & iudicium, seu conjecturae denique prudentissimae rem expediant. Nam quod vetustissima jactentur illa diplomata, illud ipsum suspicionis ansam firmare, cum creditu haud ita facile sit, tam caduca corpora, qualia sunt membranae & chartae Aegyptiacae, per annos nongentos, mille aut etiam plures integra durasse, praesertim si ad remotiorum istorum temporum incuriam respiciatur. Quaestionem igitur facti: num adhuc hodie extent in Ecclesiarum Monasteriorumque Archivis chartae barbaro quodam & obsoleto scripturae genere exaratae, priscorum Francorum Regum & antiquitatis notam praeseferentes? neutiquam attendi debere, sed illam potius, quae juris est, an scilicet chartas illas, quae apparent antiquae, re ipsa antiquas, iisdemque temporibus, quorum signa ostendunt, scriptas esse constet, neque ex earum censu, quas falsarii ad verarum similitudinem confinxerint? Enimvero impostorum hujus farinae audaciam valde nimis invaluisse, istoque

stoque crimine se maculasse clericos, monachos, notarios, scribas, pædotribas, seculares, imo & fœminas; quin & collegia prope nulla, paucissimas certe Ecclesias, aut familias, a falsarum tabularum labe esse immunes, ipse Mabillonius disertis verbis affirmaverat, cur itaque neget jam ac perneget, tam multa occurrere Ecclesiarum seu Monasteriorum interpolata instrumenta, merito mirandum esse, siquidem hæc duo asserta egregie sibi contradicant. Priore autem admissio non vanum profecto subesse timorem, ne autographorum illa specimina, quorum veritas in apurum nondum est perducta, ex illorum fortasse sint numero, quæ falsatores corruerunt aut fabricati sunt. Sive enim scripturam, sive orthographiam, sive stylum denique eorum examines, nihil sane testimonii inde eviceris, quod de illorum veritate docere queat. Non e scriptura, quia diplomata illa, maxime Merovingica, specialem quendam litterarum ductum teneant, neque in istius ævi numismatibus, nec in inscriptionibus lapideis, nec codicibus manuscriptis, nec privatorum epistolis obvium, præterea quoque Mabillonius nullibi inficias eat, falsatoribus usitatam fuisse eandem scripturam Merovingicam. Non ex orthographia, quippe cum in chartis illa Meroveadum nullis plane legibus deprehendatur adstricta. Neque etiam ex stylo, quandoquidem nullus istorum temporum scriptor in Latini sermonis regulas tam frequenter, tam aperte impingat. Nam quod Marculfianas atque Andecavienses formulas attinet, incertum adhuc esse, utrum Autorum, an librariorum vitio menda illa irreperint. Eo itaque tanquam centrum versus abeunt hæc dicta Germonii, posse aliquam de diplomatibus iudicandi scientiam usu & experientia adquiri, sed non adeo certam, ut Mabillonius opinetur, qui in Supplem. C. IV pronuntiaverat, nullum instrumentum tanta arte effingi vel refingi posse, cuius falsitas vel interpolatio a perito antiquario detegi nequeat. Vix enim licere tam evidenter ejus ἀυθεντία cognoscere, ac metallorum, auri puta atque argenti sinceritatem, quoniam hæc ars naturam omnibus numeris implere, sicque fraudem satis callide obvelare haud valeat, ibi vero istud saltem oporteat effingi, quod olim No-

tarius effinxit; difficultas certe aliqua, non tamen insuperabilis. Atque ut fortius stringat adversarium, quærit ex ipso, an non acciderit, cum peritissimus harum rerum æstimator & arbiter habeatur, ut litigantes, priusquam judicem adirent, ipsius de instrumentis suis iudicium efflagitaverint, ipseque nonnunquam legitima dixerit instrumenta, quæ postea iudex oculatissimus spuria compererit? Unde sane constet, eruditum antiquarium usu, vigiliis & experientia sua nihil aliud consequi, nisi ut prudens hisce de rebus arbitrium ferre possit, atque tum si fallatur, erroris veniam ipsum facile inventurum, quam non haberet, si Mabillonii sententiæ foret locus. Cæteroquin minime dubitat, quin recentioris ætatis diplomata vera & falsa certa arte judicari possint, siquidem in Tabulariis publicis subministrentur plurima autographa semper ibi asservata, adeoque per sese fidem facientia, & pro idonea veritatis norma habenda, ad quam alia examinare fas sit. Anteriora vero retro secula cum tali subsidio careant, productaque in medium specimina autographorum Merovingica in privatorum scriniis unice delitescant, nullo autoritatis publicæ suffragio munita, hinc nihil quoque certi iis, utpote suspectis, superstrui posse. Frustra insuper hic provocari ad quendam veritatis gustum, quem longo talium diplomatum usu ac lectione adipisci datur, cum falsorum instrumentorum, vel de quibus ambigitur, verane sint an falsa, inspectio non nisi similem dapibus appositis gustum excitare queat.

Succedit jam altera pars disceptationis, quam totam impendit confutandæ Tabularii San-Dionysiani fidei, quatenus primorum temporum instrumenta continet. In tertia vero parte sigillatim ac perquam erudite examinat Diplomatum specimina a Mabillonio adducta, quorum fide ars ejus potissimum nitatur, illaque vacillante & hanc ruere necesse sit. Verum utramque citra prolixitatis tædia delibare integrum amplius non est, quin potius Lectoris sciendi cupidi, quantum distent lupinis æra, attentæ perlustrationi commendamus. Quarta superest, in qua criminationes nonnullas a Mabillonio, ut dicit, falso sibi impactas Noster amolitur.

Diplomatica libros post viginti annorum laborem & vigilias ab eo editos ad trutinam vocare ausus esset obscurus ipse ac nullius nominis scriptor; quod impugnando vetusta illa autographa jus publicum pariter ac privatum violasset; quod universis veteribus instrumentis bellum indixisset; quod veterum Scriptorum fidem iisdem argumentis convellere liceret, quibus Artem Diplomaticam evertere tentasset. Ad eas autem ita ordine respondet: sibi nequaquam persuaderi, propter pertinacem tot annorum laborem & industriam omnes Mabillonii auctoritati se subicere debere, aut ab eo solummodo feliciter impugnari posse illius de Re Diplomatica libros, qui totidem annos in eodem argumento trivisset, sed Historicos modo coætaneos diligenter evolvi oportere, tumque eorum testimonio instrumentorum nævos atque vitia sat clare demonstratum iri. Porro permagni Reipublicæ interesse, spuriorum Diplomatum maculas in lucem protrahi, quippe cui non minorem inferat perniciem, qui dubia pro certis, falsa pro veris obtrudat, quam qui ob levissimas ratiunculas veterum instrumentorum fidem elevare contendat; utrumque enim noxium esse ac vituperandum, sive fides temere detrahatur vero, sive imprudenter falso adjiciatur. Se vero nunquam induxisse in animum, ut quibuslibet veteribus autographis dicam scriberet, sed illis duntaxat, quæ primæ & secundæ Dynastiæ nomen præ se ferrent, ac totius artis Mabillonianæ fulcra essent sola atque unica. Neque enim suspicione aliqua se onerasse veteres chartas, quæ vel in Tabulario Romanæ Ecclesiæ, vel in Parisiensi Computationum Camera, vel in Regio Chartarum Thesauro aliisque Grammatophylaciis publicis habentur, vel alia denique, quæ in privatorum pluteis reperta cum istis consentiant, siquidem illa imprimis in his locis ab omni memoria extiterint sancte religioseque custodita, ideoque humanæ societatis & prudentiæ legibus consonum fore, ut quæ fere semper vera sint, nec nisi rarissime falsa, ea tantisper vera ac legitima reputentur, donec contrarium fuerit ostensum. Quod si igitur Mabillonius, vel quis alius, excussis sedulo ejusmodi instrumentis publica auctoritate repositis, regulas

las statuisset, quibus cetera aut ejusdem aut saltem non multo superioris ætatis monumenta vera a falsis secernantur, statim se calculum adjecturum fuisse innuit Autor. Veruntamen Mabillonium istud minime præstitisse, imò potius ea conquisivisse Diplomata, quibus nulla suffragentur Archiva publica, figendo pedem in tertia Regum Dynastia, unde pensum fortasse ordiri habuisset. Utcunque vero ars diplomatica Mabillonii convulsa foret & disjecta, quod quidem a se factum nullatenus jactitat, nihilominus haud licere veteres chartas omnes in classem suspectarum relegare, sed eandem illis remansuram conditionem, quæ fuerat ante editos ejus de Re Diplomatica libros; falsis nimirum & dubiis, quæ tunc erat, inveteratam labem, certis e contra & perspectis auctoritatem suam & fidem. Denique dicta de vetustioribus instrumentis ad alia veterum scripta & libros attemperari nullo modo posse, quoniam hæc propter exemplarium multitudinem & consensum omnem satis suspicionem eludant, nec probabile fiat, homines patria, ingenio, moribus ac studiis diversissimos in id conspirasse, ut posteritati tot supposititiis ejusmodi scriptis fucum facerent. Huic tandem Apologiæ suæ Appendicem annectit de quibusdam codicibus S. Augustini, quibus etiam nimis detractum fuisse Mabillonius non sine stomacho conquestus erat. Ubi postquam multa de utilitate & pretio exemplarium manuscriptorum præ libris impressis, de præstantia item horum præ illis, nec non de cautione summa atque examine, quo præeunte manu exaratos codices recipere fas sit, erudite disseruisset Noster, illos qui Augustini editionem novissimam curarunt, codicibus, quos Hincmarus, utpote a Gotscalci fautoribus adulteratos, falsi quondam convicerat, imprudenter adhæsisse taxat. Parem quoque oscitantiam commisisse editores Operum B. Hilarii velut in transitu monet, qui lectionem Felicis Orgelitani, Nestoriana hæresis patroni, quam is in verbis: *carnis humilitas adoptatur, pro adoratur*, astute olim substituerat, retinere non sint veriti. Atque hæc sunt, quæ ex Cl. Germonii libello eristico, verbis fere interdum ejus ipsissimis, ne mentem illius ulla ratione inverteremus, proponere visum est.

*PATENÆ ARGENTÆ MYSTICÆ, QUÆ
Foro-Cornelii in Cathedrali Ecclesia S. Cassiani colitur,
Descriptio & Explicatio. Autore JOANNE PASTRI-
TIO, Dalmata Spalatensi, Philosophiæ ac Theologiæ Do-
ctore, atque in Romano de propaganda fide Colle-
gio Theologiæ Polemicæ Lectore.*

Romæ, apud Antonium de Rubeis, 1706, in 4.

Alphab. I.

Petrus, cognomento Chrysologus, Archi-Episcopus Raven-
nas, paulo ante mortem suam, cum ad solum patrium, (ubi
& supremum obiisse diem perhibetur,) Forum nempe Corne-
lii, diverteret, Templo Cathedrali Divi Cassiani Martyris præter
alia dona & patenam obtulisse dicitur argenteam, identidem
deauratam, magnitudinis palmum Romanum paulo exceden-
tis, unciarum quatuordecim, quam, cum figuris & characteri-
bus non unis insignita sit, mysticam appellat, multoque studio,
quid sibi velit quodlibet insculptum, declarare nititur Claris-
simus *Pastritius*. Et patena quidem, quam æri incisam in
TAB. V. tabula V exhibemus, in medio, ubi collocanda hostia, agnum
sistit, tanquam occisum, super mensam, velo aut pallio cooper-
tam, collocatum, sed capite tamen & dorso elevato vitulum
una referentem. Supra dorsum agni eminent magna & lata
crux aurea argenteis bracteis terminata, ut idem agnus & cruci
adhærens & mensæ appositus compareat. Velum, quo men-
sa tegitur, literas L & C aliquoties repetitas, & modo in situ
recto, modo in transverso positas, duo item foramina seu pun-
cta, & characterem cifræ 2 assimilatum repræsentat. Sed & ro-
sa octo foliorum, figuræ, quam in medio eminere diximus, sub-
strata cernitur, & ex hisce foliis quatuor literata sunt, literasque
peregrini prorsus ductus & obscuri continent. In extremo
autem fere circulo aut labro patenæ duo leguntur versus La-
tini, hujus tenoris: *Quem plebs tunc cara crucis agnus fixit in
ara, Hostia sit gentis primi pro labe Parentis*. Genuinam hanc
esse Petri Chrysologi patenam constans est Foro-Corneliensium
tra-

TAB. V.
ad A. 1707. M. Jul.
pag. 300.

PATENÆ MYSTICÆ

IPSISSIMVM ECTYPON

GENITIS PRIMI PRO LABE PARENTIS + QVEM PLEBS TVNC CARA CRVCIS AGNVS FIXIT IN AR.A. HOSTIA FITT



IN FORO CORNELII

S. PETRI CHRYSOLOGII

E. Andre-Sohr. sc. Lips.

ARVA
1870
C. W. CURTIS

THE
MOUNTAIN
STATE
COURT



traditio, quam & firmare Noster pro virili nititur. Equidem plurimos sibi ipse movet scrupulos, quos tamen & eximere sibi æque ac Lectoribus suis allaborat. Ipsos hosce versus, quos modo allegavimus, Leoninos esse, ac propterea antiquitatem temporum Chrysologi haud sapere, obtendit. Sed rhythmi Carminis aliam esse rationem dicit atque Leonini: posterius enim hoc per plures versiculos continuari, prius autem paucis lineis terminari, Leoninumque proin recentius, rhythmicum vero & antiquis familiare fuisse autumat. Literas insuper versiculorum videri posse recentiores Chrysologo, objicit, & Gothicis prope similes. At, si vel maxime ita se res habeat, Gothicas certe literas Chrysologi ævo Ravennatibus non ignotas fuisse censet, quanquam Latinas potius has pronunciare velit, quas tamen de industria Chrysologus nonnihil immutari fecerit. Sicut autem, quod ad figuram agni attinet, conijcere cuius facile est, quomodo eam Noster interpretetur; ita caput & dorsum elevatum, quo vituli saginati inducatur figura, hoc notare vult, quod Pater cœlestis Filium suum credentibus in epulum lætitiæ præparaverit. Sed nodos multo difficiliore nectere Autorem videmus circa literas & characteres, in quibus exponendis Religiosum aliquem, cuius nomen consulto reticet, jam A. 1643 occupatum fuisse narrat. Ejus mentem huc redisse innuit: Notas in velo mensæ expressas Anni 448 referre numerum, ita, ut C. C. D. L. L. 2. J. perinde sit, ac si scriberes: CC CC II L, totidemque annos Christi effluxisse usque ad tempus, quo patenam istam elaborari jussit Chrysologus. Literas vero in foliis rosæ expressas Græcas esse, & initiales quidem abbreviatasve vocabulorum, quæ is formavit, sequentium: *Μαρία μήτηρ τῶν χριστῶν σωτῆρον*, quæ significare ipsi creduntur: *Maria Mater Christi Salvatoris*. At enimvero, quam infelici cum successu Oedipi vices Interpres hic sustinuerit, nemo, nisi plane ἀναλφάβητος, non intelligit. Videamus autem, quam Nostro vicissim calcare viam allibuerit. Literas in velo a mensa, cui impositus est agnus, pendente conspicuas pro more forte antiquo se oculis offerre

censet, juxta quem in vestibulis pretiosis & sacris, honoris & reverentiae causa, literae repraesentari sueverint, unde opus haud sit, ut in earum significationem ulterius curiose adeo inquiratur. Ast nihilofecius praestare Noster autumat, & haec mysteria quaerere, indeque per literam C aliquoties repetitam & diversimode collocatam divinitatem & humanitatem Christi, perque duo foramina seu puncta duas in Christo operationes, humanam & divinam, designari contendit. Duo porro, quae haec conspiciuntur, L in positu recto, & unum L conversum significare posse arbitratur duas naturas sub una persona verbi. Ino & characteres istos habet pro dictionum initiis, ita, ut tria C inferant haec: *Christus Confixus Cruci*, ubi C semel conversum vel affectum ostendat, quandoquidem Christus non raptus fuerit vi, sed quia voluerit, (conversionem etenim amorem significare vult) vel actionem indicet adversariorum in crucifixione valde hostilem. De tribus L sic censet, quod primum significet Leonem, & conversum itidem, sed prius istud Leonem de tribu Juda, posterius Leonem Diabolum, unde ex tribus istis literis emergat sententia: *Leo Laetit Leonem*. Sed quid de characteribus rosae, ad quam supra provocavimus, ex mente Nostri fiet? Graecas partim literas, partim, & plurimas quidem, Hebraicas esse totus sibi persuadet. In primo folio rosae duas, quas pro Graecis agnoscit, literas ST haberi vult, quae *σταυρον* seu crucem denotent. His statim jungi Hebraicam, nempe N, quae litera nominis Adam prima sit. Hinc duas comparere itidem Hebraicas in secundo, duasque in tertio, & unicam in quarto folio, quod ultimum & Graecas illas ST repetitas monstrat. E quinque istis tres dicit esse literas constituentes nomen Hevae וְהָוָה , quibus praemittatur ו copulativum, medium vero ו in nomine וְהָוָה ait duplicari, ita, ut alterum rectum sit, & alterum adversum, indeque sensum hunc emergere: *Cruce. Adam. Et Heva. Cruce*. At enimvero litera fere nulla, ceu ocularis quemque docet inspectio, cum exacte referat eam, quam referre ex mente Nostri debet, ideo is in ipsa forma a consueto more pingendi literas istas Hebraicas manifesto admodum discrepante mysteria quaerit singularia: v. g. figura, quam

Quam pro litera **N** venditat, quoniam tectum duobus hastilibus recta descendentibus junctum æquali linea non habet, sed ejus loco ductus repræsentat quasi saltus quosdam edentes, hique ipsi modo elevantur, modo deprimuntur, modo iterum elevantur, innui hac variatione judicat sublimem primo statum innocentia, in quo Heva fuerit condita, lapsum deinde ejus, ac tandem reparationem per Christum factam. Loco unici cum duplex Vav adhiberi in nomine **וַיְוָו** statuatur, alterumque adverse positum sit, mulierem idcirco primam & secundam, seu Hevam & Mariam, sibi invicem opponi affirmat. Vav insuper cum in figura sua uncum referat, literaque ista hoc loco solito exhibeatur major, ostendi putat, quod Heva uncus velut in ruinam ingentem posteros trahens evaserit. In caractere, quem pro litera **N** venditat, cum superius cornu deesse palam deprehendat, factum id esse censet ideo, quod gratiam, quam a Deo habuerit Adam, ipse, & cum ipso genus humanum, perdidit. Tam profunde doctum se Hebraica in literatura paucis his in elementis probavit Chrysologus, si fides nostro habenda est Palstritio, qui quidem si in hisce conjecturis applausum haud obtinuerit, placebit tamen plerisque, ubi vitam Petri Chrysologi paulo recenset accuratius, suoque tractatui gratiam haud levem conciliat.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE
des Sciences. Année MDCCV.

h. e.

*HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM
Anni 1705, cum commentariis Mathematicis
& Physicis.*

Parisiis, apud Johannem Boudot, 1706, in 4.

Const. 3 Alph. 1. plag. cum multis figuris
& 8 Tabb. æneis.

UT hujus quoque Voluminis, quo antea consuevimus, more excerpta demus absque ambagibus, non ignorant rerum natu-

TAB. VI.
Fig. 1.

naturalium scrutatores, si globo vitreo DE cum tubo similiter vitreo & in C recurvo continuo includatur aer & tubus ab E usque ad aliquam ejus partem brachii AB liquore quodam repleatur, sitque orificium tubi A apertum, aeris inclusi volumen non solum mutato calore, sed & pondere aeris externi mutari. Quoniam itaque aer externus in hanc machinam solo pondere agit, eam loco barometri marini adhiberi posse animadvertit *Amontons*, cum effectus non impediatur, ut ut perpetua navis agitatio situm ejus verticalem immutet. At aer pariter atque liquor inclusus nunc condensatur, nunc rarefcit pro diverso aeris externi statu. Turbantur igitur observationes circa pondus aeris externi variatum ope hujus instrumenti instituendæ. Ad has turbas minuendas, suadet *Amontons*, ut eligatur tubus, cujus exigua admodum sit diameter, ut exiguam liquoris quantitatem capiat, utque infundatur liquor rarefactioni non admodum obnoxius, qualis est oleum tartari. Ad eas vero prorsus tollendas duplicem adhibet, ut Cl. *Hookius* in suo Barometro marino, (de quo dictum est mense Aprili A. 1702) graduationem, quarum altera fixa instrumento respondet, quatenus est thermometer, altera mobilis, quatenus barometrum. Quantitatem totius graduationis barometricæ invenit, gravitate specifica liquoris cum duobus pollicibus Mercurii, integram in barometro communi graduationem absolventibus, comparata, eandemque in 24 partes æquales divisit. Graduationem thermometricam ope alicujus suorum thermometrorum investigavit, eamque tali tempore inscripsit, quo teste alio barometro pondus aeris non variabat. In observatione ex thermometro, unde graduatio thermometrica desumpta, addiscendus est gradus caloris & ad hunc dimidium graduationis barometricæ reducendum; ita enim liquor indicabit gradum ponderis atmosphericæ in graduationem mobili. Deprehendit *Amontons* per observationes complures, barometrum hoc marinum barometro ipsius rectificato (de quo dictum est mense Octobri A. 1706) ἀκρίβειαν tantum non dubiam reddere. *De la Hire* filius per observationes didicit complures, acus magneticas, si perfecte similes fuerint, ut ut virtutem magneticam




Fig. 3.




Fig. 6.




Fig. 8.



Fig. 4.




Fig. 10.



Fig. 5.



Fig. 9.




Fig. 7.




Fig. 2.




Fig. 11.






Fig. 1

Fig. 2

Fig. 3

cam a diversis magnetibus contraxerint, in eodem tamen loco declinationem non variare; a differente autem figura earundem aliquam declinationis varietatem proficisci: quod ultimum jam ante annos bene multos a R. Dn. *Neumanno* (cujus jam alibi in Actis nostris facta est mentio, nempe A. 1696 p. 399 & A. 1697 p. 313) sedulo rerum naturalium scrutatore, observatum esse meminimus. Multæ etiam observationes circa hanc declinationem passim habitæ afferuntur & inter se comparantur, ex quibus bonitas systematis *Hallejani* A. 1684 mense Augusto a nobis descripti manifesta evadit. Plurimum hoc anno defudarunt Mathematici Parisienses in vera condensationis & dilatationis aeris lege exploranda, quam *Mariottus* in Tract. de Motu aquarum p. 140 & seqq. variis experienciis inductus hanc fecerat, quod condensatio sit constanter ponderi superincumbenti proportionalis. Experienciæ ab illis factæ legi huic primum contradicere videbantur; ast quam accuratissime reiteratæ cum ea pulcherrime conspirabant, si exiguas quasdam irregularitates excipias, a diversa diametri magnitudine in diversis ejusdem tubi partibus petendas. Hoc tamen non obstante tandem deprehensum est, aerem liberum ab eo, qui tubis includitur, prorsus diversum existere, nec legem *Mariotti* ullatenus attendere, minus quippe dilatationi obnoxium & in diversis altitudinibus inæqualiter dilatari solitum ob heterogenea admixta. Observatum ulterius, quod duo barometra similia, eodem Mercurio repleta & in eodem loco posita, nunquam exacte conspirent. Unum inprimis 18 plerumque vel 19 lineis a reliquis perpetuo deficiebat, quamvis tubum inclinatum Mercurius exacte adimpleret, & alius aliusque infunderetur, pristino remoto. Causa tandem hæc deprehensa fuit, quod non multo ante ad maculam quandam abstergendam interiores tubi parietes spiritu vini abluerat *Hombergius*: quam veram esse, iterata ista ablutione didicit *Amontons*. Enimvero cum etiam in illotis 6 vel 7 linearum differentia sæpissime notata fuerit; poros vitri materiam quandam subtilem in Mercurium gravitantem admittere, *Amontons* sibi persuasit. Materiam, quæ speculis causticis exponuntur, in carbonibus excavatis col-

locantur. Monet vero *Hombergius*, quod carbones ex ligno viridi hunc in usum parari debeant, non sicco. Idem observavit, quod ferventissima æstate minor longe sit speculorum causticorum effectus, quodque imminuatur, si inter speculum & focum vas carbonibus candentibus repletum ponatur, ita ut radii reflexi exhalationes carbonum trajicere teneantur. Nec etiam in calore mediocri majorem unquam speculorum causticorum effectum reperit, quam cum post ingentem ac diurnam pluviam ex nubibus Sol primum emergit. Infertur hinc, tempus observationibus per specula caustica instituendis maxime accommodum esse æstivum ab hora nona matutina usque ad tertiam pomeridianam, Sole nulla nubecula tecto, calore existente mediocri, nec siccitate per plures jam dies continuata: unde ulterius concluditur, vix octo subinde per annum occurrere dies, in quibus conditiones istæ necessariae concurrant. Inprimis vero hic commemorandum est Manometrum, hoc est, nova machina a *Varignonio* ad determinandam rarefactionum aeris in uno loco diverso tempore rationem, vel etiam in differentibus locis eodem vel diverso tempore, inventa. Ecce tibi ejus constructionem. CGHE est tubus, cui ab utraque extremitate adherent vasa BC & DE. Vas BC cylindricum esse debet, ut facilius sit in partes tubi partibus æquales divisio, siquidem ea opus fuerit, & capacitatis vasis ad tubum habeatur ratio. Vasis DE figura arbitraria. Ab initio machina utrinque in B & A adaperata & propter calculi commoditatem axis BC sit verticalis, horizontalis GF per dimidiam tubi longitudinem & dimidium vas DE transeat. Infuso liquore colorato, donec in GF subsistat, foraminulum B hermetice sigillatur, altero in A aperto. Capacitas globi DE capacitati tubi CE & vasis BC sumptæ æquatur, ne forte liquor in H usque descendat, & tubulus flexuosus AD ad impediendam evaporationem additur. Similiter dispiciendum, ne forte vas BC cum tubo CG tot aeris capiat, qui dilatatus extremitatem tubi CE attingat. Ut itaque capacitas tubi atque vasis utriusque accurate determinetur, thermometrum Florentinum, glaciæ circumdari moxque aquæ calidæ immergi jubet, quo ha-

TAB. VI.

Fig. 2.

bean-

beantur termini compressionis ac dilatationis aeris. Quoniam jam spatium B C G tali aere repletur, qualis locum istum tum occupabat, in quo liquor infundebatur; evidens est, quod ex liquoris ascensu ultra vel descensu infra G H ratio densitatis aeris dato quocunque tempore quocunque in loco ad densitatem aeris primitivi determinari queat. Ex. gr. si ponamus ad datum aliquod tempus liquorem ad L usque pertingere, ad datum tempus aliud usque ad K, erit densitas aeris isto tempore ad densitatem aeris hoc tempore ut B C L ad B C K. Variatus calor observationes turbare nequit, quia eadem ratione in aerem conclusum atque externum agit. Equidem si liquor ultra G assurgat, evidens est, columnam aeris inclusi B C G non totum atmosphaerae pondus sustinere; si ultra F, aerem inclusum esse magis compressum externo: quoniam tamen ascensus liquoris nunquam per integram B H fieri, haec vero minima assumi potest, cum ejus magnitudo arbitraria existat, nec inde error aliquis sensibilis proficiscitur. Egregie ostendit *AMONTONS* ope calculi Analytici, quomodo densitates aeris in diversis locis Manometris diversis observatae inter se comparentur, quamque inter se habent, ratio determinetur. Sint scilicet massae aeris inclusi m, μ ; volumina primitiva earundem V, \mathcal{V} ; densitates primitivae D, Δ ; volumina reducta u, v ; densitates reductae d, \mathcal{d} . Erit $V \times D. \mathcal{V} \times \Delta :: m. \mu : ud. v\mathcal{d}$. Quare
$$\frac{V \times D}{ud} = \frac{\mathcal{V} \times \Delta}{v\mathcal{d}} \text{ seu } \frac{d. \mathcal{d} :: V \times D}{u} . \frac{\mathcal{V} \times \Delta}{v}$$

regulae hujus applicationem, quae ob evitandam prolixitatem a nobis praetermittenda. Docet insuper, quomodo experientiae antliae pneumaticae per novum hoc Manometrum verificentur.

In Anatomicis Dn. *Littre*, praeterquam quod insignem cerebri subsidentiam a commotione violentiori, eaque sola lethali, notabili exemplo demonstret, inprimis structuram renum & duplicem matricem curiosius exhibet. Foetus quippe novimestris majores producit renes, racemis uvarum simillimos, ex vesiculis exilissimis, strictissime se invicem contingentibus atque ramis arteriarum, venarum & nervorum adhaeren-

tibus, subsidio microscopii ita contextos visos, ut quælibet vesicula, duabus membranis prædita & fibris carneis reticularibus circumdata, plures quidem canaliculos a sacculis rubicundis, qui sanguine turgidi fibrarum reticularium intervalla occupant, recipiat, sed unicum tantum majorem emittat, qui cum multis aliis concurrens communem demum formet ductum, in pelvim desinentem, urinamque in parvis sacculis secretam & vesiculis infusam exonerantem. E puella vero bimestri vaginam uterinam sistit, in longitudinis circiter medio per septum veluti in duas cavitates æquales, ad duas distinctas matrices per totidem orificia tendentes, diremtam, licet cuilibet utero non nisi una tuba, unum ovarium, unum ligamentum rotundum, unumque ligamentum sit latum. Dn. *Poupart* sub utrorumque obliquorum & transversalium muscutorum abdominis annulis immediate duo teretia ligamenta abdominis suspensoria notat, a spina ossis pubis excurrentia & osium ad instar indigitatos tres magnos musculos sustinentia. Quas novas Dn. *du Verney* de Auribus Societati communicasse dicitur Observationes, haud dubie suo de Auditus organo Tractatui curabit inferi, aliquando locupletiori non minus edendo, quam quæ ab eodem accuratior genitalium descriptio ejusmodi insectorum, quæ duplici gaudent sexu, promittitur.

Gratiola quanto solennius drastica, humores per superius & inferius guttur evacuantibus, annumeratur, tanto diligentius a Dn. *Bolduc* ad examen vocatur, quo diversi ejus innotescant effectus, si vel cum lacte infusa, vel radix ipsius, vel præparata varia propinentur. A gratiola namque lacti infusa, cum asciticorum aquas, tum lumbricos, sine omni violentia eliminari; radicis pulverisatæ drachmam dimidiam in dysenteria æque, ac radicem Ipecacuanha, conferre; a succo expresso, depurato & inspissato, saporis acidi amaricantis & adstringentis, urinam magis, quam sedes, moveri; Extracti autem e magmate residuo cum aqua parati amarioris majorem & quantitatem & in purgando efficaciam haberi; Extracti tamen foliorum aqua facti vim catharticam, quamvis uperiores simili Extracto radicis, multum excedi ab Extracto spiritu

spiritu vini elicito. Quia vero aqua majorem particularum copiam, quam spiritus vini, e gratiola exsiccata extrahat, merito hæc de sale essentiali plus, quam de resina participare colligitur: ejusque radix recens adeo humida juxtim innuitur, ut exsiccandum inter vel tres quartas amittat. Dn. *Godofredus* a Chymicis scire avet, num cineres reperiantur omnis ferri expertes? ne successu ulteriori in ferro ex sulphure, sale vitriolico & terra arte producendo frustretur, verum certior potius reddatur, an non inter lignorum combustionem ipso trium istorum principiorum coalitu ferrum generetur; cum ipse nondum ullos cineres talibus particulis, quæ magneti non adhærescant, penitus destitutos valuerit deprehendere. Dn. *Homburg* certissimus nulla analysi chymica sulphur simplex, seu quod principii titulum mereatur, posse acquiri, ex compositione demum nonnullorum mixtorum artificialium statuit, principium chymicorum sulphureum, solum in mixtis activum, non nisi ipsam luminis esse materiam. Cujus asserti facilem ab omnibus consensum sibi pollicetur, ubi expendant: 1 materiam luminis esse perquam activam, veluti ratione exilissimarum suarum particularum cunctorum corporum poros promte penetrantem & flammam una cum oleosis constituentem; 2 luminis materiam aliis se insinuare posse principiis, horumque figuram, pondus & molem immutare, ac ipsa diversimode pro mixtis sensibilibus producendis inter se combinare, exemplo Mercurii per se fixati & Reguli Antimonii radiis solaribus calcinati, a solius materiæ luminis accessu, præter qualitates alias, augmentum ponderis obtinentium.

Dn. *Tournefort* in Botanophilorum gratiam nunc characteres, quibus *Morsus Ranæ*, *Menispermum*, *Chrysanthemoides*, *Chamæbuxus*, *Camphorata* & *Ficoides*, tanquam nova plantarum genera, distingui debeant, nunc descriptionem *Caryophylli Sinensis Supini*, *Leucoji folio*, flore vario, nunc suas de plantarum morbis *Observationes*, communicat.

In Arithmetice Dn. *De la Hire* doctrinam de *Quadratis Magicis* (de quibus nonnulla leguntur in *Actis nostris* A. 1668 p. 392) magis promovit, quam ante ipsum fecerunt *Moschopu-*

lus, Græcus, qui primus ex veteribus de eorum constructionibus quidpiam posteritati reliquit in MSC. Parisiis in Bibliotheca Regia asservato, *Cornelius Agrippa*, *Freniole* in Tractatu peculiari, quem anno 1693 post mortem ipsius edidit *De la Hire*, & *Poignard* in libello 1703 de iisdem publicato, in quo omnes antecessores longe prætergressus.

In Algebraicis novam methodum generalem ex æquatione cujuscunque gradus extrahendi radicem proposuit *de Logny*. Expendit scilicet differentias differentiarum quadratorum esse constanter 2, differentias tertias cuborum esse constanter 6, differentias quartas quadrato quadratorum esse constanter 24 &c. Hanc speculationem ad resolvendas æquationes transtulit. Quoniam tamen regula ab ipso proposita, si radix fuerit irrationalis, non nisi terminos radices, hoc est duos numeros unitate differentes, intra quos ea cadit, exhibet, & methodi jam aliæ magis expeditæ radices rationales extrahendi & ad valorem irrationalium oppropinquandi habentur; illam hic exponere nil attinet.

T A B. VI. Repræsentamus potius ejusdem *de Logny* elegantissima theoremata generalia de Tangentibus & Secantibus angulorum multiplo-
Fig. 3. rum inveniendis, ad Trigonometriam perficiendam tendentia. Sit BAC angulus quicumque, cujus quintuplus est minor recto. Sit DAB ejus duplus, EAB triplus &c. erit BC Tangens AC Secans anguli simpli; BD Tangens, AD Secans anguli dupli; BE Tangens, AE Secans anguli tripli &c. Sit $AB = a$, $BC = b$, $AC = c$, $BD = x$, erit $CD = x - b$, $\overline{CD}^2 = xx - 2bx + bb$, $\overline{AD}^2 = aa + xx$. Jam $AB \cdot AD :: DC \cdot CD$, consequenter $\overline{AB}^2 \cdot \overline{AD}^2 :: \overline{BC}^2 \cdot \overline{CD}^2$, hoc est, $aa \cdot aa + xx :: bb \cdot xx - 2bx + bb$. Facta reductione invenitur $x = \frac{2aab}{aa - bb} = BD$. Ergo $CD = x - b =$

$\frac{aab + b^3}{aa - bb}$. Ut porro habeatur Secans AD, fiat $BC \cdot CD ::$

$AB \cdot AD$. Reperietur, $AD = \frac{a^2 + abb}{aa - bb} = \frac{ac^2}{aa - bb}$, si $AC = c$.

Similiter

Similiter inveniatur anguli tripli Tangens $BE = \frac{3aab - b^3}{aa - 3bb}$,

Secans A E = $\frac{C^3}{aa - 3bb}$; anguli quadrupli Tangens B F =

$\frac{4a^4b - 4aab^3}{a^4 - 6aabb + b^4}$, Secans A F = $\frac{ac^4}{a^4 - 6aabb + b^4}$. Inde elicit

resolutiones duorum problematum generales.

Problema 1. Sit radius a, Tangens anguli $x = b$, inveni debet Tangens anguli cx. *Resolutio.* 1. Elevetur binomium $a + b$ ad potentiam c. 2. Sumantur ex hac potentia termini impares, nempe primus, tertius, quintus &c. pro Denominatore; pares vero, nempe secundus, quartus, sextus &c. per a multiplicati pro Numeratore fractionis. 3. Termini Numeratoris pariter ac Denominatoris alternatim signis $+ & -$ notentur, prodibit Tangens anguli cx.

Problema 2. Sit radius a, Tangens anguli $x = b$, Secans $= c$, quærat Secans anguli dx. *Resolutio.* Fiat fractio, cujus Denominator idem, qui in fractione pro Tangente; Numerator c^d , si d numerus impar; ac^d , si par.

Præterea Geometriæ perfectionem promoverunt *Variignon* atque *Carré*: quorum iste theoriam suam de motu Planetarum in quacunque orbita A. 1700 propositam insigniter perfecit, habita scilicet ratione motus Apogæi, quem illo tempore non attenderat; hic vero Curvam per motum Diametri circuli in concavitate semiperipheriæ circularis genitam examinat. Commendatur quoque in Historia liber, quem sub titulo Applicationis Algebræ ad Geometriam 1705 edidit Guisnée, constructionem problematum & locorum inprimis illustrans, & promittitur liber posthumus Marchionis Hospitalii de Constructione Equationum.

In Astronomicis *Cassinus* filius novam proponit methodum locorum longitudes per occultationes fixarum a Luna determinandi, similem ei, quam ante aliquot annos Parens traderat in Eclipsibus Solaribus fundatam.

In Mechanicis *Bernoulli* veram hypothesin de resistentia solidorum explicat, addita demonstratione Curvaturæ corporum elasticorum. Rejecta hypothesi *Gallilei*, itemque *Leibnitiana*, quod in hac male supponatur, tensiones fibrarum esse viribus tendentibus proportionales, cum vires in infinitum augeri queant, compressio autem terminos finitos admittat; per calculum Analyticum eandem regulam reperit, quam in Tractatu de motu aquarum part. 5 disc. 2 experientia comprobavit *Mariotte* vim rumpentem trabem in situ horizontali esse ad vim rumpentem in verticali ut $\frac{1}{3}$ altitudinis ejus ad longitudinem ipsius. Lineam elasticam Mechanicam quandam esse demonstrat eamque constructionis difficilis; nequaquam vero Parabolam, quemadmodum suspicabatur *Gallileus*. Dedit præterea *Carré* solutionem sequentis problematis hydrostatici: Data diametro alicujus tubi, invenire diametrum alium, qui eandem cum isto habeat altitudinem, sed eodem tempore multipulum aquæ desideratum effundat. Sit diameter data a , quæ sita x : imminutio aquæ in tubo dato $\frac{aa}{n}$. Cum resistentiæ tuborum sint in ratione superficierum, erit $a \cdot x :: \frac{aa}{n}$.

$\frac{ax}{n}$, quæ est imminutio aquæ in tubo quæsito. Quare quoniam quantitates aquarum effluentium, neglecta tuborum resistentia, sunt in ratione duplicata diametrorum, reperietur $xx - \frac{ax}{n} = maa - \frac{maa}{n}$, consequenter $x = \frac{a}{2} + a \sqrt{\frac{4mnn - 4mn + 1}{4mnn}}$.

Denique sub finem Historiæ extat elogium *Jacobi Bernoulli*, cui in Academia Scientiarum Regia successor datus Illustrissimus *Blanchinus*, in Actis nostris non ignotum nomen: nec non *Guilielmi Amontons*. Natus hic est A. 1663 die ultima Augusti patre Jurispractico in Normandia. Cum a morbo quodam surditatem aliquam contraxisset, totum se meditationibus tradens de machinis cogitare cœpit, artemque pictoriam, Geome-

Geometriam practicam & Architecturam tam felici successu excoluit, ut in multis operibus publicis adhiberetur. Studuit quoque constructionibus barometrorum, thermometrorum & hygrometrorum perficiendis, & jam A. 1687 annos 24 natus novum hygrometrum Academiae Scientiarum obtulit. A. 1695 librum evulgavit sub titulo Observationum & Experientiarum Physicarum de constructione novae cujusdam clepsydrae, de barometris, thermometris & hygrometris. A. 1699 in Academiam receptus, ubi statim theoriam affricus ad Mechanicam perficiendam exhibuit, quam exceperunt novum thermometrum, rectificatio barometri, barometrum marinum. *Mariottus* in ipso revivixisse dicitur. Mortuus est A. 1705 d. 11 Octob. aetat. anno 42 mens. 2, relicto filiolo duos menses nato.

C. WOLFII, P. P. SCHEDIASMA DE INVENIENDO Sinu anguli multipli ex dato Sinu simpli.

Docuit nuper Geometra clarissimus *de Lagny* in Commentariis Academiae Regiae Scientiarum Anni 1705, quomodo ex data Tangente anguli cujuscunque inveniatur Tangens anguli multipli, e. gr. dupli, tripli, quadrupli &c. Tentare igitur libuit, an simili via Sinus quoque angulorum multiplo- rum ex dato Sinu anguli simpli investigare liceret: id quod felicissime succedere expertus sum, nisi quod calculo opus sit operosiore, quemadmodum nunc ostensurus.

Sit enim Radius seu Sinus Totus $AC = AG = a$, Anguli simpli CAD Sinus $CD = b$, erit Sinus complementi $AD =$ TAB. VI. Fig. 4.

$\sqrt{aa - bb}$, pro quo brevitatis causa ponamus c . Sit porro $EC = x$, erit $ED = b + x$, & si angulus EAC ponatur ipsi CAD aequalis, ita ut GI sit Sinus anguli dupli,

$$\frac{DC}{b} \cdot \frac{AD}{c} :: \frac{EC}{x} \cdot \frac{AE}{\frac{cx}{b}}$$

Quamobrem $\overline{AE}^2 = \frac{ccxx}{bb}$, quod idem cum aequetur \overline{AD}^2

Rr

+ \overline{DE}^2

$\dagger \overline{DE^2}$, reperitur $= cc \dagger bb \dagger 2bx \dagger xx$. Unde habetur
 $\underline{ccxx} = cc \dagger bb \dagger 2bx \dagger xx$, & reductione facta ipsiusque

valore $cc (= aa - bb)$ substituto, $x = \frac{aab}{aa - 2bb}$. Ergo DE
 $= b \dagger x = b \dagger \frac{aab}{aa - 2bb} = \frac{2aab - 2b^3}{aa - 2bb}$, $AE = \frac{cx}{b} =$

$\frac{aac}{aa - 2bb}$. Denique propter similitudinem Triangulorum AED
 $aa - 2bb$

& AGI erit

$$\frac{AE.}{aac} \quad \frac{ED}{2aab - 2b^3} :: \frac{AG.}{a} \quad \frac{GI}{2aab - 2b^3}.$$

$$\frac{aa - 2bb}{aa - 2bb} \quad \frac{aa - 2bb}{aa - 2bb} \quad \frac{ac}{ac}$$

Est igitur Sinus anguli dupli $\frac{aa - bb \times 2b}{ac} =$ (substituto va-

lore ipsius $aa - bb$) $\frac{2bcc}{ac} = \frac{2bc}{a}$, consequenter Sinus anguli

simplici ad Sinum dupli ut b ad $\frac{2bc}{a}$, hoc est, ut a ad $2c$. Hinc

Sinus in Tabulis rite positus intelligitur, si, resectis a duplo fa-
 cto ex Sinu anguli propositi in Sinum complementi ejusdem,
 tot versus dexteram notis, quot Sinus Totus cyphras habet, Si-
 nus anguli dupli prodeat, modo angulus, de cujus Sinu disqui-
 ritur, 45° non excedat. Patet præterea, esse $\frac{bc}{a}$ dimidium Si-

num anguli dupli, adeoque ut Sinum Totum ad Sinum arcus,
 ita Sinum complementi ad semisinum anguli dupli: quod est
 theorema a Trigonometriæ Scriptoribus dudum demonstra-
 tum. Quodsi ulterius fiat

$$\frac{AC.}{aac} \quad \frac{AD}{c} :: \frac{AG.}{a} \quad \frac{AI}{\frac{aa - 2bb}{a}}$$

$$\frac{aa - 2bb}{aa - 2bb} \quad \frac{aa - 2bb}{aa - 2bb} \quad \frac{aa - 2bb}{aa - 2bb} \quad \frac{aa - 2bb}{a}$$

reperie-

reperietur Sinus complementi anguli dupli $\frac{aa - 2bb}{a}$, conse-

quenter Sinus complementi anguli simpli ad Sinum complementi anguli dupli ut ac ad $aa - 2bb$.

Si jam ulterius desideretur Sinus anguli tripli HK, fiat $AC = HA = a, DC = b, AD = e, EC = c = \frac{aab}{aa - 2bb}, EF = x$, erit ED

$e + b$ (pro quo ad calculum facilitandum ponatur d) & $FD = d + x$. Quia angulus FAE æqualis angulo EAC, erit

$$\frac{EC}{e} \quad \frac{AC}{a} \quad :: \quad \frac{EF}{x} \quad \frac{AF}{\frac{ax}{e}}$$

Ergo $\overline{AF}^2 = \frac{aaxx}{ee}$, quod idem, cum ipsis $\overline{AD}^2 + \overline{DF}^2$ æquale

existat, reperitur $= cc + dd + 2dx + xx$. Habemus itaque $\frac{aaxx}{ee} = cc + dd + 2dx + xx$. Unde reductione ac substitutione

valorum d & e rite facta elicitur $x = \frac{eaa + eeb + eed}{aa - ee}$

$\frac{eaa + 2eeb + e^3}{aa - ee}$. Quare $FD = d + x = \frac{eaa + eeb + eed}{aa - ee}$

$+ d = \frac{eaa + eeb + aad}{aa - ee}$, & $AF = \frac{ax}{e} = \frac{a^3 + eab + ead}{aa - ee}$. Deni-

que propter Triangulorum FAD & HAK similitudinem, erit

$$\frac{FA}{a^3 + eab + ead} \quad \frac{FD}{eaa + eeb + aad} \quad :: \quad \frac{AH}{a} \quad \frac{HK}{eaa + eeb + aad}$$

Est igitur Sinus anguli tripli $\frac{eaa + eeb + aad}{aa + eb + ed}$ (Substitutis va-

loribus d & e) $\frac{3a^2b - 7aab^3 + 4b^5}{a^4 - aabb} = (\text{dividendo per } aa - bb)$

$\frac{3aab - 4b^3}{aa} = \frac{3aa - 4bb}{aa} xb$, consequenter Sinus anguli simpli

ad Sinum tripli ut b ad $\frac{3aab - 4b^3}{aa}$, hoc est, ut aa ad $3aa - 4bb$,

& Sinus anguli dupli ad Sinum tripli ut $\frac{2bc}{a}$ ad $\frac{3aab - 4b^3}{aa}$,

hoc est, ut $2ac$ ad $3aa - 4bb$. Eadem prorsus ratione ulterius progredi licet, quousque libuerit; nec ullum superest dubium fore, ut in progressu lex quaedam patefiat, juxta quam Sinus angulorum multiplosum crescunt, regulam generalem manifestatura.

CONJECTURES PHYSIQUES, PAR NICOLAS Hartfœcker.

h. e.

CONJECTURÆ PHYSICÆ, AUTORE NICOLAO Hartfœckero.

Amstelodami, apud Henricum Desbordes, 1706, in 4.

Constat 2 Alph. plag. 4 cum multis figuris
& tabula æri incisa.

Rerum naturalium Scientiæ, quam editis *Principiis Physicis* Ratque *Dioptrica* Orbi litterario comprobavit Cl. *Hartfœckerus*, pretium non modo statuunt eruditi, sed ipse Elector Palatinus. Cum enim Princeps Serenissimus tanto erga Scientias Mathematicas & Naturales fervore feratur, ut avidus quamcunque amplectatur occasionem, qua illarum incrementa promovere datur; Viro ad Scientias naturales tractandas nato characterem Mathematici ac Physici Electoralis clementissime indulgit, addito stipendio annuo splendido, ne desint sumtus experimentis instituendis impendendi. Ipsius igitur gratia Conjecturas hasce Physicas edidit, notabiliora Scientiæ naturalis capita enucleantes, in posterum continuandas. Conjecturarum nomen speculationibus suis tribuit, quod plerasque admodum incertas & spissis adhuc tenebris involutas reputet ob experien-

experientiarum necessariorum defectum. Integrum opus ex meris Discursibus constat, quos cum Electore de rebus naturalibus instituit Autor. Discursus illi totidem plerumque verbis exhibent, quod in *Principiis Physicis* atque *Dioptrica* de rebus naturalibus edisseritur; quædam tamen hinc inde adduntur: ita ut, Autore non refragante, Conjecturas ipsius Physicas pro nova operum editione correctiore & auctiore habere possis. Quoniam itaque *Dioptricam* Mens. Oct. Anni 1695 p. 482 & seqq. *Principia vero Physica* Mense Januario A. 1697 p. 1 & seqq. recensuerimus; nostrum in præsentem erit indicare, quænam ex *Dioptrica*, quænam ex *Principiis Physicis* transcribantur, quænam antea jam publicatis superaddantur. Integrum opus in 4 libros distribuitur. Primus de Systemate Mundi; secundus de Terra & ejus proprietatibus; tertius de Principiis Physicæ; quartus de Meteoris inscribitur. Primus quinque comprehendit Discursus, ex quibus primus de natura Solis & Fixarum tractat, quam, omissis iis, quæ de formatione Solis & Fixarum *cap. 6 Princ.* tradiderat, tanquam levibus quibusdam conjecturis innixis, igneam esse probat, quia radiorum Solarium iidem sunt effectus, qui ignis culinaris, cum Solaribus autem conveniunt radii Fixarum. Unde porro concludit, Solem pabulo indigere & atmosphæra cingi, in qua fumi ascendentes concrecant & propria gravitate in Solem relapsi materiam novi pabuli præbeant. Discursus secundus in distantiam Lunæ, Solis ac Fixarum a Terra & eorundem corporum magnitudinem inquiri, ubi simul ex debilitate Luminis Fixarum & Planetarum concludit, nec bonum, nec malum siderum istorum in Tellurem esse influxum. Discursus tertius motum Telluris, Planetarum & Satellitum eorundem radiis Solaribus attribuit, ubi multa *ex cap. 7 Princ.* non tamen retentis iisdem verbis, repetuntur. Hypothesin suam similitudine illustrat, a navicula desumpta, quam palo intra medias aquas defixo alligatam motus fluminis per arcum circuli ab uno litore ad alterum pellit iterumque repellit. In ea navicula Planetæ; funis, quo alligatur, gravitationi ipsius in Solem; flumen radiis Solaribus respondet. Ad motum vertiginis Telluris multum etiam contribuere judicat Lunam: unde non mirandum, quod $\frac{1}{2}$ actionibus ra-

diorum Solarium minus expositus majorem tamen habeat motum vertiginis, quam Tellus Soli multo vicinior, cum hæc nonnisi una, iste quatuor Lunis seu Satellitibus stipetur. Hac occasione quantitatem revolutionum Satellitum γ & δ definit, prout habentur in *Hugenii Cosmotheo* ex observationibus *Cassini*. Quoniam vero Planetæ a gravitate sua in Solem non detruduntur, credibile esse ait, quod intus sint cavi atque hinc γ Tellure multo levior existat: id quod per materiæ in atmosphæra Solari, ubi hærent, specificam gravitatem ulterius corroborat. Notat etiam, Satellites γ minores apparere umbris in ipsum projectis & ultimum Saturni, postquam in parte superiore Orbitæ conjunctionem prætergressus versus inferiorem descendit & ad Tellurem appropinquat, prorsus eclipsari & in qualibet revolutione ultra mensem non videri. Probabile judicat Jovis ac Saturni Satellites instar Lunæ maculis conspersos esse, cumque omnium Lunarum apparentiæ in iisdem Orbitalium partibus contingant, inde infert, ipsos instar Lunæ nostræ eandem semper Planetis, circa quos feruntur, faciem obvertere. Discursus quartus causam motus Elliptici Planetarum explicat, in *Principiis* non extantem. Tribuit scilicet eam mutationibus Planetarum per Terræ motum factis. Sit

T A B. V. Sol in S, Terra in A. Moveatur Tellus æquabiliter in circulo fig. 5. ABCB, cujus centrum est Sol. Ponamus in eadem ingentem contingere terræ motum. Cum in *Princ. Phys.* cap. 3. p. 70 & seqq. evicerit, multas dari cavitates subterraneas; futurum inde concludit, ut 1 aer cavitatibus inclusus & per ignem subterraneum nimis dilatatus maxima cum violentia erumpat, & aquas maris expellat, Terras vicinas inundaturas: 2 aqua ex continente intra alvum maris mox recurrens in cavitatem præcipitetur & aridam mari antea coopertam relinquat: 3 lapsu hoc aquarum contingente, circa axem alium gyretur Terra: & 4 ejusdem gravitate specifica aucta versus Solem delabatur. Quodsi hoc accidat Telluri in A hærenti, mox ipsam versus Solem descensuram, dum suas circa ipsum revolutiones continuat, & quidem, quod in omnibus gravitatum descensu observetur, celeritate juxta numeros impares crescente, donec ad punctum æquilibri E deferatur, ubi radii Solis eandem vim habent

Tellurem

Tellurem a Sole removendi, quantam gravitas naturalis habet ipsam ad Solem promovendi. A puncto E Tellurem constanter descensuram, celeritate secundum numeros impares, sed, inverso ordine, imminuta, donec alterum æquilibrii punctum P prætergressa fuerit, a quo eadem ratione ascensuram asserit usque ad A, qua ab A usque ad P descenderat. Tellurem igitur hac ratione ellipsin AEPEA circa Solem descripturam, continuo magis magisque ad circulum accedentem, ac tandem in circulum DEFED rursus degenerantem, donec novus terræ motus contingat. Quoniam adeo manifestum arbitratur, motum Telluris ellipticum mutationibus ejus per terræ motus factis deberi, & ex observationibus Astronomicis constat, Planetas reliquos ellipses similiter circa Solem describere; in iisdem quoque per tremorem insignes mutationes contigisse infert. Repetit præterea formationem annuli circa Saturnum sub finem *cap. 3 Princ. Phys.* traditam & descriptionem mutationis Telluris in eodem capite p. 75 exhibitam, nec non quæ de Prosthæresibus Planetarum *cap. 7 Princ. p. 131* dicta sunt. Et quia Planetæ Telluri similes, eos quoque a creaturis ratione præditis habitari statuit. Finit tandem Discursum præsentem elogio ferri, quod, si utilitatem spectes, omni auro longe præstet, in ipsa etiam Medicina, in qua aurum non valeat nisi ad evacuandam ægri crumenam. Discursum subsequenter quintum maculis Solis, Cometis aliisque phænomenis cœlestibus impendit. Maculas Solares, quarum phænomena prolixè recenset, pro congerie particularum incombustibilium cum combustilibus simul in atmosphæram Solis elevatarum venditat. Lumen, quod a 23 circiter annis sub ortum & post occasum Solis in Zodiaco observari cœpit, pro fumis levioribus ex corpore Solari usque ad Planetarum regionem ascendentibus & per radios Solares illuminatis habet. Ab iisdem portenta derivat, aliquando in cœlo conspecta, e. gr. cruces, enses, exercitus &c. Huc refert lumen d. 10 Mart. 1668 instar caudæ alicujus cometæ visum. Cometarum ex Sole originem prolixius, quam in *Princip. Phys. ex Dioptrica* repetit. Liber secundus in Discursibus absolvitur, quorum primus de æstu maris cum *cap. 8 Princ. Phys.* coincidit. Secundus similiter tradit de ventis, quæ

quæ *cap. 9 Princ.* exposita sunt : varia tamen ex *Halleji* discursu, *A. 1687 Mens. Sept.* a nobis exhibito superadduntur & ipsius mappa Geographica illustrantur. In tertio non solum reperias, quæ sub finem *cap. 9 Princ.* extant; sed aliqua etiam ibi non dicta. Explicat nempe fascias Jovis obscuras per maria; maculas claras in istis fasciis per insulas & maculas obscuras in fasciis claris per lacus ingentes, aut sylvas, aut terras cultas, siquidem fuerint constantes. Cum motus vertiginis in \mathcal{U} sit celerior, quam in Tellure; aquarum etiam motum & ventos impetuosiores esse in isto, quam in hac concludit. Addit, quænam ex motu Telluris inhibito consequantur. Discursus quartus de gravitate eadem tractat, quæ *cap. 4 Princ. Phys.* Quintus vero proprietates corporum duorum & liquidorum *ex cap. 5 Princ.* repræsentat. Natura tamen elateris paulo aliter declaratur. Comparat scilicet particulas elasticas cum cylindro, qui versus unam partem inclinatus versus alteram resilit. Quæ sub finem *cap. 5 Princ.* comparent, Discursui sexto reservantur: particularum tamen aeris constructio clarius edocetur. Quia enim aer admodum compressibilis & idem facile rarefit, elatere etiam præditus, machinulæ aeræ ex multis particulis in formam circuli dispositis, quales sunt ABCDEF, compositæ perhibentur, quæ in statu violentæ compressionis formam ovalem ABCD nanciscantur. Additur experimentum *Mariotti*, quo aerem cum aqua facile misceri probatur. Annotatur etiam, quod ab aere expulso minus evadat corporum fusorum volumen, quam quod ante fusionem obtinuerant, multaque phænomena curiosa solvuntur. Quæ Discursus septimus de natura & proprietatibus salium, sulphuris ac oleorum, spirituum vel Mercurii, phlegmatis & capitis mortui edocet; in *Principiis* non attinguntur. Memoratur divisio Salis in acidum & alcali, ac utriusque in fixum & volatile, quibus additur essentielle. Sal acidum constare dicitur ex particulis oblongis & instar acuum acuminatis, earumque figura constans perhibetur. Alcali ex cylindris cavis, in quibus salia acida AD locari possunt, constare fertur. Sal commune esse, ait Autor, sal quoddam acidum. Salsedinem aquarum marinarum a rupibus salinis in fundo maris petit. Non aerem sed
humidi-

TAB. VI.
Fig. 6 & 7.

Fig. 8.

humiditatem salia solvere affirmat. Aqua salsa ad Solem evaporata, salia simul elevari probat, quia adhærent ligno in altitudine 2 vel 3 pollicum collocato. Sal petrae ipsi est compositio ex sale acido & corporibus istud continentibus: sal tartar^l species salis petrae. Tandem de uvis, musto, vino, spiritu vini, aceto, cerevisia, spiritu vitrioli & aluminis, oleis, coagulatione liquorum, capite mortuo differit. Quæ in Discursu octavo de metallis tradit, eadem fere sunt, quæ *cap. 5 Princ.* leguntur. Memoratu dignum est experimentum, quo ad incautos decipiendos uti Alchymistas affirmat. Crucibulo immititur argentum granulatum, cum cinnabari contrita, idemque igne urgetur, donec massa liquefiat, qua a liquefactione refrigerata, granula ejusdem cum iis magnitudinis apparent, quæ crucibulo fuerant injecta, & cinnabaris in argentum conversa deprehenditur. Accuratus vero eam examinanti patet, granula infusione fuisse excavata & pellicularum instar materiam cinnabaris obduxisse. Explicat præterea Autor dissolutionem auri in aqua forti & ejus præcipitationem, una cum solutionibus & præcipitationibus aliis, calcinatione ac vitrificatione. Discursus nonus naturam & proprietates antimonii expendit, in *Princip. Phys.* nondum consideratas. Dicitur antimonium esse materia metallica multo sulphuri permixta. Similiter undecimus de vitro & lachrymis vitreis affert in *Princip.* non contenta: ast decimus de Magnete cum *cap. 9 Princ.* coincidit. Liber tertius 5 Discursibus componitur, quemadmodum primus. Discursuum illorum primus principia corporum naturalium exponit, non tamen eadem prorsus ratione, qua id *cap. 1 Princ. Phys.* factum est: secundus de motu prorsus coincidit cum *cap. 2 Princ.* pauculis nonnisi hinc inde additis: tertius de natura & proprietatibus ignis plura tradit, quam in *Principiis* reperiuntur: quartus doctrinam reflexionis & refractionis ex *Dioptrica cap. 4* sistit, mutatis subinde verbis & additis nonnullis: quintus denique de coloribus pleraque ex *cap. 4 Dioptr.* repetit. Liber quartus idemque ultimus tres nonnisi Discursus comprehendit, quorum primus de Meteoris cum *cap. 12;* tertius de origine fontium cum *cap. ult. Princ.* coincidit, nisi

quod in utroque nonnulla legantur, quæ in istis non comparent: medius vero Iridem contemplatur.

HET SEVENDE ANATOMISCH CABINET
van FREDERIC RUYSCH.

i. e.

FRIDERICI RUYSCHII, ANATOMIÆ
& Botanices Professoris, nec non Academiae Cæsareæ
Curiosorum Collegæ, Thesaurus Anato-
micus Septimus.

Amstelodami, apud Joannem Wolters, 1707, 4.

Constat 6 plagul. cum figurarum ænarum
tabulis 4.

SEptimum nunc sistimus curioso lectori Thesaurum Anatomicum Friderici Ruyschii, ex quo pauca pro more nostro excerpemus. Pag. 10 & tab. IV diverticulum intestini ilei p. n. cujus extremitas caput canis repræsentat, exhibetur; atque talia diverticula frequentius in cadaverum sectionibus vidit Clar. Ruyschius, putatque, cum ileum, cui ut plurimum, si non semper, talia adhærent, hypogastrium maximam partem occupet, in bubonocèle tale diverticulum contineri sub tumore hernioso, nullis sequentibus symptomatibus, quæ alias herniam inguinalem comitari solent. Pag. 17 & tab. I fig. 3 hominis dura mater in liquore conservata sistitur, in cujus sinu longitudinali aperto in conspectum veniunt corpuscula rotunda & subrotunda, miliiformia, a Bacchiono detecta, & a nobis in Actis superioris anni pag. 217 & Tab. V fig. 1 exhibita, quæ magnitudinem aciculæ vulgaris caput haud superant, nisi per microscopium examinentur, aut ex duobus corpusculis combinentur. Alius insimul hominis duram matrem allegat, in cujus sinu longitudinali aperto vix ac ne vix quidem ullum ex dictis corpusculis videri poterat; extra hunc tamen a duræ matris facie interiore portio membranacea ejusmodi corpusculis scarens dependebat; ex iis vero ne minimum quidem vasculum lymphati-

lymphaticum prodiens observari potuit. Pag. 19 & tab. III fig. 5 ramulus commemoratur fruticis Capensis portulacæ folio, cujus pars inferior pseudo-membranula ex sanguine confecta contegitur; scilicet sanguinem proprium ex vena secta emissum dicto ramulo conquassavit Noster, donec ille frigus contraxerit, quo facto aquæ puræ ramulum indidit, qua sæpe renovata, ramuloque digitis aliquoties compresso, cruor huic adhærens albedinem induit, repræsentans membranam veram, foliis firmiter affixam, & pseudo-fibris membranosis pertexam. Pag. 21 & tab. II fig. 5 occasione tunicæ papillo-nervosæ buccarum annotat Clariss. Ruyschius, se tunicam villosam prolaborum, buccarum, gulæ, stomachi & intestinorum unius ejusdemque esse texturæ, id est, corpus ex papillis nervosis, vasculis sanguineis, tomenti aut gossypii instar tenuibus, & epithelia ab illis producta papillis compositum observasse. Pag. 29 & tab. III fig. 1 infantis pes sistitur, ita præparatus, ut ligamenta, præsertim teres, in conspectum veniant, quod, nisi patella a musculorum tendinibus fuerit præcisa, fieri non potest. Denique pag. 33 & tab. III fig. 3 asperæ arteriæ portio, ceracea materia rubra ad ultimas usque ejus extremitates repleta, & in liquore asservata exhibetur, ex qua quilibet judicare potest, figuras ab aliis depictas neutiquam cum hoc ramo, neque cum naturali constitutione convenire. Quæ bina posteriora, ut in gratiam B. L. in Tab. VI æri incidantur, digna æstimavimus.

EXPLICATIO FIGURARUM.

TAB. VI.

Fig. 9. Sistitur Epiphysis inferior ossis femoris cum annexa patella & tereti ligamento.

Fig. 9.

A. Epiphysis ossis femoris inferior.

B. Arteriolæ per latera cartilaginis distributæ.

C. Ligamentum teres, cujus ope inter cætera patella quoque connectitur inferiori epiphyssi ossis femoris.

D. Vasa & præsertim arteriolæ per substantiam cartilagineam patellæ dispersæ.

E. Reliquiæ tendinum musculorum tibiam extendentium, quibus firmiter connascitur patella.

F. Patella propendens.

TAB. VI. Fig. 10. Ramum asperæ arteriæ denotat, ad extremum usque ceracea materia rubra repletum.

A. Ramus asperæ arteriæ major.

B. C. Extremitates ejus minimæ.

TRAITÉ DES FOUGERES DE l' Amerique.

seu

*TRACTATUS DE FILICIBUS AMERICANIS,
Autore R. P. Carolo Plumier, Ordinis Minimorum in
Provincia Francia & apud Insulas Americanas
Botanico Regio.*

Lutetiæ Parisiorum, e typographia Regia, 1705, in fol.

Alph. 2 plag. 2 & 172 Tabul. æn. ch. aug.

QUamvis Botanophili reliquas Americæ plantas avide adhuc expectent, quas *Clariss. Autor* in *Descriptione Plantarum Americæ*, A. 1693 evulgata & in *Actis A. 1694 p. 491* a nobis commemorata, paratas se habere indigitavit, placuit tamen ipsi præsentem potius de Filicibus tractatum, & Gallice & Latine exaratum, Regiis itidem sumptibus in lucem emittere, quod talibus præ cæteris aliis cujuscunque generis, apud insulas Americanas lustratis, magis fuerit delectatus, novamque hujusce classis speciem adinventam pro sufficienti præmio jucundaque mercede laboris & fatigationis in plantis conquirendis semper habuerit. Filicum autem titulo omnes, quas *Turnefortius* Institut. Botanicarum Classe decima sexta consideravit, quasque ipse trium suarum peregrinationum ad dictas insulas decursu observavit plantas, floribus non solum destitutas femineque donatas, sed & veram Filicis faciem præ se ferentes, ita exhibuit, ut singulas etiam ad propius & convenientius genus revocare, atque multas novis & congruis nominibus appellare

pellare haud neglexerit. Veniam hinc, quod plantas quam plurimas, in Descriptione priori datas, novis hic noviter adinventis conjunxerit, eo faciliorem sibi pollicetur, quo studiosius aptiora nunc substituerit nomina, dum antiquorum Botanorum errores secutus *Filicem* antea salutaverit, quæ vere ex natura debuisset dici *Lingua cervina*, & *Adiantum*, quæ vere Filix fuisset nuncupanda. Neque veretur flores, Filici arborefcenti, pinnulis dentatis, quondam a se adjudicatos, florum jam numero rursus expungere, cum ultima peregrinatione tubercula illa omnia gemina serie dorso pinnularum adposita microscopii subsidio detexerit nihil aliud esse, quam totidem globulos hemisphæricos, duobus caliculis constantes hemisphæricis, quorum superior, quia tenuissimus, vesicularum e fundo inferioris eruptione penitus evanescat, inferior vero, quia solidior, dorso pinnularum adhærescens ibidem permaneat superstes. Votis tamen expetit, flores in nonnullis Filicinis plantis, a *Fabio Columna* & *Rajo* annotatos, a se autem frustra indagatos, accuratius fuisse descriptos, quo constaret, annon illas membranulas, quæ, priusquam vesiculæ appareant, superpronam quamplurimarum illius generis plantarum superficiem conspiciuntur, pro floribus habuerint, aut saltem habere omnino potuerint, ceu veros florum usus circa vesiculas seminales præstantes. Squammulas namque aureas, quæ pronam Asplenii vulgaris partem obducentes glomerulos quosdam e granulis virentibus & globularibus compactos microscopio sistere atque ad *Rivini* nostri flosculos granulatos accedere videantur, nullatenus veros existere flores, sed juniores potius vesiculas, e propriis locis eruptas taliterque conglomeratas. Interim multo irritò in floribus Filicum perquirendis labore haud delassatus, veros tandem flores in ea Lichenis vidit specie, quam Lichenis Anapodocarpi nomine insignivit, qualem microscopium demonstravit, in Tab. 142 repræsentatam & a nobis in Tab. VI fig. II transcriptam, ipsis Auctoris verbis mox declarandam, ubi vel duò verba de Filicum fructibus & viribus ex Præfatione adjecerimus. Fructus nempe singularum plantarum Filicinarum hic descriptarum & depictarum non alios a Nostro

potuisse adverti, quam quales *Turnefortius* tradiderit, vesiculas scilicet, ferme ovales, annulo elastico munitas, cujus contractione illæ rumpantur ac semina fundant minutissima, & omnia reniformia aut lenticularia, tantæque exiguitatis, ut nec oculus etiam perspicacissimus nisi adjuvante microscopio ipsa percipere valeat. Plantas vero tales Americanas, nostris congeneres, eisdem quoque viribus atque virtutibus pollere: licet in universum vix asserere audeat, omnes plantas congeneres viribus etiam esse conformes, cum rosa v. g. rubra adstringat, moschata vero seu Damascena purget; Arum ut plurimum saporis sit acerrimi, in America vero Ari species proveniat, instar rapa-

T A B. V I. rum esculenta. Sed ad Lichenis delineatam speciem rever-
 Fig. II. tamur: Lichen Anapodocarpos plantula est tota ex meris membranulis per humentia & irrigua saxa, aut super terrenos & humidos cespites sese effudentibus, & veluti agglutinatis constans: quæ quidem membranulæ successive una ex alia, ut in Opuntiis vulgaribus videre est, singulæ progenerantur, lingu- læque sinuosæ, lætissime virentis, omninoque punctulis eminu- lis Zegrinatae figuram præ se ferunt. Ex plurimarum summi- tatibus petiolus sese erigit tenuis, altitudinis pollicaris capitu- lumque deferens fungiforme, uno latere orbiculare, alio vero quatuor crenulis subrotundis in ambitu discriminatum; qui- bus crenulis veluti in quatuor digitos se extendentibus pedis Anserini inversi formam optime repræsentat illud capitellum: di- giti demum illi tempestive dein dehiscentes intra ruinas suas flores ostentant, sed tantæ exiguitatis, ut, nisi ope microscopii perspecti, se ipsos oculo vix possent demonstrare, per microscopium tandem observati tubulati apparent, candidi, quatuor laciniis posterius convolutis, ad oras divisi, & embryonem pos- tica sui parte recipientes, qui dein abit in fructum exiguum membranaceum, ovatum, seminibusque farinulæ instar minu- tissimis foetum. Tota planta pinguicula est, potissimum per saxa Montis *de la Calebasse* humentia apud Insulam Martini- cam a *Nostro* observata.

GEORGII PASCHII, S. THEOL. ARTIS
Rationis ac Phil. Primæ in Academia Kiloniensi Prof. Publ.
de Variis Modis Moralia tradendi liber. Accedit Intro-
ductio in Rem Literariam Moralem Veterum Sapientie
Antistitum. Ad extremum additi sunt Indices, I Au-
ctorum in hoc opere passim citatorum, II Re-
rum maxime memorabi-
lium.

Kiloni, apud J. S. Riechelium, 1707, in 4to.

Constat Alfab. 4 plag. 5.

NON immemor promissi, facti in publicato suo hic Lipsiæ An-
 no 1700 doctissimo *de Inventis Nov-Antiquis* opere, cujus
 (nescimus quo fato) in Actis nostris nullam factam fuisse men-
 tionem merito dolemus, liberare voluit in præsens Celeberrimus
Paschius edito hoc ipso libro interpositam suam fidem. Quem-
 admodum vero in priori *de Inventis* opere non veritus est profite-
 ri, se, *quod usque adhuc inter DESIDERATA fuit*, propone-
 re Facultatum & Disciplinarum tantum non omnium inventa,
 quæ suam antiquitati originem debent, docereque & demon-
 strare evidenter, adductis in majorem veritatis fidem ipsis prisco-
 rum Auctorum verbis, non esse nova illa omnia, quæ specie no-
 vitatis blandiuntur; sic in præsentis scripti præfatione non eru-
 bescit idem Clarissimus Auctor disertis verbis scribere: Hæc ipsa
 (de qua agit) Methodi Moralis multiplex ac jucundissima varie-
 tas, quæ animos reficit ac reparat, *cum a nemine adhuc, quan-*
tum scio, in ordinem adducta & ex instituto representata fuerit,
 jussit nos, qui Morali Professioni in hac ipsa Academia XVI an-
 nos vacavimus, via & arte procedere, huncque *de variis modis*
Moralia tradendi librum emittere & in publico proponere. Or-
 do & series capitum præsentis Tractatus sequens est. Caput I
 agit de ratione tractandi moralia per Dialogos, quo etiam Dra-
 mata pertinent. Cap. II de ratione tractandi per Apologos, ubi
 ob commentandi affinitatem & fabulæ Romanenses, & fictæ Res-
 publicæ simul examinantur. Cap. III de ratione tractandi per
 Satyras,

Satyras, quarum historiam, a nonnullis promissam quidem, nemo adhuc per omnes status & ordines concinnavit. Cap. IV de ratione tractandi per Characteres sive notationes, Παράψεις, Præcepta, Aphorismos ac Gnomas. Huc referuntur quoque Adagia, Apophthegmata, Symbola, Emblemata, Hieroglyphica, Ænigmata atque Inscriptiones. Cap. V de ratione tractandi per Paradigmata seu exempla. Cap. VI de ratione tractandi per Apodixin & demonstrationem, quam methodum systematicam vocant. Hæc sunt memorati *de variis modis Moralia tradendi* libri, quem Polymathiam moralem non injuria dixeris, summa capita. Ordo denique ac series subjunctæ *Introductionis* totidem capitibus absolvitur. Caput I differit de Socrate, Platone & Academicis. Cap. II de Aristotele & Peripateticis. Cap. III de Zenone & Stoicis, itemque Cynicis & Cyrenaicis. Cap. IV de Pythagora, ejusdemque Assceclis. Cap. V de Epicuro, ejusque Sectatoribus. Cap. VI de Pyrrhone & Scepticis. Facile esset speciminis loco, præsertim ex primo curioso *de variis modis Moralia tradendi* tractatu quædam hic excerpere; verum cum liber iste nihil fere aliud, quam egregia & selecta argumenta complectatur, præstat Lectorem benevolum eo ablegare.

HISTORIA SPINOZISMI LEENHOFIANI,
publica in Belgio auctoritate novissime damnati, ex au-
thenticis documentis collecta a GOTTLOB
 FRIDERICO JENI-
 CHEN.

Lipsiæ, apud Jo. Herib. Klossium, A. 1707, 8

Constat pl. 16.

Vix tres & quod excurrit anni sunt, quod *Fridericus van Leenhof*, Minister Ecclesiæ Reformatae Suollensis, librum Belgicum de vera hominis cujusvis lætitia, *Cælum & in terra* inscriptum, Amstelodami prodire fecit, in quo cum Spinozæ doctrinam, publice dudum in Belgio damnatam, novo integumini involvere unis alterisque visus fuerit, tantos in Ecclesia Reformato-

formatorum Belgica motus excitavit, ut Cœlum istud Leenhofii terreſtre non ſolum variis Theologorum ſcriptis illico impugnatum, ſed quoque anno elapſo Synodorum Eccleſiaſticarum decretis & ipſorum Statuum Belgii ſummorum auctoritate fuerit damnatum. Anſam dedit ea res Auctori, Collegæ noſtro perinduſtrio, ut ex iis, quæ ipſi nuperrime, quum ex Anglia in Belgium redux factus eſſet, forte in manus venerunt, ſcriptis contra Leenhofium & decretis in cauſa ejusdem noviffimis Synopſin aliquam ſententiæ Leenhofianæ totiusque cum eo agitatae controverſiæ conſcriberet, in cujus *Parte prima* de ipſius *Spinozæ vita, doctrina & ſcriptis* tum olim tum recenter ipſi *oppositis* generatim quædam præmittit, in *altera* vero *ortum & progreſſum controverſiæ Leenhofianæ* ex documentis quibusdam authenticis omni, quæ Hiſtoricum decet, fide, charitate ac modeſtia, methodoque perquam ſuccincta enarrat.

Quod ad ipſam Spinoziſmi hiſtoriam *Parte prima* pertractatam attinet, inter *vitæ Benedicti de Spinoza*, famoſi iſtius Ex-Judæi, quem Amſtelodami d. 24 Nov. 1632 natum & Hagæ Comitum d. 21 Febr. 1677 denatum inter reliqua momenta non ubivis obvia memorat, *ſcriptores* maxime *Joannis Coleri*, Miniſtri Eccleſiæ Lutheranæ Hagiensis, *vitam Spinozæ* A. 1706 Belgice primum Amſtelodami, at paulo poſt quoque Gallice Hagæ Comitum per T. Johnson in 8 editam, cum *Cl. Baylii*, d. 28 Dec. 1706 ingenti Reipublicæ literariæ detrimento fato functi, *vita Spinozæ* commendat. Deinde ubi poſt ſcriptorum ab ipſo Spinoza editorum recenſionem monuit, quod Spinoza Tractatum ſuum Theologico-Politicum maximam partem ex *Apoſtaſiæ ſuæ a Judaismo Apologia*, lingua Hiſpanica conſcripta, conſarcinaverit, religionis Spinozæ erroneæ capita præcipua enumerat. Atque demum ſcholium de *ſcriptis Anti-Spinozianis*, tum in Belgio, tum in Gallia, Anglia & Germania Spinozæ a Bredenburgo, Blyenbergio, Mansveldio, Veldhuysio, van Til, Wittichio, Jaqueloto, Jenſio, H. Moſo, de la Mothe, Muſæo, Rappolto, Huetio, le Vaſſor, Lami, Yron, Poireto, Bælio, aliisque olim recenterve *oppositis* ſubjungit; perinde ac alio quodam ſcholio monet, quod Filia Franciſci van den Ende,

qui Spinozæ in litteris humanioribus præceptor fuit, non tam forma, quam ingenio excellens & linguam Latinam æque ac Musicam scitissime edocta, Spinozæ haud raro aliorumque condiscipulorum, patre absente aut alio vocato, magistra extiterit; quam tamen institutionem Spinozæ & condiscipuli ejus Kerkeringii erga magistræ amores æmuli essent consecuti.

Parte altera Spinozismi speciatim Leenhofiani historiam, una cum scriptorum Leenhofio gregatim oppositorum enarratione ex *Actis* Ecclesiarum Belgicarum *Synodicis* tradit. Quum enim Leenhofius *Cælo* suo terrestri, seu libro Belgico de *vera Christianorum hominumque omnium lætitia*, Spinozismi partem maximam recoxisse multis visus fuerit, quod in ea veram hominis lætitiæ eadem cum Spinoza voce per transitum a minori perfectione ad majorem definiret, & veram animi lætitiæ in *æterni* maxime, quem Deus in rerum natura servaret, *ordinis* cognitione sobria resultare ubivis inculcasset, aliaque doceret a Spinozæ sententia non-aliena: hinc contra Leenhofii *Cælum* terrestre prodierunt tum Florentini Bomble & Taci Haji van den Honert, Ministrorum Ecclesiæ Amstelodamensium, ad Leenhofium Epistola; tum Creyghtonii *Cælum* in terra, Leenhofii *Cælo* in terra oppositum, ac Eusebii Philometoris ad Leenhofium Epistola una cum Anonymi falso conficto *Cælo* Leenhofii & aliis quibusdam. Quibus scriptis quum adeo impugnatum videret Leenhofius *Cælum* suum, e re sua esse censuit, scriptum apologeticum, ipsi *Opheldering van den Hemel op Aarden* dictum, edere, quo *cælum* suum collustrare, nebulasque per præjudicia & sensum malignum in eo coortas dispellere allaboravit. At quum hæc Denubilatio nullo modo Leenhofii antagonists satisfacere, opposita ei fuit Epistola F. Bomble & Honerti ad Leenhofium altera, ac Jo. Creyghtonii in Leenhofii *Cælum* denubilatum Animadversiones. His vulgatis tertium scriptum Leenhofii prodiit, quod est *breve* ejus ad Epistolam Honerti *Responsum*, quo Animadversiones cujusdam Anonymi rationales falso sibi per Honertum imputari respondet. Impugnatum est hoc Leenhofii scriptum ut & alia ejusdem per Epistolam Honerti tertiam, quartam & quintam; exceperunt
idem

idem Joannis Ovtreinii, Professoris Dordraceni, Monita ad Leenhofium necessaria; item Johannis Sluiteri Consensus Leenhofii cum Spinoza & Philopatre, nec non Francisci Burmanni, Jo. Henr. Cocceji & Anonymi cujusdam scripta Anti-Leenhofiana. Post scriptorum horum recensum Auctor noster ad *πρῶτον Ψεῦδος* se confert & *capita doctrinae Leenhofianae Spinozisticae præcipua* enumerat, ubi tamen se non omnia Leenhofii *παρολογίσματα* indicare præmonet, partim quod Leenhofius crambem Spinozismi jam satis cogniti recoxerit, partim vero quod Leenhofii errorem magis ex proprio ipsius ore & ad Articulos in judiciis Ecclesiasticis sibi propositos responsionibus, Synopsi insertis, cognosci maluerit, quam sententiam minus recte forte intellectam, pro seculi nostri cacoethe, suis ipsi verbis affingere.

Ast quum Leenhofii sententia, tribus scriptis ejus nuperis, *Cælo videlicet in terra*, hujus *Denubilatione & brevi Responso* disseminata, tum omnem religionem, omnem magistratum, omnes leges, tum fœdera omnia societatisque humanæ vincula dissolvere his & illis visa esset, ea propter *Ecclesia Belgarum Reformata*, de scandalo per Leenhofium suum suscitato sollicita, rem omnem ad Classium suarum examen & Synodorum judicia nec non ad Magistratus sui tribunal summum deferre statuit. Enarrat inde Auctor tum Synodi Alcmariensis de A. 1704 contra Leenhofium declarationes, cum literis Synodi Hollandiæ septentrionalis & meridionalis duabus commonitoriis ad Transisalanos, tum requisitionem aliquam Deputatorum Synodi ad Ordines Hollandiæ Præpotentes directam horumque apostolium. Post hæc *Articulos* quosdam *satisfactorios* recenset, qui a Consistorio Suollensi Leenhofio in causa sua præscripti fuerunt, ut iis ad scandalum datum tollendum subscriberet, & quos post Leenhofii subscriptionem tum Classis Suollensis tum Synodus Transisalana adprobarunt. Antecesserant hos *Articulos satisfactorios Articuli* quidam *inquisitorii*, ad quos Classis Suollensis Leenhofii responsa postulaverat; ex quibus itidem Auctor quosdam cum Leenhofii responsis adjecit. Ast quum Leenhofii ad articulos Classis Suollensis in-

quisitorios responsio non satis sibi ubique constans, nec Articulorum satisfactoriorum per Consistorium Suollense facta, promulgatio sufficiens fratribus Reformatis visa fuerit, quod Leenhofius vocem Jacobi & manum Esavi habuisse multis crederetur, Classis inde Amstelodamensis d. 4 Maj. A. 1705 *Quæritur* quoddam, ut vocant, ad singulas Hollandiæ septentrionalis Classes misit. Acceptis responsis ceterarum Classium ad *Quæritur*, Deputati Synodorum alteram quandam requisitionem Statibus Hollandiæ Præpotentibus obtulerunt; quam Auctor una cum apostolio Statuum integram exhibet. Gestis his rebus A. 1705 in utraque Hollandia, mense Majo A. 1706 Campos Transisalanorum Synodus fuit convocata, in qua decreto *Commissariorum Status Politicorum* causa Leenhofiana, propter Articulorum satisfactoriorum promulgationem, pro jam decisa & dijudicata declarata, Status Transisalanæ ulteriore ejusdem causæ inquisitione vel in Classe vel in Synodo suis interdixerunt. Excepit hanc Transisalanorum Synodum posterius Classis Amstelodamensis *Quæritur*, ad quod in Synodo Amstelodamensi M. Aug. 1706 consensu Classium decretum fuit atque conclusum, ut inter cetera tum Acta Synodorum Hollandiæ in causa Leenhofii per Deputatos Ecclesiasticos, *Geelkerkium & Honertum*, in testimonium publicæ detestationis ederentur, tum *Protestatio Synodi Hollandiæ septentrionalis communis contra Leenhofium & Acta Transisalanorum* publicarentur; quam pariter Auctor una cum *Protestatione Synodi Hollandiæ meridionalis solemni*, nec non *Ordinum West - Frisiæ Edicto* contra Leenhofium gravissimo integram exhibet. Accessit eidem aliud Statuum Hollandiæ West-Frisiæque *Edictum* de mense Dec. 1706 contra quod tamen *Status Transisalanæ* alio *Edicto* de die 11 Jan. hujus anni, Hagæ - Comitum in Senatu Statuum exhibito, fuere protestati. Atque hucusque historia Auctoris nostri procedit.

Ceterum dum fertile admodum est ævum nostrum scriptorum spinosissimorum & sententiarum paradoxarum, Auctor simul in Præfatione meminit sententiæ novissimæ *Henrici Dodwelli*, viri alioquin doctissimi, *de anima, in se mortalis, im-*
mortalis-

mortalitate, sola legitimorum Episcoporum benedictione baptismali impetranda, quam hypothesin Dodwellus in libro Anglico A. 1706 Londini, dum Auctor noster ibi esset, edito & a nobis mense Junio hujus anni recensito, audacter adstruere, summis in Anglia viris & eruditione celeberrimis indignantibus, est annisus. Suspiciatur vero Auctor, quod forte Dodwellus necessitatem Hierarchiæ Episcopalis, tum singulari quondam de Successione Pontificum Romanorum primæva dissertatione, operibus posthumis Jo. Pearsonii, Londini A. 1688 a Dodwello editis, annexa, tum nupera sua ad Exteros de schismate Anglicano Parenesi A. 1704 Londini vulgata, assertam novo argumento voluerit corroborare. Quam quidem hypothesin Dodwellianam Jo. Franc. Buddeus, in Academia Jenensi Professor Theologiæ percelebris & Collega noster æstumatissimus, A. 1705 peculiari quadam de origine & potestate Episcoporum exercitatione discussisse constet; perinde ac altera illa Dodwelli de anima mortalitate naturali sententia paradoxa illico post partum suum quatuor Anglorum clarorum, Sam. Clarkii, J. Turneri, Th. Millii & E. Chishullii scriptis doctissimis jam impugnata fuerit & confutata.

HISTOIRE DE LA VIRGINIE.

i. e.

*HISTORIA VIRGINIÆ ETC. AUCTORE
natione & civitate Virginiano.*

Amstelodami, apud Thomam Lombrail, 1707, 12.

Constat 20 plag. & nonnullis fig. æn.

ANglico primum sermone hanc Virginie historiam protulisse ipsa nos libri docet inscriptio, annum vero primæ editionis Gallicus noster Interpres reticet, quem, si conjecturæ locus est, referre ad millesimum septingentesimum quintum possumus: eo enim anno in Historia Operum Eruditorum (*History of the Works of the Learned*) quæ Londini colligitur, ejus nobis recensensus datus est mense Majo, non addito, quo prælum subiit, anno. Solo autem candore se commendare publico

studet Auctor operis, unde nec styli vult rationem haberi, nec elegantis habitus, quo placere capiunt alii, quando eo longe dissitarum orbis partium descriptiones ornant, ubi tamen non merentur, quam sperant gratiam, quandoquidem pro vero fabulas, & pro genuina historia sui ingenii lusus venditant, cujus facinoris reos facit Gallos Noster, quod ingenio polleant ad inveniendum apto & placendi cupido, & dolet hactenus nullam, ne inter mediocres quidem habendam, orbi oblatam esse Virginiae, celeberrimae Novi Orbis partis, delineationem; unde defectui huic serio mederi volens, eo arctius sibi obstrinxit harum rerum studiosos, quo majori rerum patriarum (Virginiae enim vitalem auram debet) notitia instructus fuisse videtur. In quatuor Libros integrum opus divisum est, e quibus aliqua delibare in usum Lectoris instituti nostri jubet ratio, cujus interim non transgressuri limites, ex primo id solum observamus, arduum fuisse admodum primas in nova regione sedes figere, de quo anno 1583 sub auspiciis Elisabethae Reginae Angliae agi coepit, quippe tam infelici aliquoties successu res suscepta est, ut integrae colonorum cohortes ante adventum aliorum ex Anglia, qui prioribus ferrent suppetias, vel fame vel barbarorum crudelitate perierint, vel etiam ita disparuerint, ut quaesitorum nulla reperta sint vestigia: imo postquam jam domicilia perpetua statuerunt, ac cum feris hominibus pepegerunt amicitiae foedera, ab his animo vindictae avido incitatis perfidiose una plus vice ad internecionem fere deleti sunt, quae tamen ab hostibus illata calamitas multum aucta fuit intestinis litibus, ex avaritia & ambitione novorum incolarum plerumque trahentibus originem, ut Auctor noster fateatur ingenue, adeo ut raro ipsis Praefectis pariant, quorum incusat vel negligentiam, vel rerum gerendarum imperitiam, vel ambitionem, vel avaritiam, tanta libertate, ut vix aliquem sine censoria dimittat virgula. Plenior est narratio in secundo Libro, ubi primo capite fines Virginiae constituuntur & orae proximae, secundo de fluviis agitur, quorum pars navigia majora sustinet, tertio de varietate agri & ingenio soli, quartum fructus sua sponte nascentes, quorum ubertate nulli terrae cedit, exponit, fitque mentio hic arboris melliferae, in cujus turgidis siliquis ipsum mel contineatur, &

tur, & alterius, quæ vulnerata succum stillet, cujus octo libræ in unam conspiciuntur sacchari, & myrti arboris, cujus bacca aqua affusa coctæ in ceram, ut Noster loqui amat, abeant viridem alia duriorem, quæque in candelas coacta tantam odoris suavitatem spiret, ut assidentibus sint in delitiis, nec minus usum præstent chirurgicum nuper satis detectum; magnitudine bacca piperis grana æquant, & cedride, quæ eadem pollere virtute dicitur, majores sunt. Planta Urbis Jacobi (*la plante de James-Town*) pomo spinoso Peruviano valde similis, ut speciem ejus esse Noster conjiciat, vi turbandæ mentis gaudere asseritur, quod Angli aliquot experti milites, qui saporis inducti gratia liberius eam degustarunt, & undecim dies mimicis gesticulationibus miram herbæ efficaciam suo malo comprobarunt, pristina tamen sanitati exacto tanto temporis spatio redditi. Florem quendam, Tulipæ in multis similem, genitalia humana utriusque sexus conjuncta accurate exprimere, in eodem capite discimus. Verum plura sunt numero vegetabilia, quæ novitate sua se commendant, quam ut huc possimus transcribere; medicarum quoque plantarum præstantissimi usus non exiguus proventus est, ut febrifugarum, contra inveterata ulcera, & aliarum, quarum plenior descriptionem propter penitioris scientiæ naturalis defectum Noster in se non suscipit, unde merito mortem Banistrii præproperam deflet, qui pro singularibus dotibus inchoatam hanc telam Historiæ naturalis Virginiae digne pertexere potuisse credendus est. Caput quintum pisces fluviatiles & marinos enumerat, atque certis æstatis diebus tam largam ferre fluvios halicum copiam asserit, ut equo per eos vehi vix sit liberum, quin conterantur unguis. Capite sexto, quod de volucris & feris conscriptum est, nihil a bestiis sævisis metuere incolæ dicuntur, quod illæ hominum conspectum pavida fugiant. Hic animalis, quod Possum Indi vocant, singularis sequitur descriptio. Hujus ventre membrana obducta est, quæ ita primo partu expanditur, ut postea manus sine molestia animalis immitti possit, eo destinata, ut recondantur in illa & ex ea emittantur pulli quovis oportuno tempore, ut quando uberibus, quæ in capsula latent, admovendi, vel alio a matre deportandi, vel

di, vel somnus capiendus; atque hoc uti domicilio liberum est pullis, donec sibi de victu ipsi valeant prospicere. Sed, quod magis notandum est, hic secundus quoque venter conceptioni & gestationi dicatur, atque vidisse se fidem interponit Auctor noster, foetus musca non majores adhærentes uberibus, a quibus deinde justum robur nacti, & pilis obsiti, oculisque apertis, in subjectam membranam decidant. Non apud unos peregrinorum diligentes observatores hujus mentionem animalis injici certum est, nec succurrit, qui idem se vidisse fateatur, id tamen novimus, Rupefortium in Historia naturali & morali Antillarum insularum idem describere & effigiem exhibere sub nomine *Opassum*, sed masculum quoque sacculo hoc a natura donatum addit, in eum finem, ut matrem circumferendis pullis sublevet. Plura dicere materiae suaderet jucunditas, nisi brevitatis leges imperarent aliud, unde etiam ex tertio libro, qui in consuetudinum Indorum in Virginia enarrationem insumitur, multa huc vocare non est liberum. Simplex vivendi genus nec minus felix laudatum hic reperias, & legisse non poenitebit, quæ capite 7 de bellis & pacis sancienda modo & cap. 8 de cultu Deorum adferuntur in medium. Nam neque ad illos accedit Auctor, qui distinctam de Deo notitiam Indis vindicant, nec his, qui omnem Divinitatis notionem derogant, sed media incedens via, nec nimium, nec justo minus tribuit. Quoniam autem religiose Sacra abscondere in more illis positum est, paucis forte ea sunt satis cognita, quæ Auctori licuit singulari fato detegere; quippe quæ ipse viderit, se propalare, non dubitat asserere. Frugalitas in victu uti sanitatis conservatrix est, ita nec amplo medicamentorum apparatui hic locus est, sed balnea & sudores pene rem conficiunt; quanquam nec Medicorum exigua sit auctoritas, quod Cap. 9 testatur. Plura alia notatu non indigna proferuntur in sequentibus, ad quæ ipsam Lectoris industriam remittimus, sicuti quoque ad ea, quæ in Libro quarto de administranda civitatis ratione, ab Anglis introducta, occurrunt.

E R R A T A.

In Actis hujus Anni p. 80 lin. 12 lege *Epicacuanna*: p. 206 lin. 2 pro *geminum* l. *genuinum*: p. 264 lin. 16 lege *וְיָדָה* & ib. lin. 23 lege *וְיָדָה*: p. 310 lin. 8 & 19 lege *de Lagny*.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno MDCCVII.

RECUEIL DES VOYAGES &c.

h. e.

*SYLLOGE ITINERUM, QUÆ MERCATORUM FOE-
derati Belgii ad Indos Orientales navigantium So-
cietati fundamenta atque emolumenta
præbuerunt.*

Tomus I, Amstel. apud Steph. Roger, 1702, 12

II 1703.

III & IV 1705.

V 1706.

Constant Alph. 6 pl. 12

& Fig. æn. plurimis.

Præmissa est hujus operis Tomo I Dedicatio ad Illustrissimum Chamillartum, Regis Galliarum Ministrum primarium, cui Collector Itinerum nomen *de Constantin* subscripsit, tum & Præfatio, in qua id agit idem, ut quibus modis Belgarum ad Indos Orientales navigantium Societas toto orbe celebratissima a tenuibus initiis ad annum usque 1631 (nam ultra non progreditur Noster) creverit, appareat. Nimirum cum diu Belgæ a Carolo V & Philippo II fuissent ab Indorum commercio exclusi, tandem de via cogitabant, qua in Indiam, vitatis Hispanis & Lusitanis, penetrarent. Tametsi vero parum fructuosa fuisset profectio, quam A. 1594 Wilhelmus Barenz & Jacobus Heemskerck sumptibus mercatorum quorundam Zelandicorum susce-

U u

perant,

perant, nihilominus sequenti anno Amstelodamenses nonnulli, *Societatis regionum dissitarum* nomen sumentes, Cornelium Houtman cum quatuor navibus in Indiam destinabant, quippe quem in Lusitania de itinere ad Indos paulo curiosius perquirentem, eoque carceri mancipatum suo ære liberarunt. Eo post duos annos quatuorque menses, quanquam haud magno cum fœnore reverso, & aucto interea mercatorum lucrum sperantium numero, denuo A. 1598 Amstelodamenses octo naves in Indiam dimittunt, quibus præfectum imponunt Jacobum van Neck, earumque nondum expectato reditu, anno sequenti tres aliæ, præfecto Stephano van der Hagen, solvunt. Dum tanto ardore res apud Amstelodamenses agitur, in Zelandia quoque, ut & Roterodami, parvæ excitantur classes, neque minus nova Amstelodami Societas inter mercatores maximam partem e Brabantia oriundos coalescit, eaque quatuor naves onerarias, totidem aliis e veteri Societate junctis, sub finem anni 1599 in Indiam mittit, quæ post biennium multis cum divitiis rediere. Quo rerum successu plures invitati passim, in Hollandia & Zelandia A. 1600 & 1601 classes instruebant. Contra Hispani navali conflictu fatigabant naves Belgicas, & Lusitani per Legatum quendam suum, Ordinis Sancti Francisci monachum, effecerant apud Regem de Achem, ut Belgis hostem se præberet, quod utrumque frustra fuit, Hispanorum impetu eluso, & Indorum Rege paulo post reconciliato. At cum nihilominus Hispani clam palamve insidias struerent Belgis, tum demum Mauritius Præfectus & Status Fœderati Belgii, publica his, qui iter in Indiam instituunt, mandata dant, iisdemque adoriendi Hispanos atque Lusitanos licentiam faciunt. Quin & auctis nimium ejusmodi Societatibus, cum minor esset e profectioe proventus, Status Generales Hagam invitant omnes Societatum Directores, iisque persuadent, ut in unum velut corpus coirent A. 1602 die vigesima Martii, privilegio in annos viginti & unum concesso. Itaque mox paulo majores classes emittuntur, quarum successu excitatus Philippus III, Rex Hispaniæ, A. 1605 Belgis commercio non minus cum Indis Orientalibus & Occidentalibus, quam cum Hispanis interdicit, capitis supplicium minatus. Verum Belgæ
nequa-

nequaquam his minis deterriti non modo onerarias, sed & bellicas naves exstruunt & militem imponunt, exactisque paulatim e Moluccis insulis Hispanis, inducias tandem cum Hispanis & Lusitanis in annos duodecim paciscuntur A. 1607, quas neutra tamen pars exacte servasse videtur. Quantum sequentibus annis creverit Societas, vel ex eo intelligitur, quod A. 1623 aliquot mercatores, quicquid piperis paratum habebant, quod novendecim millibus sarcinis (*bales*) convolvebatur, ingenti pecuniæ summa (*pour quatre millions-cinq-cents mille livres*) emisse dicuntur. Cæterum Status Belgii Generales, renovatis identidem Societatis privilegiis, diligenter cavebant, ne quid jurgii excitaretur inter socios, idque prudentia efficiebant, ne quid vel Angli vel Galli piratæ detrimenti huic commercio afferre possent. Quot vero quotannis naves postea vel profectæ in Indiam, vel ex ea reversæ sint, pluribus e Collectore nostro recensere supervacaneum ducimus. Quin potius ipsa etiam Diaria itinerum horum, singulis tomis contenta, quibus Collector hoc majorem adstruit auctoritatem, quod ideo scripta non essent, ut in publicum ederentur, eoque ipsa simplicitate sua veritatis argumentum præbeant, paucis enumerabimus.

Tomus I Iter Hollandorum & Zelandorum primum Septentrionale, pro inveniendo transitu in Regna Cathai & Chinam per mare juxta ripas Norvegiæ, Moscoviæ & Tartariæ, primo loco exhibet, cui succedit p. 15 Iter secundum eandem plagam versus, & p. 29 tertium indultu Senatus Amstelodamensis 1596 institutum, cui subjuncta tabula est, locorum, per quæ iter factum est, distantiam designans p. 141, tum Itinerum continuatio p. 146, & Descriptio Siberiæ, Samojedæ & Tingoësæ ex Moscorum scriptis hausta p. 151, quibus adjecta Io. Is. Pontani dissertatio, qua difficultates solvit, quas alii in expediendo per has oras itinere objiciebant, quarum superandarum media suggerit p. 188. Infeliciter tamen itineribus his succedentibus, alia via in Indiam tentari coepta est: itaque itineris denuo ad Indos Orientales suscepti historia p. 197 exhibetur, quam Collector excerptam monet ex eorum diariis, qui una profecti sunt, variis observationibus ab ipso illustratam; in hac de regionis &

incolarum indole plenius agitur. Secundum iter, p. 507, ingressa classis est octo navium duce Jacobo Cornelio van Neck A. 1598, quod partim ex hujus diario, partim ex aliorum de eo scriptis compilatum est. Denique p. 609 Relatio extat itineris quinque navium Roterodamensium ad Fretum Magellanicum A. 1598 duce capitaneo Sebaldo de Weert suscepti & A. 1600 finiti.

Tomus II Iter primo loco exhibet Hollandorum circa Orbem terraqueum per Fretum Magellanicum ductu Oliverii de Noort anno 1598, & p. 130 Iter Pauli van Caerden in Indiam Orientalem anno 1599 susceptum. Hinc vela dedit Jacobus van Neck, cujus itineris Descriptionem p. 179 legas, ut & p. 250 diversorum Commentarios de Indis Orientalibus, deque commercio diversis in locis constituto, cum regionum aliquot historia. Tum vero p. 295 sequitur Iter Stephani van der Hagen tribus navibus anno 1599 & sequentibus confectum: p. 356 Iter quinque navium Hollandarum ad Indos Orientales navigantium ductore Wolpharto Harmansen A. 1601, cum alia itineris Epitome Cornelii de Veen, & p. 421 Iter primum Georgii Spilbergii, ad Indos cum tribus navigiis eodem anno susceptum, cui p. 552 subnectitur Jabadii insulæ seu Magnæ Javæ descriptio, auctore Jacobo Pontano: denique ultimum locum hic occupat Iter quinque navium, quas Societas certis jam legibus confirmata in Indiam misit.

Tomo III præmittitur Præfatio, qua respondetur illis, qui publice profiteri non dubitant, de Indiæ rebus nihil certi in medium posse adferri, quoniam illa pars historiæ nondum satis culta sit. Remittit hos Noster ad hanc Itinerum variorum Syllogen, qua res a testibus oculatis sine partium studio exponantur, ut facile hinc satisfieri possit satyræ, quæ sub tit. *La Conduite des Hollandois en Asie* prodiit. Addit præterea, cuncta hic fideliter e Belgico sermone translata esse, ita tamen, ut supervacanea quædam fuerint omissa. Reperias autem in hoc tomo primum secundi itineris a Stephano van der Hagen, qui classem ducebat duodecim navium, nec non itineris navis cujusdam Bantamum & Coromandalam versus directi Descriptionem,

tum

tum p. 205 itineris Cornelii Matelief junioris in Indiam Orientalem & p. 606 itineris secundi Pauli van Caerden ad eandem plagam Descriptionem, cui subjuncta est p. 700 Historia Indiæ propriæ, quam Indostan Persæ & Arabes appellare solent.

Tomus IV exhibet primo loco Iter Petri Willemsz Verhoeven in Japoniam aliasque Indiæ Orientalis provincias anno 1607 susceptum, cum narratione eorum, quæ gesta sunt in Bornei insula & descriptionibus insularum Amboinæ & Moluccarum, quales fuerint anno 1627 a diversis adornatæ, quibus varia adnexa sunt, ut societatum & foederum cum exteris Principibus & populis initorum capita, & plura alia. Sequuntur p. 306 Iter Petri van den Broeck ad Caput viride, Angolam Indiamque Orientalem, in quo apparet ratio erectæ casæ Hollandorum in Jacatra, quæ mox surrexit in arcem dictam Bataviam, a qua nomen sortita inde est urbs amplissima: p. 474 Iter Georgii Spilbergii ad Moluccas insulas per Fretum Magellanicum: p. 567 Navigatio australis Jacobi le Maire & Wilhelmi Cornelii Schouten, annis 1615, 1616 & 1617 peracta, qua detectus est transitus per Fretum Magellanicum, qui protenditur ad Mare Australe: p. 663 Iter classis Nassovicæ ad Indiam Orientalem per Fretum Magellanicum, anno 1623 sub auspiciis Jacobi l' Hermite cœptum, finitum 1626, cui addita p. 749 delineatio Peruæ, ab Hispano captivo Petro de Madriga, Limæ nato, facta.

Tomus V complectitur p. 1 Iter Seygeri van Rechteren in Indiam Orientalem: tum Descriptionem Insulæ Formosæ, auctore Georgio Candidio p. 74, & urbis Macai, auctore Marco d' Avalo p. 129: Iter Henrici Hagenaar, cœptum 1631 & absolutum 1639, in gratiam Societatis Indiæ Orientalis p. 156, cum historia Imperii Japonici Francisci Caron ab eodem Hagenaario aucta p. 301, in qua comparet quoque diræ persecutionis illic contra Christianos, Ecclesiæ Romanæ addictos, anno 1622 & sequentibus institutæ descriptio, auctore Reyero Gisbertsz p. 395, cum aliquot diversi argumenti tractatibus minoribus. Tandem p. 459 sub titulo *Formosa neglecta* pluribus ostenditur, quomodo hæc Insula cum ei in tempore Societas Belgarum Indica suppetias, toties a

provinciarum Rectoribus flagitatas, non ferret, a Coxinga tyranno, Belgis penitus anno 1660 ejectis, fuerit sub Chinenfium imperium redacta.

HISTOIRE DE LA CONQUESTE DES
Moluques.

h. e.

*HISTORIA EXPUGNATIONIS INSULARUM MO-
luccarum, per Hispanos, Lusitanos & Batavos facta,
Autore ARGENSOLA.*

Tomi III.

Amstelædami, apud Jacobum Desbordes, 1706, 12.

Constant Alph. 2. pl. 8. & multis Fig. æn.

Moluccæ Orientalis Oceani insulæ gravissimorum motuum, extiterunt causæ, quibus Hispani nimirum & Lusitani diu commissi sunt, cum Ferdinandus Magellanus Seculi XVI initio, superato freto, quod ab ipso nomen traxit, easdem adiisset, & utraque gens eas sibi vendicaret, atque æmulum Ternatæ atque Tidoris Regum dissidiis in commodum suum versis, unum Hispani tuendum suscepissent, alteri subvenirent Lusitani. Enimvero cum frugum variarum, & nucis moschatae cumprimis, atque caryophyllorum læto proventu floreant, & quæstum longe uberimum in iisdem mercatores facere viderentur, qui ex Europa nostra eo commeantes aromata isthæc importaverant, utrique inhiare ipsis cœperunt & in longas dimicationes cruentaque certamina conjecti sunt, donec Batavorum tandem prævaluerunt vires, qui foedere barbaris Regibus juncti munitiones hinc inde fecerunt atque fructuosam illam mercaturam ad se traxerunt. Quæ fata ergo fuerint Insularum, dum gravissimis conflictationibus Europæ gentes inter se experiuntur, utra alteri anteferatur, post Gomaram, Lætum & alios Indicarum rerum scriptores *Argensola* quoque exponendum suscepit, cujus Historiam Hispanico idiomate antehac contextam & nuper admodum in Gallicam linguam translata atque Amstelodamensium typis excusam nunc tenemus. In hac cum, præter ipsam rerum in Moluccis gestarum seriem, alia interdum valde jucunda adspargantur, nos specimi-

speciminis loco sequentia enotabimus. Reges Ternatenses atque Tidorenses divina sua origine semet præ aliis efferre tomo I p. 4. seq. memorantur. Nimirum cum quidam eorum *Bicocigara* navi veheretur aliquando, & vidisset inter rupes enatas cannas quasdam rectas & solidas, easdem jussit resecari. Id vero cum facerent, qui jussi erant, sanguinem fluere ex abscissis ita cannis, & ad radices deinde ipsarum quatuor animadverterunt ova, qualia colubrorum esse solent; quod prodigium cum attoniti spectarent, vocem etiam audiisse sibi visi sunt monentem, ut probe servarent hæc ova, ex quibus quatuor Principes insignes prodituri sint. Atque comprobata est, ut fingunt, eventu Oraculi veritas; siquidem ex inclusis diligenter ovis, non secus ac ex *Ledæ* istis in fabulis, tres mares & foemella una rupto putamine erepserunt, quorum primus insulæ *Bacham*, secundus insulæ *Butam*, tertius illis, quæ *Papouës* dicuntur, imperavit, foemella Principi *Loloda* nupsit, qui in regione *Batochina* floruit. Exinde incolæ provinciæ hodiernum illum *Bicocigara*, velut Heroem maximum, venerantur, quin & ova quatuor adorant & rupes, in quibus inventa fuerant, singulari cultu prosequuntur. Tomo I p. 151 mentio fit insulæ cujusdam non longe ita ab ista, quæ *Banda* nuncupatur, distantis, cujus incolæ statura sua non nisi quatuor spithamas adæquare dicantur, utque narrationem de *Pygmæis* cum gruibus certantibus minus indubium vocemus, faciant. Tomo II p. 95 ritus exponitur, quo in insula *Banda* mortuos sepeliunt, ubi inter alia de obscuris quibusdam demurmurationibus traditur a vivis ad defunctos vita factis, de quibus a *Batavis* interrogati responderunt, rogare se, ne corporis vinculis soluti in vitam velint redire, subindicantes, quam misera sit hominum vita & quibus calamitatibus implicata, & iniquum judicantes adeo, si quis nimio ejus desiderio teneatur. Leguntur in hoc libro variarum etiam insularum descriptiones, & qua ratione *caryophylla* crescant & legantur, Tomo I. p. 107, ut *myristicæ* nuces proveniant, Tomo II. p. 87 explicatur, sed hæc aliorum industria, qui Itinerariis scribendis manus admoverunt, cognita jam nobis atque perspecta sunt.

THE LIFE OF LEOPOLD LATE

Emperor, &c.

i. e.

*VITA LEOPOLDI IMPERATORIS, RES EJUS NON
minus cum Turcis, quam Christianis annis fere sexagin-
ta gestas complexa, una cum documentis authenticis,
epistolis, tractatibus, chara-
cteribus &c.*

Londini, apud T. Newborough, 1706, 8.

Alph. 1 pl. 3.

Leben und Thaten Sr. Majestät, des Römischen
Käysers LEOPOLD, des Ersten &c.

i. e.

*VITA ET RES GESTÆ IMPERATORIS ROMANI
LEOPOLDI I; collegit D. JO. BURCHARDUS
MENCKENIUS, Hist. P. P. & Societatis Regiæ
Angl. Socius.*

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1707, 8.

Alph. 2 pl. 13.

UT compendium recensiois faciamus, Vitas has, quanquam
diverso idiomate scriptas, conjungendas duximus. Quæ
Anglico prodiit, disimulato Auctoris nomine, & ordine & stylo
satis concinno conscripta est, & continet nonnulla, quæ Au-
ctori a viris in Aula Cæsarea versantibus communicata videntur;
cæterum Scriptores, quorum fide usus est, allegat nullos, & no-
mina Germanica, tum locorum, tum personarum, ut solent exteri,
passim mire pervertit. Imprimis tamen laudandum, quod episto-
læ subinde inferuntur, a Leopoldo ad Iacobum II, Wilhelmum, III
ipsamque Annam scriptæ, quas inter lectu dignissima est pag. 188,
qua Jacobi exilium moleste se ferre significat, ita tamen ut de inju-
riis Gallorum, quibus plus nimium obsecutus ille sit, Imperio
illatis

illatis simul gravissime conqueratur. Hoc opere diligenter se-
 usum fuisse in Germanica, quæ hic una exhibetur, Cæsaris hujus
 Vita, quam per compendium, maturato in gratiam Bibliopolæ
 labore, concinnandam sibi sumpsit, *Menckenius* noster non diffi-
 tetur, ita tamen ut ad veritatis amissim omnia examinaverit, er-
 roresque nominum magna cura correxerit, nec his contentus,
 quæ Anglus suæ maxime gentis studiosus attulisset, longe
 plurima passim ex probatissimis Scriptoribus, qui in margine al-
 legantur, adjecerit, unde factum, ut hæc ipsa Leopoldi Vita non
 solum alia penitus ab illa, verum & multo copiosior, ut vel ipsa
 libri moles docet, evaserit. Et plura hic in primis deprehendas,
 ad mores Cæsaris vitamque secretiorem & mortem denique
 ipsam spectantia, quæ in Anglica editione frustra quæsieris, quæ-
 que partim e Jo. Comatii Vita Leopoldi, Ephemeridibus Leopoldi-
 dinis, quas Jo. Baptista Adolph compilavit, D. Jo. Adami Schenk-
 helii Diario Leopoldi, tum & Dan. Omeisii, Ant. Stieffii, Pau-
 li Hansiz, ipsiusque Comatii & aliorum Panegyricis in obitum
 Leopoldi dictis, Commentariis item historicis sparsim editis at-
 que amicorum epistolis hausta sunt. Meminit vero Auctor in
 Præfatione, præter Gualdi & Comatii Vitas Leopoldi prodiisse
 etiam Vitam hujus Cæsaris, Hispanico idiomate consignatam
 & ad annum 1686 deductam, Mediolani A. 1696 tribus Volu-
 minibus in folio, cui Auctor, cujus nomen paucis notum, præ-
 posuerit literas D. M. G. P. Ceterum ex ipso libro, quem in ma-
 nibus habemus, non est, ut specimina afferamus, quin potius
 ad ejus lectionem historiarum cupidos amandamus.

**CHRISTIAN WEISII ORATORIA-
 risches Systema, etc.**

i. e.

*CHRISTIANI WEISII SYSTEMA ORATORIAE, IN
 quo disciplina hæc ex justis principiis ordine evidenti de-
 ducitur, novisque exemplis illustratur; accessit de
 Politicis Orationibus caput
 curiosum.*

X x

Lipsiæ,

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1707, 8.

Alph. I pl. 21.

Nondum bene mereri de studiosa juventute destitit Celeberrimus *Weisius*, cujus novum hic Oratoriæ Systema exhibemus, in quo, quæ vario usu comprobavit atque in aliis libris suis Rhetoricis sparsim indicavit, in unum velut succincte collecta exhibentur. Cumque methodo erotematica, quam nostri hoc tempore tantopere amant, utatur, probe a se invicem distinxit graviores & leviores quæstiones, ut & præceptorum & discipulis bene consuleret. Etsi vero hic nucleum velut scriptorum omnium dederit Auctor doctissimus, tantum abest tamen, ut illa ideo negligi, ut potius in huius libri illustrationem diligenter adhiberi velit. Ne tamen seducantur lectores, cum plures libri *Weisio* hætenus adscripti fuerint, quos ipse nequaquam pro suis agnoscit, ideo catalogum exhibet librorum circiter septuaginta, sive Germanico sive Latino idiomate conscriptorum. Nos, cum Germanici sint longe plures, Latinos saltem hic recensere non gravabimur. Sunt vero hi: *Sebastiani Cesaris de Menesis summa Politica, cui adjecta Idea Statistica*, 1676; *de Læctione Novellarum*, 1676; *de Poesi hodiernorum Politicorum, seu de argutis Inscriptionibus Libri duo*, 1678; *Doctrina Logica*, 1681; *Institutiones Oratoriæ*, 1687; *Subsidium juvenile de artificio & usu Chriarum*, 1689; *Nucleus Politicæ*, item *Logicæ* 1691; *Tabula Chronologica a nato Christo usque ad nostrum tempus*, 1691; *Nucleus Ethicæ*, 1694; *Systema Theologicum*, 1705; *Dissertationes porro de Principibus eorumque juribus, de fortuna politica, de Carolo Magno, de moralitate complimentorum, de existimatione Imperantium, de eo, quod honestum est, de elegantis realibus, de Logica Nobilium & Politicorum, de Latina lingua, quantum Reipubl. interfit, eam doceri? quid Barclaji Argenis conducatur legentibus?* Orationes denique *de Felicitate emeritorum, de conscientia Præceptorum, de ortu & progressu Scholarum per Lusatiam superiorem, & similes*. Quod ad ordinem Systematis hujus attinet, dividitur illud in partem theoreticam & practicam; illa classes instrumentorum secundum tres operationes, dispositionem, inventionem & elocutionem exhibet,

habet, tractatque adeo de chria ordinata & inversa, de periodo & chria composita, de argumentis dialecticis atque oratoriis (ubi speciatim de moribus) de affectibus, deque argumentis eruditis seu confectariis & paraphrasi seu argumentorum alienorum analysi, de phrasibus deinde Grammaticis & figuris Rhetoricis, de artificiis Oratoriis phrasium, quoad inventionem, dispositionem & expressionem, ut & de lectione Auctorum & collectaneis; hæc instrumentorum horum applicationem ostendit, ubi Auctor, insuper habita veterum divisione in genus deliberativum, demonstrativum & jurediciale, orationes omnes ad genus scholasticum, homileticum & politicum reducit, atque hinc separatim de orationibus, quibus thema simplex edisseritur, de historicis porro seu panegyricis, de epistolis & carminibus, de orationibus item hermenevticis & politicis agit.

DAVIDIS GERTMANNI EXERCITATIO ANTI-Tillianna.

Francof. & Lipsiæ, apud Phil. Godofr. Saurman, 1707, in 4.

Constat plag. 15.

DUabus partibus doctissima hæc dissertatio absolvitur. In priori Cl. Autor innocentiam Lutheranorum ab imputato ipsis a Celeb. Salomone van Til in Theologiæ Compendio crimine, quod revelationes rationi contradictorias statuunt, accurate vindicat, ita quidem, ut in ejusdem partis Sectione I neget, ab ullo Lutheranorum *γνησίως* talium absolute asseri, revelationem contradicere rationi, cum diserte doceant, rationi rectæ neque cum propositionibus, quæ unice ex revelatione dependent, neque cum propositionibus, quæ ex revelatione & ratione simul cognoscuntur, veram pugnam intercedere, sed corruptæ saltim rationi propositiones istas repugnare; aut certe propositiones theologicas, si rectæ rationi vere contradicunt, ex turbidis rationis corruptæ lacunis derivatas esse. Quibus præmissis ad *πρωτόν ψευδος* Lutheranis a Tillio tributum sese confert Autor. Juxta Tillium enim Lutherani ideo asserunt revelationes rationi contradicere, ut vim argumentorum ex ratione, desumptorum effugiant, quæ adversus consub-

stantiationem & alia dogmata objiciuntur. Sed doctissimus Gertmannus monet, argumenta quidem plurima a Reformatis contra Lutheranos divinitus revelata dogmata propugnantes in medium afferri, sed ne unicum quidem ex his, cujus vim effugere moliantur Lutherani, a Tillio monstrari posse, cum tela e corruptæ rationis pharetra deprompta jamdudum a Lutheranis fracta atque attrita fuerint. Præterea addit sibi pergratum fuisse, a Tillio non tantum illa reliqua præter consubstantiationem dogmata, propter quæ revelationes rationi contradictorias statuunt Lutherani, sed & argumenta illis opposita percipere, ut una cum istis vim illam, quam ipsis inesse vult, exactius rimandi concederetur copia. Nec immerito observat, si ex Consubstantiatione dijudicanda cum suis argumentis sint cætera dogmata, ne speciem quidem veri illis inesse, siquidem illa Lutheranorum consubstantiatio nihil sit, nisi monstrum quoddam, quod sui existentiam nonnisi Tillii & sociorum, quos ille sequi affectet, debeat cerebro. In Sectione II argumenta ipsa, quæ Tillius *in Theol. Revel. c. 24 pag. 180* contra fictam a se Lutheranorum consubstantiationem ex revelatione pariter ac ratione in medium attulit, ordine discutuntur, ut distinctius pateat, nullam plane vim argumentis adductis inesse, atque hinc evidentius cognosci possit, neque vel rationem vel revelationem Lutheranis, neque Lutheranos illis adversari. Pars secunda exercitationis in eo occupatur, ut ostendat, ipsum Tillium labe, quam Lutheranis temere adsperit, sese commaculasse, ac revelationis cum ratione pugnam toties commisisse, quoties præcipua Theologiæ suæ capita pro revelatis venditavit, quæ tamen non solum divina revelatio, sed & vel ea plane seposita, recta ratio ex naturalibus suis principiis falsa esse demonstrat. Tribus autem Sectionibus hæc Pars absolvitur. In I evincit, principium Theologiæ revelatæ, quod recta ratio infallibile, sufficiens & perspicuum esse pronunciat, fallax, insufficiens & obscurum esse juxta Tillii Theologiam. *Fallax* quidem, dum ipse statuit: (1) voces in Scriptura aliter accipi, quam inter homines, quibus ad salutem informandis illa a Deo data est, convenit; (2) Discordiam esse inter

se inter universum processum, quem Deum in salvandis hominibus in tempore servare Scriptura tradit, & inter Decretum ab æterno formatum de illo in tempore instituendo. Quorum prius probatur (α) ex allata a Tillio distinctione inter voluntatem Dei occultam, seu beneplaciti, & revelatam, seu signi; (β) ex distinctione inter vocationem externam & internam; (γ) ex asserta particularitate gratiæ Dei & meriti Christi, in illis Scripturæ locis, in quibus omnibus individuis humanis gratiam reconciliationis cum Deo offerri, & a Christo λύτρον pro omnibus illis Deo solutum declarari, voce sine ullo restrictionis indicio universalitatem hanc significante adhibita, quilibet ex naturalis iudicii vi intelligat; (δ) ex effectu Regenerationis, quem Scriptura Baptismo verbis in significato proprio acceptis tribuit, ei denegato, & in nudam significationem Regenerationis mutato; (ε) ex verbis institutionis S. Cœnæ tropice intellectis sine ullo adjecto tropi indicio, sine quo tamen, juxta regulas bonæ interpretationis hominibus cognitæ, aliter, quam in proprio significato, ab iisdem accipi illa non possunt. *Posterius* autem inde corroboratur, quod, cum scriptura expresse doceat, Deum in tempore homines, quotquot salvat, aut damnat, non citra respectum ullius causæ impulsivæ, nostro concipiendi modo, extra seipsum, salvare aut damnare, Tillius inficietur verum Deum, ex ulla causa extra se impulsam, ab æterno decrevisse, vel salvare, quos in tempore salvat, vel damnare, quos in tempore damnat. *Insufficiens* principium Theologiæ Tillii esse ostendit, quoniam ipse dogmata quædam sua facit, quæ exinde deducere non potest, deducere tamen ea conatur. Quod tandem principium Theologiæ revelatæ Tillii non sit *perspicuum*, ex jam dictis facile colligi posse monet Autor, cum scriptura, ex doctrina Tillii, vocibus aliter utatur ac communis usus jubet, aliud verbis proferat, aliud mente occultet. In II Sectione confirmat, Tillium circa Theologiæ finem objectivum, Deum puta, dogmata rectæ rationi adversa fovere: etenim ipsum infinitam Omniscientiam Deo detrahens, cum neget, Deum scire illa, quæ futura essent conditione certa aliqua impleta, quæ tamen, quia conditio illa non impletur,

actu futura non sunt: infinitæ Sapientiæ, quam recta ratio suspicit, adversari, cum docet, præscientiam divini intellectus decreto voluntatis ejus esse posteriorem, Deoque electionem tribuit, negata omni in illo, qui eligitur, ratione, qua impulsus Deus eum ex pluribus eligat: infinitam Potentiam, quam infinitæ essentiæ enti competere ex insitis humanæ menti principiis evidens est, ipsum destruere, quando negat, aliquid a Deo fieri posse, de quo, quod contradictionem involvat, ostendere ipse non potest: Veritatem ac Fidelitatem, quam recta ratio necessario in Deo concipit, illum labefactare, quia Deus scripti histrionice & proterve prorsus fallentis juxta ejus placita Autor est: Sanctitati, sine qua Deus non est Deus, repugnare, cum Deum peccati causam facit: Justitiæ divinæ refragari, quod juxta D. Tillium (1) Deus reprobos citra respectum ullius causæ in illis destinat æterno supplicio, (2) Deus reprobos gravissimo supplicio afficit, propterea quod voluntati ejus conformiter fecerint, (3) Deus reprobos obligat ad salutem, sub conditione fidei ipsis absolute impossibili, & propter eam non præstitam æternum damnat, (4) Deus reprobos ad damnationem simul & causas damnationis determinat: Misericordiam divinam tollere, quod, docente Tillio, Deus objecti miserabilis non misereatur: cum fine Creationis divina stare non posse, quod D. Tillius asserat, Deum omnes omnino homines, adeoque etiam reprobos, ad imaginem quidem suam creasse, non tamen ad vitam æternam: Deum neque Summum Bonum esse, neque fruitione ejus homines beari posse, si Deus tot tantisque imperfectionibus ac pessimis vitiis juxta Tillii Theologiam laboret. In Sectione II demonstrat, Tillium circa reconciliationis & restorationis modum rectæ rationi contradicere, siquidem juxta hanc in una persona non possint esse plures personalitates, sed tot sint personæ, quot sunt personalitates: Tillium vero de unico Mediatore ea tradere, quæ jubeant, ut plures in eo agnoscantur personalitates; aut, si plures esse posse personalitates negetur, nisi simul adsint plures personæ, e quibus sequatur, quod duo sint Mediatores, non unus; Tillium satisfactionem Christi e-

vertere,

vertere, dum talia illi adscribit, quæ non permittunt eandem esse causam salutis æternæ meritoriam: Tillium, quando verbo divino efficaciam solummodo moralem tribuit, paulo post autem asserit, regenerationis causam instrumentalem esse verbum Dei, quod concipitur ut semen regenerationis, impingere in rectam rationem, e qua manifesto constet, non posse illud physice effectum producere, cujus vis agendi tantum moralis est: rectam rationem evidenter nosse, quod divinæ scientiæ & bonitati repugnet, revelari quicquam, quod ad gratiam & salutem consequendam facere debeat, ad hoc vero, ut certam quis inde spem de gratia & salute consequenda concipiat, per se aptum non sit; huic tamen rectæ rationis effato contradicere Tillium, quia juxta ipsum quis in mediatore, quem non nisi pro nudo habere potest homine, suam fiduciam ponere debet; & de gratia Dei ac salute consequenda citra formidinem oppositi certus quis reddi nequit; negare Tillium contra rectam rationem, quod ad hoc, ut impietati quis inhæreat, per se aptum est, id per se non esse aptum ad impium ab impietate vocandum; dum (1) statuit absolutum electionis & reprobationis decretum, (2) docet, fidem in hominibus produci irresistibiliter, (3) autumat, fidem & sanctitatem amitti a regenito non posse. Quibus omnibus erudite deductis, concludit Autor noster, si in summam colligantur contradictiones, quibus D. Tillii Theologiam scaterere recta aperuerit ratio, cerni principium illius contradicere sibi ipsi & conclusionibus suis, conclusiones pariter sibi invicem contradicere ac suo principio.

THE JUST SCRUTINY: OR, A SERIOUS EN-
quiry into the modern Notions of the
Soul &c.

hoc est

*SCRUTINIUM EXACTUM, SEU INQUISITIO
seria in modernas Animæ notiones, quatenus consi-
deratur i instar halitus vitalis seu potentia (non im-
materialis Substantia) corpori unite juxta Scripturæ
Sacra*

Sacra tenorem: 2 instar principii naturaliter mortalis, sed per unionem cum spiritu baptismali immortalitate donati, juxta Platonismum nuper in Christiana Ecclesia resuscitatum. Autore W. C. M. D.

Londini, apud J. Chantry, 1706, in 8.

Constat plag. 14.

Edidit hoc opusculum *Cowardus*, Medicus Londinensis, ex tribus Epistolis compositum; quarum prima ad *W—m C—ck* perscripta *Cowardianam* de anima humana sententiam contra adversarios defendit; altera ad *Samuelem Clarck* data *Dodwellianas* hypotheses *Mense Majo p. 207 & seqq.* propositas & *Clarkianam* earundem confutationem eodem mense *p. 212 & seqq.* repræsentatam perstringit; tertia denique statum animæ post mortem & consequentias ex hypothesibus *Dodwellianis* & *Cowardianis* fluentes examinat. Antequam vero de his epistolarum argumentis quædam specialiora dicamus, *Cowardi* principia Metaphysica de substantiis immaterialibus ex duobus scriptis aliis jam antea divulgatis repetenda sunt. *Cowardus* scilicet publici juris fecit *Cogitationes posteriores de Anima*, Londini 1704 in 8 recusas, in quibus omnem movet lapidem, ut evincat, doctrinam de Anima inter omnes Christianos hodie receptam, quod sit substantia immaterialis corpori unita, a Paganis fuisse confictam, nec principii Philosophiæ, Rationis, Religionis consonam, atque stabiliat, juxta tenorem totius Scripturæ animam esse vitam hominis, hoc est, unam eandemque esse virtutem, qua homo movetur, vivit, sentit, ratiocinatur, quæque in corpore reperiatur, quam diu vivit, prorsus cesset, quamprimum illud interit, sed rursus exitura sit, quamprimum in resurrectione universali corpus mortuum reviviscet. Adversarium mox nactus est *Johannem Broughton*, qui ipsum in *Psychologia seu Tractatu de natura animæ rationalis*, Londini 1703 in 8 edito, inter Atheos & Empectas referre nullus dubitavit: unde ansam arripuit *Cowardus* principia sua Metaphysica plenius exponendi in *Arduo* (quod vocat) *Tentamine*, Londini

Londini 1704 in 8 publicato, i.e. in *Vindicatione Rationis & Religionis contra imposturas Philosophiæ*, in quo probare conatur, quod, stantibus ideis & conceptibus, quos de rebus sibi formare valet intellectus humanus, 1 existentia substantiæ alicujus immaterialis sit impostura Philosophica & conceptu impossibilis: 2 omnis materia principium motus internum habeat sibi concreatum: 3 materiam & motum unicum esse cogitationum in hominibus & brutis fundamentum; & sub finem Epistolam ad *R. D. Broughton*, Ducis *de Malborough* Diaconum annectit, in qua ad argumenta ab ipso contra suas de Anima Cogitationes prolata respondet.

Substantiæ immaterialis impossibilitatem ostensurus, contradictorias esse affirmat substantiæ ac immaterialitatis notiones. Contradictionem probaturus proprietates substantiæ materialis recenset, extensionem scilicet, divisibilitatem, patibilitatem, impenetrabilitatem (sub qua simul negationem unionis unius cum altero citra ejus incrementum comprehendit) successionem, temporis ac loci in motu, insensationem & sensibilitatem, seu esse objectum sensuum, atque inde proprietates substantiæ immaterialis colligit non extensionem, indivisibilitatem, impatibilitatem, penetrabilitatem, nullam temporis ac loci in motu successionem, sensationem & insensibilitatem. His præmissis negat, substantiam posse concipi sine extensione, quia nulla sine limitata & circumscripta existentia concipitur, circumscriptio autem per terminos fit. Provocat ad omnium conscientiam, quod substantiam concepturis ea primo occurrat tanquam massa independentis existentiae. Hinc ulterius infert, substantiam non posse concipi indivisibilem, quoniam, ubi dantur partes extra partes, ibi locum habet divisio. Nec posse concipi, ait, quomodo substantia immaterialis materialem citra contactum moveat. Quare cum non constet, substantiam immaterialem existere, nec hunc agendi modum admitti posse, quemadmodum contra admittatur partium minimarum in corporibus unio, licet modum unionis non concipiamus, quia illarum partium existentiam clare percipimus. Porro defendit, substantiam nullam concipi posse impatibilem, & gratis affirmari asserit, substantiam immaterialem corporum penetrare dimensiones, quod penetratio

istiusmodi sine materiae alicujus subtilis ex ipsorum poris expulsionem concipi nequeat. Motum spiritus necessario temporis ac loci successione admittere, cum locorum, e quorum uno in alterum venit, necessario concipiatur distantia aliqua, quae ipsa loci ac temporis successione inferat. Non posse animam mediante corpore sentire, quia motus citra contactum cum non extensa, discontinua, indivisibili & indiscerptibili substantia inconceptibilis. Nec denique spiritus esse insensibiles, quia corpora tangunt, contra sensuum autem evidentiam ad corpora assumpta perperam provocari. Negata igitur substantiae immaterialis possibilitate, Deum substantiam non esse pronunciat, quia infinitus, hoc est, nullos essentialium habet limites, substantia autem ex ipsius mente sine certis limitibus non concipitur, & quia omnipraesens quoad essentialiam, qualis omnipraesentia in substantia inconceptibilis. Addit, quod Deus Judaeos idololatriae insimulaverit, cum ipsum tanquam substantiam repraesentarent, *Jes. IV 18 Act. XVII, 29 Deut. IV, 12.* Esse vero statuit aeternam, omnipotentem, omnipraesentem virtutem: cujus assertionis veritatem tum per Scripturae testimonia, tum per rationes stabilire nititur. Deus *Job. IV, 24* spiritus dicitur. Per spiritum ibi virtutem seu potentiam intelligi arguit inde, quod ibidem homo Deum spiritu adorare debere dicitur, h. e. zelo, fervore, puritate, pietate, quae sint virtutes ex vita profluentes. Quod si objicias, hinc consequi, Deum esse accidens, reponit, substantiam Dei non ex Aristotelis definitione probandam, qui tanquam Gentilis veram Dei ideam in Scripturis revelatam non habuerit, divisionem in super rerum in substantias & accidentia res saltem concernere creatas, nec pro his eam esse adaequatam. Caeterum inter rationes probantes potissima haec est, quod notioni virtutis seu potentiae omnia attributa negativa & positiva, absoluta & relativa, quae in Scripturis Deo tribuuntur, conveniant, quodque omnibus rebus visibilibus insit aliqua virtus, virtutis illius divinae existentiam arguens. Spiritus creatus ipsi est virtus supereminens materiae implantata, quae ad eandem sub certis limitationibus actuandam per supremam omnium virtutem apta. Unde omnem spiritum creatum materialem facit & sententiam

tentiam nonnullorum Patrum primitivæ Ecclesiæ revocat, qui angelis corpora tenuia attribuerunt, hac maxime ratione commotus, quod Scriptura testetur, omnes angelos corporaliter apparuisse & per proprietates corporeas innotuisse. Jam vero quando religio revelata rei cujusdam naturæ & existentiae certam probationem afferat, missas fieri debere optimas conjecturas Philosophicas, tantoque magis, si nulla de existentia & natura istarum rerum certitudo, nisi ex Scriptura haberi possit. Nec obstare, quod angeli in Scriptura dicantur spirituales: spiritualitatem enim etiam corpori sive materiæ convenire, *1 Cor. XV, 44*, cui tamen non convenit immaterialitas. Facile vero hinc colligimus, quod ex ipsius mente angeli quoque mali sint materiales, quorum materialitatem ulterius inde confirmat, quia ipsis tribuitur motus localis, *2 Petr. II, 4, Job. II*. Atque eam ob causam Diabolum non corporaliter, sed per virtutem spirituales homines obsidere statuit, quam sententiam ex Scripturis corroborare nititur, quia infirmitates seu morbi dicuntur mali spiritus, *Matth. IX, 18, Luc. IX, 39, Marc. IX, 20, & Deus Diabolis potentiam malefaciendi permittit, 1 Reg. XXII, 21, Chron. XVIII, 21*, communicando potentiam diabolicam hominibus, *2 Thess. II, 9*. De anima humana dum agit, subjectum cogitationis in homine necessario esse materiam hinc adstruit, quod cogitatio proprietates materiæ essentielles habeat, successionem nempe loci ac temporis, cum uno actu plura simul cogitare non liceat, quæ, si a substantia immateriali esset, non pertransito medio ab uno extremo ad alterum essentialiter pertinente, successionem istiusmodi non admitteret. Est igitur ipsi cogitatio continua idearum in cerebro circulatio seu rotatio: cui sententiæ cogitationum celeritatem minime repugnare ait, quia celeritas, qua lux juxta *Ræmeri* observationes movetur, celeritati cogitationum non cedit. Ex hac cogitationum definitione causam reddit, cur a sensibus ultimo pendeant omnes cogitationes, nec homo ullam rei sensibus nunquam perceptæ ideam sibi formare valeat, nisi rerum perceptarum compositione utatur; cur cogitationes pro lubitu formare nequeamus, utpote inviti, ex. gr. dolorem percipi-

entes; cur morbi vel vulnera cerebrum afficientia, vel causæ aliæ in spiritus animales agentes, ibi generari solitos, ex. gr. ebrietas, cogitationes immutent. Modum, quo materia cogitet, ignorari asserit, idque per Dei potentiam fieri affirmat, neque enim absurdum esse in explicandis naturæ phænomenis ad Dei potentiam subinde recurrere. Materiam reliquam habere principium motus in se, non aliter probat, quam quod omnes mutationes, quæ ipsi accidunt, mediante motu contingunt. Provocat tamen simul ad experimenta, quibus confirmatur, duo corpora quiescentia, ex. gr. pulverem coralliorum & oleum vitrioli, invicem permixta motum excitare. Quodsi objicias, materiam non posse movere se ipsam, cum mobile a movente distinctum esse debeat; regerit, Immaterialistas idem premere dubium, dum asserunt, animam movere se ipsam. Doctrinas istas contra censuras adversariorum in Epistola prima defensurus in eo est, ut monstret 1 se veritatem Scripturæ Sacræ contra innovationes Philosophicas & hominum traditiones; 2 justitiam & honorem Dei per præmiorum ac pœnarum proportionatam distributionem stabilitam; & 3 articulum fidei haud ultimum de generali judicio extremo contra necessarias doctrinæ Platonice consequentias malas vindicasse.

In Epistola secunda a *Dodwello* & *Clarkio* poscit, ut ante dicant, qualem sibi animæ humanæ notionem forment, quam disputent, utrum sit mortalis, an immortalis. Quodsi enim Deus materiam cogitationum capacem reddiderit, quæ ipsius hypothesis est, omnia illorum ratiocinia nulla esse, cum per ordinariam Dei potentiam supereminens virtus materiæ implantata, per quam actus rationis & sensationis se exerunt, non nisi in judicio universali in corpus resuscitatum sit revocanda. Tria autem sibi probanda sumit, nimirum 1 hominem nequaquam per arbitrium Dei immortalem reddi, ut puniatur; 2 unionem divini spiritus baptismalem non esse illam virtutem, quæ homines immortales reddit, sed tantum gratiam conditionalem, quæ ad hoc requiritur, ut immortalitate beatitudinem consequamur; 3 Episcopos non solos esse, qui gratiam istam conditionalem conferre queunt. Primam propositionem quod attinet,

ex Scripturis probat, immortalitatem ad puniendum a justitia divina & delictis admissis petendam esse, ita ut Deus non ex mere arbitrio, sed jure delicti punire dicendus sit, poenaeque affectum iri etiam eos, qui Evangelium non audiverunt, ut eorum poena tolerabilior futura sit, quam illorum, qui auditum spreverunt. Universalitatem resurrectionis & judicii ex *Job. V, 28. 29* probat. Circa propositionem secundam monet, per spiritum baptismalem non posse intelligi tertiam divinitatis personam, cum alias quilibet verus Christianus foret *θεῖον ἄρωπος*, sed donum a Spiritu S. in baptismo collatum. Hoc vero donum non novam homini conciliare naturam, sed pro gratia conditionali in ordine ad salvationem æternam procurandam accipiendum esse, ex *Act. II, 38. 45. 47* evincit. Conditionem istam, sub qua nobis salus offertur, perperam vocari Spiritum baptismalem, perperam pro causa immortalitatis haberi, cum alias quoque poenitentia ac fides spiritus & causa salutis dici deberent. Præterea ex Scriptura deducit, legem divinam esse universalem, ac eos etiam stringere, qui Evangelium non audiverunt, unde pateat, cur judicium extremum sit universale, consequenter & resurrectio mortuorum universalis. Ad tertiam, denique propositionem urget, voces *Sacerdos, Presbyter, Episcopus* in Scripturis sæpe synonymas esse, quæque ex ordinatione jure Divino derivetur, potentiam ab Episcopis quatenus Clericis, non quatenus Episcopis petendam esse, cum tempore Apostolorum per impositionem manuum ordinationem administraverint etiam Presbyteri. Ordinationem itaque non illegitimam censendam, si constitutio civilis ordinandi facultatem omnibus Presbyteris permittat. Nec jure Divino Episcopum eminentioris esse ordinis, quam Presbyterum, sed solo jure Civili, consequenter ad auditorum salutem non requiri, ut Clericus ab Episcopo ordinationem accipiat. Immo vero cum hic cesset jus Divinum, Civile ad libitum constituisse posse, quid fieri debeat, num scilicet a Presbytero, num ab Episcopo, num a Clerico quocunque ordinatio sit instituenda.

In Epistola denique tertia figmenta & aniles fabulas Gentilium de statu hominis post mortem recenset, atque phrasas,

quas Scriptura de morte usurpat, expendit: in his vero nihil præsidii pro defendenda communiter recepta de immortalitate animæ doctrina inveniri arbitratur, calculum adjiciens iis, quæ de hoc argumento in Epistola secunda ad *Serenam* docet *Tolandus*, origine notionis animæ vulgo receptæ ac immortalitatis ejus ab *Ægyptiis* derivata. Quod si ad Mosen atque Eliam Christo in monte Thabor apparentes provoces; non Mosis animam, sed personam ante judicium generale resuscitatam & glorificatam apparuisse respondet, alias enim Moses fuisset invisibilis, id quod contextui repugnet. Ad confirmandam propriam sententiam de anima a morte cessante & in judicio extremo cum corpore resuscitato demum iterum extitura inter alia urget Scripturæ loca, in quibus mortui Dei non recordari, Deum non posse laudare dicuntur: urget quoque, quod Scriptura præmiorum & pœnarum collationem cum judicio extremo constanter connectat. Tandem operam dat, ut ostendat, ex *Dodwellianis* hypothesibus praxi Christianismi adversas fluere consequentias, ex propria vero nihil talium deduci posse.

A DISCOURSE OF THE NECESSITY
and usefulness of the Christian Reve-
lation, &c.

i. e.

*DISCURSUS DE NECESSITATE AC USU REVE-
lationis Christianæ ob corruptiones principiorum Religio-
nis naturalis inter Judæos & Gentiles. Autore DA-
NIELE WHITBY, Theol. D. & Cantore
Ecclesiæ Cathedralis Salis-
buriensis.*

Londini, apud J. Churchil, 1705, in 8.

Constat plag. 21.

DEmonstrandi methodum ad res Metaphysicas tractandas ap-
plicantibus non ignotum, ex Dei hominisque natura deduci
posse, quicquid actionum naturæ humanæ convenientem ac in-
tentioni

tentioni divinæ respondentem directionem concernit. Nec eos fugit, quod solius rationis ductu virium ad istam directionem requisitarum insufficientiam propria culpa contractam in nobis deprehendere valeamus, ast decretum reparationis per Christum ab æterno factum rationi non æque obvium existat. Emergit inde revelationis divinæ immediate in utroque Fœdere factæ necessitas. Et cum quidem ante Salvatoris adventum non opus esset, ut ejus persona individualibus characteribus distingueretur, opus vero esset per sapientiam Dei alia longe salutis dispensandæ forma, quam post adventum illius, ut revelationi antiquæ nova in Fœdere novo accederet, prorsus necessarium existebat. Enimvero vel solus titulus monstrat, Autorem Discursus, de quo jam nobis quædam dicenda sunt, ad hæc non attendere, magisque utilitatem, quam necessitatem revelationis Christianæ sibi monstrandam sumere. Quamobrem omnis ejus tractatio huc redit, quod probare conetur, dari leges naturæ seu principia religionis naturalis, eaque tam a Judæis partim per vanas traditiones, partim per falsas de Deo notiones, partim per obligationum ad omnia secundæ tabulæ præcepta enervationem, quam a Gentilibus partim per erroneas de Deo & actionum moralitate animæque immortalitate opiniones, partim per impunem scelerum ac flagitiorum perpetrationem corrupta fuisse, adeoque, ne amplius veritas sub iniquitatibus detineretur, revelationem Christianam, malis istis omnibus medentem, accedere debuisse. Existentiam legum naturalium probat, tum per testimonia Scripturæ, Act. X, 34 Hebr. XI, 6 Rom. I, & II; tum per rationes a conscientia, ab existentia item quorundam principiorum religionis naturalis, quæ falsis ideis per educationem contractis adscribi nequeant, (qualia sint, quod Deus non negligat eum, qui ad ipsius sidio prosequi componi desiderat; quod Deus laudet virtutes, vitia multitudinem uatur &c.) & a principii interni nos in appetendo & averfando dirigentis absentia, cum negatione actionum moraliter bonarum vel malarum connexa, petitas. Corruptionem principiorum religionis naturalis a Judæis & Gentilibus factam quomodo stabiliat, ex antea dictis sine difficultate quivis facile hariolabitur.

AN ESSAY AT THE MECHANISM OF THE
Macrocosm.

h. e.

*TENTAMEN DE MECHANISMO MACROCOSMI,
seu dependentia effectuum a suis causis per novam Hypo-
thesin explicata, Philosophiæ modernæ ac experimentali
accommodatam, in qua solvuntur phenomena varia, quo-
rum ratio hæctenus dari non potuit, ex. gr. causa as-
signatur gravitationis, motus, reflexio-
nis, refractionis &c.*

Londini, apud J. Wale, 1705, 8.

Const. plag. 22.

EGregius libelli titulus Scientiæ naturalis cultores ad ejus le-
ctionem statim allicit, cumque illius Autor *Conyers Purshall*
ardua admodum moliatur, dum particulas elementares ad de-
finitum numerum revocare, antiquam hypothesin Ptolemai-
cam ab inferis denuo revocare, omnia motus Planetarum phæno-
mena ex eadem salvare, theorias magni *Newtoni* Physicas pro er-
roneis declarare, quantitates incommensurabiles prorsus perne-
gare & Mathematicorum in demonstrando fidem labefactare in-
tendit, libello evoluto, non potest non augeri legendi ardor.
Quo itaque appareat, quinam votis responderit eventus, præci-
pua novæ hypotheseos momenta in compendio proponere libet.
Orditur omnem tractationem a stabilienda Numinis existentia
propter frequentem hoc nostro ævo Atheorum inter conterraneos
suos numerum. Ab existentia entium ad existentiam
entis æterni concludit. Ens illud esse rationale infert, quod den-
tur entia rationalia, quæ producere non potuisset, si esset irratio-
nale. Mundum non esse ab æterno, probat, quia eandem per-
fectionem ab æterno in æternum non possidet, utpote defectibus
accidentalibus obnoxius, qualis est insignis illa per diluvium uni-
versale facta alteratio, non modo ex sacris, sed profanis etiam
Scriptoribus, *Beroso Chaldo*, *Hieromo Ægyptio*, &c. manife-
sta. Urget etiam ad illius existentiam evincendam *Cl. Woodwardi*
argu-

argumentum a piscibus atque conchis petrefactis & in ipsis montium summitatibus repertis desumptum, simulque exponit, quomodo diluvium contigerit. Cum scilicet per 40 dies & 40 noctes plueret, continuum imbris descensum ex nubibus requisivisse continuum ascensum vaporum ex Oceano. Ex continuo imbre aquam aeri, dumque terræ superficiem lambebat, particulis terreis, salinis, unctuosus & mineralibus permixtam fuisse: unde fermentatio in aqua producta sit, ut in ingens spatium dilataretur. Rarefactam vero per particulas salinas & minerales graviolem redditam, ut arcam vehere posset. Salia hæc ex terra extracta post diluvium eandem sterilem reddidisse, & ab hac sterilitate noxiisque vaporibus ex heterogeneis particularum salinarum ac mineralium mixturis deducit, quod antediluviani longæviores fuerint. Multus est in enarrandis attributis divinis, ostendit imprimis, quod iisdem repugnet necessitatio Adami ad lapsum. Probat, Deum mereri fidem etiam in iis, quæ sunt supra rationem, vel contra eam esse videntur, & Scripturam Sacram ipsius esse verbum. His præmissis, ad ipsam hypothesin explicandam progreditur. Statuit, ex rudi & indigesta mole mundum esse productum, eundemque ex minimis & simplicibus particulis compositum, quæ ex nihilo creatæ, tribus dimensionibus præditæ, impenetrabiles, generationi & corruptioni non obnoxie sint, in diversas tamen species abeant. Talia autem principia non nisi octo in machina mundi admittit, ætherem, nitrum, aerem, spiritum, oleum, aquam, terram & sal. Prima duo activa, duo postrema passiva pronunciat: aeri naturam intermediam tribuit: reliqua tria pro vinculo unionis reliquarum habet. Per *ætherem* eam intelligit materiam, quæ radiis Solaribus generandis inservit. Esse ætherem materiam evincit, quia radii Solares reflectuntur, refringuntur, antimonio calcinato (id quod *Dickenson* & *Digby* experti sunt) pondus addunt. Ulterius stabilire nititur, quod æther sit texturæ elasticæ, figuræ globularis, quodque violenta rotatione abripiatur. *Nitrum* ipsi est principium materiale, subtilissimum, quod texturam habeat contractioni aptam, & in alia corpora per condensationem ac refrigerationem agat. Ubi evertere nititur illorum sententiam, qui

frigus pro mera privatione caloris venditant, propterea quod gradus condensationis & frigoris gradibus privationis constanter proportionales non existant, cum ipsa experientia quotannis loquatur, ab æquinoctio autumnali usque ad solstitium brumale aeris frigus graduatim minime decrescere, nec hieme, particulis æthereis per nubes & nebulam interceptis, major sit frigoris gradus. Frigus igitur ipse a particulis frigorificis repetit, provocans ad sal vel nitrum, quod nivi vel glaciei permixtum aquam contiguam in glaciem transmutat. Nitri particulas esse texturæ elasticæ condensativæ confirmat, quia ipsis oppositæ calorificæ sunt elasticæ dilatativæ. *Aerem* definit, quod sit materia structuram elasticam expansivam habens, sed quæ magis æthere densa & in statu violentæ compressionis. Definitioni fidem facit per experimenta illustris *Boyllii*, quæ inter notatu dignum, quod vis elateris vesicam agninam extendentis aeris intra biennium non fuerit imminuta. Per *spiritum* particulas inflammabiles istiusmodi indigitat, quales in spiritu vini deprehenduntur. Spiritum illum facile misceri cum aqua, sed difficulter cum nitro vel sale. Esse principium corporum, quod ex particulis homogeneis per universum dispersis consistat, utpote ex omnibus corporibus fermentationis capacibus extrahi solitum. Dispergi potissimum per elementum aquæ, cum quo maximam habeat affinitatem, quod *Boyllius* in bullis intra glaciem aliquid ab aere diversum reperit, utpote intra vacuum non expandendum. *Oleum* vocat principium expansivi elateris incapax, facile tamen inflammabile, cum aqua immiscibile, affinitatem cum spiritu, æthere & terra, reluctantiam cum nitrosis particulis & sale habens. Ad experimentum *Boyllii*, quo deprehendit oleum per destillationem, tanquam compositum in alia simpliciora resolvi posse, respondet, ignem non modo habere vim composita dissolvendi, sed & principia componendi, quod vel ex sola vitri formatione pateat. Unde olea non satis pura per destillationem haberi ait. Negat tamen, igni competere vim principia transmutandi, alias enim tam facile massam totam, quam partem ejus aliquam in massam uniformem aliam transmutatum iri. *Aquam* dicit principium densum, vi contractiva præditum, ut solidum æmulari videatur,

tur,

tur, inactivum, nec inflammabile, nec cum oleo & sulphure facile miscibile. Principium esse contendit, eo quod transmutari nequeat. *Terram* denique & *Sal*, cum omni vi elastica destituantur, a reliquis principiis non nisi figura, situ & pondere differre ait. Explicationi principiorum subjungit, quomodo ex iisdem in massa uniformi commixtis textui Mosaico convenienter mundus prodire potuerit. Per firmamentum, quod Moses secundo die creationis a Deo productum pronuntiat, intelligi debere affirmat orbem solidum, in cujus concavitate protuberantiæ referant stellas ejusdem cum orbe substantiæ. Stellas scilicet esse arbitratur corpora solida, imperspicua & speculorum metallicorum instar polita, quæ particulas æthereas reflectant. Systema assumit Ptolemaicum, nisi quod quinque saltem numeret Planetas, cum ♃ & ♄ pro Satellitibus ☉ habeat & Telluri motum vertiginis concedat. Fluidum æthereum, in quo natant Planetæ, continuo rarius ac levius fieri ponit, atque hinc Planetas intra aerem in diversa a centro Telluris distantia locari infert, quia non omnium eadem gravitas specifica. Quoniam adeo fluidum istud, in quo locantur Planetæ, est gravitati uniuscujusque adæquatum, eos nec posse perpendiculariter descendere ob minorem corporis gravitatem, quam orbis; nec ascendere, ob orbem superiorem leviolem. Premere itaque orbem deorsum, qui, cum componatur ex particulis elasticis, contraria pressura sursum resistat, & hanc resistantiam cum aptitudine figuræ Planetarum efficere motum, qui, cum nec sursum, nec deorsum fieri queat, necessario circularis evadat. Inde porro explicat, quomodo totum fluidum æthereum per particulas minores in motum concitatum fuerit, & causam motus vertiginis & declinationis ab Æquatore deducit. Quod motus vertiginis in Planetis reliquis sit major, quam in Sole, majoribus, quæ in ipsorum superficiebus deprehendantur, irregularitatibus adscribendum esse: ab illarum irregularitatum diverso in diversis Planetis posito motus diversitatem pendere: ab irregularitatibus iisdem & motu vertiginis celeriori majorem Planetarum quam Solis declinationem proficisci. Quibus stabilitis, reliqua motus Planetarii phænomena ad causas suas revocare studet. Ne-

gat, H & Z a \odot illuminari, quod per telescopia semper toti illuminati appareant; Satellites illuminent, quippe prorsus obscurati, si pars H vel Z opposita a nobis avertatur, utur Soli obvertatur altera, & phases atque diversam magnitudinem apparentem habentes; interna annuli Saturni superficies semper illuminetur, cum externa Soli nostro opposita tenebris involuta. Suorum itaque Satellitum Soles esse H & Z concludit, quemadmodum Sol noster sit Sol suorum Satellitum F & G . Influxum siderum adscribit compressioni ætheris ab iisdem factæ & humores in corporibus nostris agitant. Retrogradationes & stationes Planetarum enodaturus supponit, perinde esse, siue ponamus Solem moveri circa Tellurem, siue Tellurem moveri circa Solem, & vi hujus suppositi easdem cum Copernicanis stationis & retrogradationis causas assignat. Legem denique *Kepleri*, quod in motu Planetarum quadrata temporum periodicorum sint ut cubi distantiarum mediarum, inde stabilit, quod, quo medium rarius, eo motus sit velocior, & quo distantia a movente, Orbe nempe solido fixarum, rarior, eo motus itidem sit celerior. Esse vero pondera Planetarum in ratione distantiarum a centro Terræ. A corporibus cœlestibus ad terrestria contemplanda pede promoti, in causam motus Telluris diurni inquirunt, eamque in dilatationem aeris per particulas æthereas a \odot & D impulsas factam conjicit: quemadmodum & fluxum ac refluxum maris a pressura atmosphæræ per præsentiam \odot & D rarefactæ derivat. Unde erroris arguit *Celeb. Newtonum*, qui aquas terrestres a Luna attrahi affirmat. Impugnat etiam ejusdem *Newtoni* hypothèsin de gravitate Planetarum in se invicem, eamque precariam vocat. Disquirunt de ascensu Mercurii in Barometro, quem majorem esse pronuntiat tempore sereno, quod tum particulæ æthereæ superficiem Telluris magis premant, quam si a nubibus intercipiuntur. Ventos similiter oriri posse affirmat a simplici aeris pressione & ab ejus rarefactione. Immo a virtute rarefaciendi & dilatandi particularum Solarium vegetationem & odorem deducit: ubi multa a *Woodwardo* mutuata, cujus meditationes in Actis nostris mense Febr. A. 1700 relatæ. Lumen a particulis elasticis a Sole per lineas
rectas

rectas impulsis; colorem a modificatione radiorum reflexorum derivat, disputans contra theoriam luminis *Newtonianam*. De refractione dum agit, in multis sequitur *Molyneuxium*, cujus *Dioptricam* mense Januario A. 1693 recensuimus. Phænomena magnetis a particulis nitrosis pendere ait, quatenus a Solaribus iis contrariis impelluntur: a quibus etiam phænomena condensationis, frigoris, nivis, glaciei deducit. Sonum particulis aereis, quatenus elatere gaudent, attribuit: easdem motionibus corporum animatorum & inanimatorum continuandis destinari asserit, quatenus in statu violentæ compressionis existunt. Accelerationem motus corporum descendentium expansioni aeris superioris adscribit. Illud vero mirabile est, quod dari incommensurabilia neget ac omnes quantitates commensurabiles esse pronuntiet, modo inveniatur ea pars, quæ utramque metiatur. Sic ex. gr. certum est, posito latere Quadrati 1, Diagonalem fore $\sqrt{2}$, consequenter supposita hac unitate, latus Quadrati Diagonali incommensurabile existit. Noster vero arbitratur, incommensurabilitatem tantummodo ab incommoda unitate assumpta pendere. Dari enim omnino partem aliquam, quæ & latus Quadrati & Diagonalem metiatur: qua pro unitate assumpta, latus Diagonali commensurabile existet. Equidem negari non potest, si quis cum *Sturmio* (cujus in *Mathesi Eucleata* demonstrationes sæpissime insufficientes existunt) exinde incommensurabilitatem inferat, quod, assumpto latere pro unitate, Diagonalis sit $\sqrt{2}$, incommensurabilitatem nondum sufficienter comprobata esse: habet tamen Euclides, habent Geometræ alii demonstrationes alias, in quibus nihil desideres. Immo si *Sturmio* evicisset, quantitates, quæ sunt ut 1 ad $\sqrt{2}$, esse incommensurabiles, ipsius demonstratio dubium Nostro omnium optime eximere poterat. Etenim si datur aliqua pars, quæ sit mensura communis lateris & Diagonalis, necesse est, ut detur aliquis numerus, per quem multiplicata $\sqrt{2}$ rationalis evadit. Ex Arithmetica vero irrationalium patet, numeri hujus hanc esse debere conditionem, ut duplum quadrati ipsius sit quoque numerus quadratus. Talem numerum impossibi-

lem vulgaris Arithmetica demonstrat. Ex ea enim constat, omnes numeros quadratos terminari in 1, 4, 9, 6, 5, 00. Horum vero numerorum dupli 2, 8, 8, 2, 0 non sunt terminationes numerorum quadratorum. Et licet duplus ipsius 5 sit 10, impossibile tamen est, ut nota subsequens similiter cyphra evadat, quia nullius numeri duplus est 9. Nec porro excipere datur, quod mensura communis numerus aliquis ex articulis esse possit, ut adeo ejus quadratum in 00 cyphras desinat, in quas etiam terminari debet ejus duplum: quia cyphris resectis ex numero quadrato, qui relinquuntur, numeri quadratum similiter efficiunt. Illud denique monendum, quod Auctor integrum opus nondum absolverit; sed plura adhuc ad complendum Physicæ systema integrum ab eo expectentur.

*HISTORIÆ CONTROVERSIARUM DE DIVINÆ
Gratiæ Auxiliis sub summis Pontificibus Sixto V, Clemen-
te VIII & Paulo V libri sex, quibus demonstrantur ac re-
felluntur errores & imposturæ innumera, quæ in Historia
Congregationum de Auxiliis, edita sub nomine Augustini
le Blanc, notata sunt, & refutantur Acta omnia earun-
dem Congregationum, quæ sub nomine F. Thomæ de
Lemos prodierunt. Autore THEODORO
ELEUTHERIO, Theologo.*

Antverpiæ, typis Petri Jacobs, 1705, in fol.

Alphab. 10.

Octavus nunc agitur annus, ex quo *Historia congregationum de auxiliis divinæ gratiæ sub summis Pontificibus Clemente VIII & Paulo V*, libris quatuor comprehensa, auctore *Augustino le Blanc*, quo nomine virum celeberrimum *Serri*, ordini Dominicanorum adscriptum, tegi constat, publicam adspexit lucem. Cujus libri summam cum more nostro, ab omni partium studio prorsus alieni referremus mense Decembri A. 1700 pag. 337, animus facile augurabatur, novis eum acerrimisque contentionibus suppeditaturum occasionem. Inmedicabile namque
vulnus

vulnus causæ ordinis Jesuitarum, quam contra Dominicanos jampridem acriter tuentur, infligere videbatur, illisque, ni sibi deesse plane vellent, respondendi necessitatem imponere. Insigni enim eruditionis adparatu magnaue verosimilitudinis specie scripta hæc Historia Lectorem facile ad partes Dominicanorum trahebat, simulque Jesuitici ordinis existimationem in magnum adducebat periculum. Nec vanam istam nostram aliorumque fuisse hac de re opinionem, eventus docuit. Primo quidem levioribus quibusdam velitationibus res acta, cum tempus requireretur ad colligendas copias integramque instruendam aciem, qua robur hostium prosterneretur. Namque mox comparuit liber, titulum gerens: *Questions importantes*, Historiæ huic congregationum de auxiliis gratiæ oppositus, cujus impetum frangendum in se suscepit Auctor libri: *Histoire des congregations de auxiliis justifiée contre l'Auteur des Questions importantes*, Lovanii, anno MDCCII. Alium mox expertus adversarium, auctorem libri: *Errata de l'Histoire des congregations de auxiliis, composée par l'Abbé le Blanc, & condamnée par l'Inquisition generale d'Espagne*, quippe cui etiam refutationem responsi ad librum, *Questions importantes* dictum, subjunxit Leodii, eodem anno MDCCII. Sed jam antea querelam contra Historiam hancce congregationum moverat Carolus Caspar Mentzerius, Academiae Trevirensis Syndicus. Namque non satis honorifice in Historia congregationum de Academia & Moguntina & Trevirensi sensisse videbatur Augustinus le Blanc. Utriusque enim Academiae judicio cum Jesuitæ causam suam tuerentur, auctoritatem earum ut elevaret Auctor, *obscuri nominis Academies* vocavit, in quibus non triduo, ut de causarum patronis agebat Tullius, sed uno mane Doctores Theologi fabricantur. Hinc querela Mentzerii; cui Auctoris *Historiæ congregationum de auxiliis defensio*, acris satis, opposita, Lovanii anno MDCC I prodiit. His aliisque levioris momenti scriptis, quorum forte paucissima ad nos pervenere, cum causa ista hæctenus agitata esset, tandem majores copias in aciem produxit, immo integrum velut instruxit exercitum operis hujus, cujus exemplar Cl. Viro, Conrado Janningio debemus, Auctor doctissimus, qui sub nomine *Theodori Eleutherii* latitare voluit. Nos instituti

nostri

nostri memores, præcipua quædam attingemus momenta, ne ignoret Lector, quæ demum in tanta viros doctos arment prælia causæ. Non autem est, ut quis metuat, nos odio quidquam aut amori duros, cum ad nos non ista spectent certamina: eruditionis autem atque ingenii præstantissimi laudem *Eleutherio*, nec ipsis ejus, ut putamus, invitis adversariis, tribuemus. Namque hoc res ipsa docet, & dicendi quoque genus elegans, comptum, vegetum, argumento, quod tractat, accommodatum satis superque comprobatur.

Occasionem necessitatemque scribendi primo edisserit *Eleutherius*. Primam, qua ad respondendum Historiæ Augustini le Blanc impulsus fuerit, rationem producit, rerum ab ipso narratarum falsitatem, audaciamque Auctoris, qua quoslibet ad confutationem operis sui non provocaverit solum, verum etiam irritaverit. Alterum, permultorum ad Historiam Augustini le Blanc allaborantium studium, jam ab annis pluribus inchoatum, ut hoc opus non unius hominis partus sit, sed multorum foetus, communi, ut loquitur, factionis Jansenisticæ conspiratione conceptus & natus. Atque hoc est, quod pluribus Auctor in Præfatione sibi probandum sumit, non unum Historiæ congregationum esse Auctorem, sed præter Augustinum le Blanc, seu Serrium, Paschasium Quesnellium ad eam plurimum contulisse, Serrium præterea a partibus Jansenianis non esse alienum. Quod licet ad invidiam Serrio conflandam comparatum esse videtur, argumenta tamen, quibus suam adstruat sententiam, haud contemnenda profert, multa que lectu non indigna admiscet, & quæ historiam arcanam controversiarum Jansenisticarum recentiorum illustrent. Etenim cum Paschasius Quesnel & Gabriel Gerberon (quæ præcipua factionis Jansenianæ capita vocat) Bruxellis Regio jussu comprehenduntur, ex scriptis eorum, ingenti mole ea occasione interceptis, ex quibus Baianismi & Jansenismi convicti, & publica judicis sententia condemnati sint, etiam hoc constituisse, perficiendo poliendoque operi Augustini le Blanc a variis in Italia, Gallia, Belgio diu multumque laboratum. Speciatim ex literis illis in Quesnelli scriniis repertis constare, Augustinum le Blanc
anno

anno M DC XCVIII historiam suam prælo jam maturam ad virum sui ordinis religiosum R. P. Norbertum del Becque Roma in Belgium misisse, quod non placerent typi Romani: Norbertum procudendi operis curam Paschasio Quesnello demandasse, quem virum Iprensis Augustini discipuli post mortem Arnaldi priorem ordinis sui dignissimum agnoscant & venerentur. Motus varios ac graves hoc factum excitasse observat, hinc gaudii, hinc timoris. Gavisos magnopere Jansenistas, qui inde ingens causæ suæ pollicebantur præsidium. Suspensum contra sollicitumque hæc res reddebat Augustinum le Blanc, incertum, quantum fidei Quesnelli, cui se incerto librum Norbertus commiserat, tribuendum esset. Hæc dum Auctor edisserit, *clavis Jansenistica* injicit mentionem, ex qua ficta nomina intelliguntur illorum, qui causam Jansenisticam pro viribus promovere in se susceperunt. In ea Quesnellum nomine *de Fresne*, alios aliis insigniri observat. Tandem Serrium, de fide Quesnelli certiozem redditum, lubenter passum esse, ut in laboris societatem veniret, immo ipsius arbitrio relicta pleraque, qui & Approbatorum judicia pro lubitu partim mutarit, partim poliverit. Hinc cum binos historiæ hujus Scriptores comperisset Auctor; dubium se habuisse profitetur, an fabulæ, imposturæ, calumniæ, stilusque virulentus Quesnelli calamo adscribenda sint, an Augustini le Blanc? Priori cum ingens odium erga societatem Jesuiticam objecisset, & posteriori consensum cum factione Jansenistica, concludit: *Ultri ergo vestrum tot mendaciorum, tot calumniarum gloria competat, non est facile assequi. Mibi de hac re divinare non lubet. Unusquisque vestrum vindicet sibi, quod suum est, & spolia ampla dividite inter vos.* Sed ne sine causa initi cum Jansenistis foederis reum agere Augustinum le Blanc videatur, hoc ex ipsis ejus litteris, in scriniis Quesnelli repertis, comprobatur. Notissima omnibus est controversia de *questione facti*, ad quam nostra ætate ceu ad centrum quoddam tota controversia Jansenistica rediit. Notus quoque omnibus est *casus iste conscientie* celeberrimus, ad causæ Jansenianæ præsidium aliquod conciliandum Facultati Theologicae Parisiensi oblatus, & a nonnullis infelici eventu approbatus, sed acri & severa censura idem nota-

tatus damnatusque. De ista damnatione producit *Eleutherius* Serrii ad Quesnellum litteras, in quibus eum condocet, condemnationem Romanam Resolutionis casus conscientiae non pertinere ad factum Jansenii, latam autem esse, quia continuo resuscitarentur lites, quas alto Roma optaret consopiri silentio, tum & quod Censura Traductionis Montensis, & Rituale Aletense negligenter, ponerenturque in minimis. Nec solum ex Dominicanis Serrium blandiri Jansenistis, illisque caput demulcere; esse & alios ejusdem criminis reos. Hos inter nominat celebrem admodum Virum, Natalem Alexandrum, cujus ad Arnaldum Josephum de Brigode, quem nuper post ejuratum Bajanismum & Jansenismum liberum e captivitate dimissum, memorat, profert litteras, in quibus Jansenistas non tantum veros S. Augustini discipulos, & doctrinae sanae defensores vocat, sed operam quoque suam, quantum potest, illis devovet. Idem quoque comprobat exemplo Norberti del Becque, cujus jam antea a nobis injecta mentio. Hunc Romae scriptum aliquod refutandum suscepisse, quo Jansenii asectae graviter pungebantur. Immo Wallono, factionis Jansenianae in Urbe curator, illud discutiendum obtulisse, & ad ejus mentem sententiamque se accommodasse, adeo ut deleri permitteret, quod scripserat: Christum etiam pro reprobis mortuum esse. Hoc ex litteris Walloni ad Quesnellum luculenter probat. Cum vero nonnulli causam Jansenisticam aperte nimis proderent, quos inter, teste Auctore, Aegidius de Witte & Gabriel Gerberon praecipui fuere, Norbertum male res ista habuit, qui variis litteris, quanto-pere inconsulta istorum hominum libertas causae communi noceret, quantamque ideo animo concepisset indignationem, testatus est. Ideoque & a suis refutari haec scripta voluit, ne iratam omnes sibi haberent aulam Romanam. Atque ex hisce aliisque ejusdem generis documentis constare, quam propenso Dominici in Jansenistas sint animo. Ut autem amicitia collatis mutuo beneficiis alitur, ita & Jansenistas non unum benevolentiae suae erga Dominicanos extare voluisse monumentum. Exemplo esse libellum istum Gallicum, titulo *Historiae de auxiliis synopsis*, ab Arnaldo celebri illo Jansenistarum defensore,

immo

immo sectæ suæ capite, uti ferunt, scriptum. Hunc etsi totum ex fabulis confutum, magno tamen cum plausu ab æmulis Jesuitarum exceptum. Crescente per immunitatem audacia infudatum fuisse communibus studiis in historiam amplio- rem, quæ tandem sub nomine Augustini le Blanc prodierit. Historia hacce quaquaversum vulgata & variis Jansenistarum libellis mirifice commendata, mox in lucem producta fuisse *Acta Lemofii*, Reverendissimo Patri Generali totique ordini Dominicano dicata, præmissa Præfatione magnifica, quam Lectoris judicio relinquit Auctor. *Actorum* horum *Lemofii*, ex quibus maximum causæ suæ præsidium contra Jesuitas petant Dominicani, editorem fuisse Theodoricum de Viaixnes, Benedictinum Gal- lum, congregationis S. Valtoni, virum Jansenio devotissimum, ac jubente Rege Galliaë eam ob causam in custodiam detru- sum. Quæ operis hujus fuerint fata, hac occasione No- ster prolixius edisserit, & productis ipsius Theodorici ad Brigodium litteris, confirmat. Et hinc demum conclu- dit, constare aperte, quantopere Jansenistæ, correctis & edi- tis Dominicanorum seu Thomistarum libris, illorum gratiam captent. Hisce vero accedere adhuc aliud volumen, jampridem quidem impressum, sed hætenus occultatum, cujus auctorem Reginaldum dicant, quod manuscriptum a patre Dominicano submissum fuerit Arnaldo, a cujus abitu cesserit Quesnello, jam- que initio anni M DCC II typothetas operi huic infudasse. De- nique in famosa ista causa Sinensi cum Dominicanis conspirasse in Jesuitas Jansenistas; id quod ex litteris Walloni ad Quesnel- lum comprobatur, in quibus profitetur, se denuo scripta compo- sisse pro *D. Barlon*, quo nomine in clavi Jansenistica veniat *D. Charmot*, machinator in causa Sinensi præcipuus. Quantumvis autem magna Jansenistarum in Dominicanos videatur propensio, omnem tamen eam amicitiam simulatam esse, Noster contendit. Quos enim palam laudent, clam inter se ridere atque contemne- re. Hoc iterum litterarum a Jansenistis aut illorum fautoribus scri- ptarum comprobatur documentis. Inter reliquos Wallonus ad Quesnellum scripserat: *Baccalaurei* (quo nomine in clave Jan- senistica Dominicani veniunt) *sunt miseri homines, (sont de pau-*

vres gens.) Hoc nimirum Jansenistas amicitiae suae pretium exigere, ut nihil palam proloquantur confœderati ipsorum, nihil scribant, quod doctrinae Jansenicae ejusdemque confectariis vel tantillum adversetur. Id si fiat, bilem etiam in Thomistas eos non continere, ut adeo cyclopica sit hæc amicitia, quam Ulysses apud Homerum a Polyphemo sit expertus. In Jansenistas hic acriter iterum infurgit Noster, quos in mentiendo tam audaces esse pronuntiat, ut imposturas suas (Auctoris verba referimus) gravissimorum virorum commentitia auctoritate munire non dubitent. Id quod recentiori quodam exemplo comprobatur. Auctor libri: *Histoire generale de Jansenisme*, (quem Gabrielem Gerberonem, antea jam nobis memoratum esse, ex verbis Auctoris colligas) narrat, Episcopum Antverpiensem, Reginaldum Cools in colloquio aliquando dixisse: *doctrinam Jesuitarum sua sententia Ecclesiae esse perniciosam, Jesuitas autem ipsos esse præcursores Anti-Christi.* At ex testimonio veritatis, quod Reginaldus anno M DCC I promulgaverat, quodque integrum hic subjicit, patere, per meram calumniam istud effatum Episcopo huic esse affectum. Hinc aliis subjectis Jansenistarum litteris demonstratur, id unice in votis habere Jansenistas, ut Thomistica non minus, quam Jesuitica doctrina proscribatur. Simul ut ostendat Auctor, quam indecorum sit Dominicanis, tam arctam cum Jansenistis alere amicitiam, decretum affert Humberti Guilielmi Archi-Episcopi Mechliniensis, quo Paschasii Quesnelli doctrinam, qua Baii & Jansenii errores renovasse dicitur, condemnavit. Malam quoque Quesnelli ex instituto accusat fidem, quod multa, quæ falsissima esse sciverit, Historiæ tamen de auxiliis inseruerit. Quibus ita prolixè explicatis, varios prætextus explodit, quibus Augustinus le Blanc provocatum se fingat, ad scribendum stylo mordaciori Historiam de auxiliis. Cumque inter alia asserat, se provocatum diuque laceffitum æmulorum procacitate, figmentis, fabulis, quibus in ista auxiliorum Historia victoriam sibi pro clade adscripserint, adeoque jure a se usurpatum existimet, quod *Job. XI, 3.* legitur: *tibi soli tacebunt homines? & cum ceteros irriseris, a nemine confutaberis?* incaute Zopharis Naamathitæ cum hoc ipso assumpsisse personam observat *Eleutherius*, qui ista verba imprudenter

denter contra Jobum, sanctissimum virum fuerit elocutus, quem-
 que Jobus *cap. XIII* inter *fabricatores mendacii* numeret addatque:
atque utinam taceretis, ut putaremini sapientes! Ad rem ipsam quod
 attinet, Societatis Jesu Theologos nihil aliud egisse contendit,
 quam quod justæ defensionis ratio postulat, cum Dominicani non
 desierint illis objectare cladem in hoc certamine acceptam, bul-
 lamque circumtulerint, emendicato Pauli V nomine inscriptam,
 quam Paulo V Pontifici tribuendam merito negaverint Jesuitæ. De
 parergis & digressionibus, Historiæ ab Augustino le Blanc insertis,
 dum agit Noster, inter alia refellit, quæ ille de Roberto Bellarmino
 Cardinale retulerat; in congregatione scilicet Rituum, cum quæ-
 reretur, an in beatorum numerum referendus esset, unam consul-
 torum omnium, excepto uno, eoque Dominicani ordinis Professo-
 re, fuisse sententiam *de heroicis Bellarmini virtutibus non constare.*
 Namque ex Registris congregationis Rituum docet, sexdecim ex
 consultoribus censuisse, constare de virtutibus, & tres duntaxat,
 non constare: ex Cardinalibus decem dixisse, non constare, &
 unum censuisse, expectandum. Vocata hinc codicum manu-
 scriptorum, quibus historia Blanciana nititur, in dubium fide
 & auctoritate, explosisque argumentis, quibus le Blanc fidem
 promereri contendit *Acta Lemosii, Pegne, &c.* ordinem a se in
 hac Historia servatum Auctor exponit, & de instrumentis, ex
 quibus rerum narratarum fides adstruitur, verba facit; & hæc
 omnia prolixa ista & erudita, quam operi præmisit, Præfatione
 complectitur. Jam ut ad opus ipsum accedamus, in primo ejus
 Libro controversiarum origo detegitur, & qua occasione turbæ
 Belgicæ ortæ, quave auctoritate compositæ fuerint, exponitur.
 Originem vero earum ab infausta quorundam ordinis Dominica-
 ni erga Societatem Jesu recens enatam æmulatione arcessit.
 Nec omnes tamen Dominicanos, aut totum ordinem hujus cri-
 minis reum agit, ex quo nonnulli insigni amore Societatem Jesu
 profecuti fuerint. Inter primos & Principes, qui novam Jesui-
 tarum Societatem ægre tulerint, nominat Melchiorem Canum,
 apud Salmanticenses Theologiæ Professore longe celeberrim-
 um. Hunc, cum anno M DXLVIII missus ab Ignatio Mi-
 chael Turrianus cum tribus sociis Salmanticam venisset, in

eos totamque Societatem magna acerbitate debacchatum, admonuisse populum, cavere sibi ab Anti-Christo, cujus emissarii jam Salmanticæ versarentur. Cani exemplum cum & alii ex eodem ordine sequerentur, Franciscum Romæum, ordinis Dominicani Magistrum generalem, edito atque transmisso ad suos mandato gravissimo, ferociam illorum repressisse. Quo non obstante, perrexisse Melchiorum Canum in suo instituto, immo acrius in Jesuitarum insurrexisse Societatem, quod Dominicus quoque Soto fecerit, & ex Cani discipulis Jacobus Peredus, Abulæ Theologiæ Professor, aliique. Vanamitaque eam esse controversiæ de auxiliis gratiæ originem, quam Augustinus le Blanc tradit, hinc colligit Noster, quod scilicet, mortuo Ignatio, Societatis Jesu Theologi, legum a Magistro Societatisque suæ conditore sibi latarum parum memores, a doctrina Thomæ Aquinatis discesserint. Quam sententiam prolixè refellit, idque ea ratione, ut primo exponat, quibus conditionibus Ignatius Lojola Thomam Theologis Societatis prælegendum decreverit, quasque de hac re leges ipse tulerit, tum ut documentis firmis demonstrat, latas a fundatore leges nec Societatem deinde unquam nec Præpositos generales ullo in apice infregisse, sed ex Ignatii spiritu doctrinam hausisse omnem. Anno M DLXXXVII enata est in Belgio celebris illa controversia inter Facultatem Theologiæ Lovaniensem & Leonhardum Lessium, Societati Jesu addictum, qua ad certamina de auxiliis gratiæ velut signum aliquod sublatum. Hanc in compendio ita enarrat Noster, ut culpam omnem in Michaelem Baium conjiciat. Hujus enim cum multæ propositiones, ut hæreticæ, erroneæ, suspectæ &c. a Pio V & Gregorio XIII Pontificibus damnatæ essent, Academiam, instigante Bajo, cui plurimi favebant, scripta Jesuitarum diligenter excussisse, si quid rursus & in iis erronei invenirent. Ex Lessii itaque & Hamelii, qui erant præcipui inter Societatis Jesu Theologos, scriptis triginta propositiones censura notatas, ex quibus una fuerit de gratia sufficiente. Hanc censuram, mox excepisse alteram Academiae Duacensis, quæ Lovaniensis filia est: utramque autem sollicitasse Facultatem Parisiensem, ut idem faceret, sed frustra. Immo multos eosque gravissimos in

Belgio Theologos censuram istam Lovaniensem, ut iniquam, rejecisse. Lessium etiam propositiones istas atro notatas lapillo judicio Pontificis Sixti V submisisse, qui convocato Cardinalium cœtu post accuratam discussionem omnes istas propositiones, ceu articulos sanam doctrinam continentes, approbaverit. Hæc primum in compendio hac de re ex Isaaci Haberti Episcopi Vabrensis & Doctoris Sorbonnici *Defensione fidei Eleutherius*, quæ ipsius Lessii testimoniis, quæ ne suspecta sint, aliorum de ejus integritate elogia præmittit, pluribus confirmat, totam controversiæ hujus historiam ex Lessii Diario fuse exponens. Ingentes sane in Belgio motus Lovaniensis illa controversia dedit, quorum hic tandem finis fuit, ut utrique parti silentium imponeretur. Ipsum Nuntii Apostolici edictum, quo sub pœna excommunicationis vetuit, ne quis alteram partem erroris damnaret, exhibet Autor ex Diario Lessii, ex quo & subjicit, per istud edictum duplici ratione censuram Lovaniensem tacite damnari: primo, dum Lessii propositiones iterum *sane doctrinæ articulos* vocat, deinde, quia excommunicationis pœnam denuntiat illis, qui propositiones istas essent damnaturi, & Jesuitis libertatem eas docendi relinquit. Cumque non Lovaniensium sed Jesuitarum propositiones censura notatæ essent, palam inde fieri, in Jesuitarum favorem hocce edictum conditum, etsi ceteroquin utriusque partis sententia in eo adprobetur.

Ceterum motuum horum Lovaniensium cum auctorem præcipuum Michaëlem Bajum, ut jam antea diximus, pronuntiasset Noster, gesta ejus ante editam censuram Lovaniensem exponere operæ pretium duxit. Nimirum doctrinam in censura Lovaniensi comprehensam & doctrinæ Jesuitarum adversam a Joanne Hesselio, a Lovanio dicto, excogitatam primum, a Michaële Bajo acriter strenueque fuisse propugnata. Mox in errore de gratia & libero arbitrio deprehensum Bajum censuram Sorbonnæ incurrisse, a qua sententiis ejus erroris & hæreseos nota inusta anno MDLX. Nihil hac re permotum Bajum in suo perrexisse instituto, donec Pius tandem V Pontifex constitutione edita anno MDLXVII varias Baji propositiones proscriberet, injuncta Granvellano Cardinali cura, ut Bajum ad obsequium manda-

mandato Pontificis præstandum induceret. Sed turbato per motus civiles eo tempore Belgii statu, non licuisse Granvellano componendis scholæ jurgiis vacare. Eundem tamen scriptis Roma anno M D LXVII litteris prolixis ad Maximilianum Morillonium, Præpositum Ariensem, suumque in Archiepiscopatu Mechliniensi vicarium, rem omnem exposuisse, de pertinacia Bajæ graviter conquestum esse, simulque ei demandasse provinciam, ut omni humanitate & prudentia induceret Bajum ad acquiescendum Pii V censuræ Pontificiæ. At Morillonium quoque parum profecisse, Bajo tam pertinaciter sua defendente, ut, scripta Apologia ad Pontificem, eum dispicere juberet, utrum bullam ut legitimam & sufficienter discussam habere vellet, an tanquam subreptitiam rescindere? Quibus comperitis cum Gregorius XIII anno M D LXXIX novam constitutionem ederet, a Pio editam revocaturus, simulque Franciscum Toletum, e Soc. Jesu Theologum, ad Bajum mitteret, hunc tandem victas dedisse manus, temereque orsa retexendo morem gessisse Pontifici. Interim non dubitasse Bajanos, numero jam & auctoritate florentes, cum viderent Toletum a Pontifice missum, quin Jesuitarum opera & consilio Gregorius Pontifex telum istud in ipsos strinxisset. Hinc illorum in Jesuitas machinationes, quæ hisce certaminibus originem præbuerint. Quibus expositis, ea, quæ Augustinus le Blanc hac de re dixerat, sub examen revocat, refellens præcipue illud, quod asseruit: illam Bajæ fuisse calumniam, dum aliquot ejus propositiones a Pio V Pontifice damnatæ fuerunt.

Compositis Pontificis auctoritate Lovanii rebus, spes pacis firmæ inter Dominicanos & Jesuitas affulgebat. Sed mox ea evanuit, novis in Academia Duacensi ortis turbis. Harum auctores Societatis Jesu Professores fert Augustinus le Blanc, negat Eleutherius, originemque mali iterum ab invidia illorum, qui incrementa Societatis Jesu & auditorum ad ejus scholas concursum ægre ferebant, repetit. Nec tamen diffitetur in doctrina de gratia & prædestinatione eos dissensisse a Doctoribus quibusdam Duacensibus, easque discipulis tradidisse sententias, quas illi necdum obliti, ut putat, censuræ suæ, pertinaciter fastidiverint. Qua in re neutiquam peccaverint.

Jesuitæ, cum per decretum Pontificis in causa Lovaniensi hoc illis facere non fuerit nefas. Atque ita porro controversiam istam Duacensem prolixè enarrando Jesuitarum innocentiam tuetur, & plurimas Augustini le Blanc aberrationes & hallucinationes, quas vocat, refellit. Immo non tantum nihil veri, sed ne verosimile quidem in tota hac Historia eum scripsisse, diserte pronuntiat. Sic, ut unicum exemplum addamus, Atrebatensem & Tornacensem Episcopos, indicto Jesuitis silentio, Academiæ censura standum judicasse, donec controversa dogmata dijudicasset Romanus Pontifex, refert le Blanc. Falsum hoc esse, & Episcopis injuriosum, pronuntiat *Eleutherius*. Nullo enim instrumento ostendi posse, Atrebatensem & Tornacensem Præsules hoc fecisse: immo nec facere potuisse, nisi decreto Pontificio in causa Lovaniensi reluctari voluissent. Multo autem minus concedit Auctor, censuras Belgicas Romæ sub Innocentio XI & XII fuisse adprobatas: immo hoc est, quod per aliquot capita diligenter sibi refutandum sumpsit. Male quoque audiverant Augustino le Blanc, qui censuræ Belgicæ approbationem in dubium vocaverant, quorum famam cum vindicasset, tandem disquirat, quo jure le Blanc Societatis Jesu Patres *veteres Academiarum osiores* dixerit? ubi & respondet ad judicium illud de Academiis Germanicis, speciatim *Moguntina & Trevirensi*, exemplisque probat, has Academias, si quandoque a partibus Dominicanorum stare visæ fuerint, laudibus in cœlum ab illis fuisse sublatas. Et hæc quidem Libro primo edisseruntur; quæ secundo continentur, proximo Mense referemus.

*HENNINGI HAMELII, BRUNSVICENSIS, JCTI
Clarissimi, Repetitio ad solennem Titulum Institutio-
num Justinianearum de Actionibus.*

Gvelferbyti, impensis Gothofredi Freytagii, 1707, in 4to.

Alph. 3 plag. 18.

Operis hujus facienda est mentio, ob novam saltem editionem, nam alias dudum illud impressum est, ut in ejus contenta digredi institutum nostrum non permittat. Nova hæc Editio eo potissimum nomine commendatur, quod, rejectis

Bb b

antiquis

antiquis, novis ac usitatissimis libellandi & supplicandi formulis fit adornata, ac quamplurimis locis, præsertim ubi jura novissima & praxis moderna a veteri tam Civili quam Saxonico jure, discesserunt, aucta & correctæ. Neque veretur Bibliopola, ne, existentibus neotericorum maximi nominis Jurisconsultorum, puta Excellentissimi Dn. Strykii, Magnifici Dn. Schwendendorfferi, Subtilissimi Dn. Bergeri & aliorum, qui Actiones forenses accuratiori stylo & ordine in lucem emisserunt, tersissimis scriptis, plerique laborem hunc frustraneum & sumtus male impensos esse dicant, cum, ut ipse censet, Magistris experientia & doctrina præstantibus discipuli non statim præferendi, ac in rebus forensibus non magis ex scriptis novissimis quis se erudire, quam ex antiquorum libris solidam haurire queat experientiam.

FUNDAMENTA JURIS CANONICI, IN NUCLEO exhibita, & juxta ordinem Decretalium adornata. Auctore JUSTO CHRISTOPHORO WILLEDINGIO, J. U. L. & Practico.

Francofurti & Lipsiæ, sumtibus Ludolphi Henrici Hauensteinii, Bibliopolæ Hannoverani, 1707, in 8vo.

Plag. 21.

Magnum Commentariorum & Systematum juris Canonici esse quidem numerum, aut Compendiorum, quæ concinna quadam brevitate & facili methodo elementa hujus juris exhibeant, aliquam penuriam, contendit Clarissimus Autor, cum præter Corvinum Desseliumque, sæpe tam in methodo, quam re ipsa deficientes, neminem fere hujus generis Scriptorem habeamus. Cum tamen ob autoritatem, qua etiam inter Protestantes hodie pollet jus Canonicum, ejus cognitio sit necessaria, hinc non inutilem se præstiturum esse operam existimavit, si fundamenta illius in nucleo exhiberet. Concinnatum est hoc Opusculum juxta ordinem Decretalium, ita quidem, ut singulorum Titulorum argumento breviter exhibito, differentia juris Civilis & Canonici hinc inde subnecterentur. Hoc dum diximus, materia & ordo hujus Compendii summatim intelligitur, ut scriptio-

nis

nis indoles nonnullis saltem exemplis breviter adhuc declaranda videatur. In *lib. I tit. 21* agitur de bigamis non ordinandis : ostendit igitur Clarissimus Autor , bigamiam esse vel simultaneam, vel successivam : illam vel veram, cum quis uno tempore duas ducit uxores, vel fictam, nempe si is, qui sacris initiatus ordinibus, conjugium cum Christo contraxit, nihilominus carnale conjugium de facto contrahat, quod sub pœna irregularitatis sit prohibitum. Successivam vero esse, quando quis non uno tempore, sed successive duas uxores ducit. His præsuppositis, amplius docet, bigamum sensu juris Canonici esse, qui secundas nuptias legitime contraxerit, aut qui repudiatam, aut viduam duxerit, atque ita irregularitatem sibi conciliaverit, nisi a Pontifice dispensatum fuerit. Qui autem multas habuit concubinas, irregularitatem non incurrit, si pœnitentiam egit, uti nec is, qui ab altero quidem ductam, sed non cognitam, duxit in uxorem. In *tit. 34* de Treuga & Pace differitur : explicato itaque Treugæ nomine, monet Noster, olim in Germania & Gallia varii generis causas, etiam ecclesiasticas, singulari duello fuisse commissas, datis ab utraque parte Championibus sive bellatoribus, ex quo *Kampffliche Sachen*, & ordinatio des *Kampff-Berichts* innotuerint, præterea diffidationes privatas maxime in usu fuisse. Reprimendo pessimo huic mori, cum alii, tum etiam Episcopi, ex doctrina Nostri, incubuerunt, constitutis certis temporibus, quibus propter timorem Dei nemo vindictam ab inimico sumere poterat, hinc extitit *Treuga Domini*, cui *conventionalis*, & *legalis secularis* opponitur. Notat igitur Treuga inducias sive pacem temporariam, sicut Pax treugam perpetuam, inimicitias sine penitus imposito. In *lib. II tit. 35* summariaë Pactorum expositioni has subjungit Noster differentias: Jure civili ex pacto nudo non datur actio, bene vero jure Canonico : illo pactum, quo hæreditati paternæ renuntiatur, est invalidum, hoc autem valet.

L' ART DE SUCCER LES PLAIES SANS SE
servir de la bouche d' un homme, par le Sr.
DOMINIQUE ANEL.

i. e.

DOMINICI ANELLI, CHIRURGI MAJORIS LEGIONIS Loricatorum Comitatus de Gronsfeld, hujusque ordinarii, Ars sugendi vulnera absque oris humani ope.

Amstelodami, apud Franciscum van der Plaats, 1707, in 8. const. 5 $\frac{1}{2}$ plag. & figuris æneis.

ARS exsugendi sanguinem ex vulneribus apud quosdam tanta pollet autoritate, ut in omnibus omnino vulneribus eam commendare non dubitent; aliis vicissim tanto est odio, ut nullibi eam admittendam esse existiment. Medium tenet Autor noster, qui nec in omnibus, nec in nullis vulneribus ei locum concedit. Exsugere enim ex illis sanguinem vel pus posse statuit, quæ suris, femoribus, lumbis, scapulis, brachiis sunt inflicta, & si instrumentum vulnerans vasa majora arteriarum, venarum, vel nervorum non transierit, aut ubi pectus vulneratum, vel thorax transfossus est. Exulare vero eandem jubet suctionem in vulneribus antiquis, cum contusione, magna substantiæ deperditione, ossis fractura, punctura nervorum vel tendinum, arteriarum vel venarum majorum læsione conjunctis, & in vulneribus capitis duram matrem vel ipsum cerebrum penetrantibus, ad abdominis cavitatem adactis, & imprimis si intestina, ventriculus, vesica, vel quodcunque aliud viscus insimul læsum fuerit; id quod de sclopetorum vulneribus pariter est judicandum. Quoniam autem contingere potest, ut, qui ore sugit, morbo aliquo contagioso e. g. lue Venerea vel scorbuto sit affectus, adeoque verendum est, ne vel vulnerato eundem communicet, vel peregrinum fermentum vulnere, ejus coalitum impediens, & prava symptomata, inducat; aut ut sugens a vulnerato dictis morbis laborante inficiatur: novum sugendi vulnera excogitavit modum Autor Clariss. mediante syringa ex stanno vel argento vel plumbo vel ferro albo vel buxo parata instituendum. Adornandi scilicet sunt tubuli diversæ magnitudinis & figuræ diversis vulneribus extremitate una, altera syringæ immittendi, atque dum extrahitur embolus ex hac, cutis circa circumferentiam orificii externi vulneris probe est comprimenda

da, quo aeris ingressus inhibeatur, & humores educantur. Quo facto mediante syringa minori balsamus quidam vulnerarius, liquidus calefactus vel tepidus injiciendus venit. Hinc orificium externum vulneris linteo complicato aqua vulneraria madefacto est obtegendum; post singulas vero quartas horæ partes eadem exsuctio tribus vicibus est iteranda, & quidem prima vice, ut balsamus superfluus educatur, altera, ut humores post injectum balsamum effusi eliminantur, & ultima, ut parietes vulneris pro hujus consolidatione adducantur. Posthæc vulnus externum plumaceolis aqua styptica ebriis, emplastro styptico Crollii, linteo complicato & fascia conveniente est muniendum. Remedia, quibus in ejusmodi operatione uti solitus fuit, insuper fideliter describit Autor, qualia sunt aqua vulneraria, *l'eau d'Arquebusade* dicta, aqua styptica, balsamus Arcæi, balsamus viridis Metsii vel Dominæ Feuillet & emplastrum stypticum Crollii. Sub calce libri adjectus est discursus, in quo probatur, non esse impossibile, morbos Venereos per specificum aliquod præcavere, quia ipsa pestis per remedia præcaveri potest; & quoniam gonorrhœam aliaque symptomata Venerea maxime inveterata curari posse constat, faciliori negotio eadem in principio deleri posse judicatur; taleque Specificum se possidere, dicit Noster.

LE JARDINIER FLEURISTE ET HISTORIOGRAPHE.

i. e.

CULTURA UNIVERSALIS FLORUM, ARBORUM, fructuum & suffruticum, hortorum ornamento inserviens. Autore LUDOVICO LIGER, Antisiodorensi.

Amstelodami, apud Stephanum Roger, 1706, in 12.

Const. Alph. 1 & plag. 8 cum figuris æneis.

NON desunt equidem, qui Florum Culturam scriptis mandarunt, tantum tamen abest, ut exactam hujus rei notitiam ex istis polliceri sibi quis possit, ut circumstantias potius atque media pro hortis colendis & ornandis necessaria ut plurimum in iisdem omissa doleat Cl. Autor. Quamobrem operæ pretium se facturum confidit, si in præsentis tractatu omnium eorum, quæcunque circa hoc argumentum expectari poterant, claram supeditet notitiam. In duo igitur Volumina dispescuit præsentem librum, quorum prius primam, posterius binas continet partes.

In prima parte postquam diversum soli situm & naturam, cui flores sunt implantandi, delineaverat, modumque areas describendi, buxoque cingendi, & solum pro floribus feliciter producendis præparandi tradiderat, hortulani requisita depingit, instrumenta determinat, atque regulas pro floribus non solum serendis, sed & conservandis scitu necessarias subministrat, rationemque insimul flores tam intra vasa quam in seminario colendi adjungit; nec animalium plantis noxas afferentium obliviscitur, atque auxilia ea arcendi docet. Post hæc veram omnes florum species multiplicandi artem, justumque tempus semina colligendi, & quæ circa bulbos notari merentur, fideliter injungit. Commemoratis tum mediis, quibus flores in alias regiones transmittendi ab omni injuria defendi debeant, tempus, quo quosvis flores serere vel plantare conveniat, determinat; & postquam de plantis vivacibus in specie egerat, florum, qui mense Septembri seruntur, descriptionem, semina, virtutes, & historiam suppeditat. Quæ vero circa illos flores, qui mense Octobri, Novembri, Decembri, Febuario, & Martio serendi veniunt, notatû digna sunt in secunda Parte inculcat, insimulque illorum facit mentionem, qui pro pulvinorum hortensium marginibus constituendis sunt, apti; annique tempus, quo quævis planta floribus superbire solet, determinat. In tertia Parte seorsim de Malis aureis, Punicis, Jasmino, Genista, Myrtho, Lauro, Rosa, Syringa & Sumach; Romarino & Barba Jovis, Taxo, Picea & Cupresso, Carpino, Caprifolio, Philaria & Alaternis; Ulmo, Tilia, Colutea, & Aquifolio; Hippocastino & Acacia; Lilac, Pyracantha, Bryonia; atque Buxo peculiaribus in capitibus agit. Tandem postquam diversos ambulacra exornandi, arborumque ordines adornandi modos declaraverat, quo quævis arbor tempore suos producat flores, adjungit.

DE VIRI CELEB. ATQUE AMPL. CHRISTOPH. CELLARI,
Antiquitatum & Eloquentie in Fridericiana Regia Halensi Professoris,
Obitu Epistola ad Virum Consult. & Cl. BURCHARDUM GOTT-
HELF STRUVIUM, Historiarum in Academia Jenensi Prof.
exarata a JACOBO BURCHARD.

Halæ, typis Christ. Andr. Zeidleri, 1707, in 4.
 Const. plag. 3.

DOlet Autor Cl. luctuosum Reip. litterariæ universæ obitum
 Viri de elegantiore litteratura & Actis quoq; nostris meritissi-
 mi, CHRISTOPHORI CELLARII, brevemque vitæ ipsi-
 us historiam pertexit. Quare non ingratum fore arbitramur, si
 quædam ex illa Epistola hoc loco inferamus. Lucem adspe-
 xit Cellarius Smalcaldiæ anno 1638 & vix tres annos natus paren-
 te orbatus est, qui Superintendentis munere in urbe ista fungeba-
 tur. Duodevicesimo ætatis anno in Academiam Jenensem com-
 migravit, ubi præter elegantiora studia, quæ *Bosius* egregie doce-
 bat, ac Philosophiam reliquam, Mathesi quoque & linguis Orien-
 talibus operam navavit non contemnendam, *Bechmanno*, *Wei-
 gelio* & *Frischmuthio* ducibus usus. Jena relicta, Gissensem petiit
 Academiam, *Haberkornii*, Theologi tunc temporis famigeratis-
 simi, fama commotus, quo Præside anno 1659 *de infinito valore
 meriti Christi* publice disputavit. Enimvero cum ibi non esset,
 qui in Mathesi & linguis Orientalibus desiderio ejus satisfaceret,
 Jenam rediit, ibique præter ista studia, *Zapfio* doctore, Philosophi-
 am magis magisque excoluit. Septennio in Academiis consumto,
 primum Gothæ, dein Halæ aliquandiu in occulto latuit, donec tri-
 ginta fere annos nato in *Weisenfelsensi* Gymnasio munus Philoso-
 phiam Moralem & linguas Orientales docendi demandaretur. A.
 1673 *Vinariense*, post trienniū annis duodecim *Cizense* & per quin-
 quennium *Merseburgense* Gymnasium rexit. Tandem cum Rex
 Borussiae Academiam Fridericianam Halæ Saxonum conderet,
 ob nominis præclaritatem eidem Professionem Eloquentiæ ac Hi-
 storiarum indulsit. Non opus est, ut prolixè commemoremus,
 quanto ardore puritatem linguæ Latinæ vindicare studuerit, cum
 scripta ipsius dudum edita id abunde loquantur. Pertinet huc li-
 ber de *Latinitate mediæ & infimæ ætatis*, sive *Antibarbarus*;
 pertinent huc *Curæ posteriores de Barbarismis & Idiotismis ser-
 monis Latini*; imo huc pertinet *Fabri Thesaurus*, qui maximis
 ejus curis & incredibili prorsus studio quartum, & auctior quidem
 semper prodiit, licet anni singulis editionibus adscripti tres tan-
 tum editiones indicent, quintum proditurus, quamplurimis ad-
 ditionibus auctus, si vita suppetisset. Notandum hic, monere
 Autorem, spem novæ editionis non prorsus concidisse, cum opti-
 mus *Cellarius* omnia propemodum, quæ novæ editioni addita vo-
 luit,

luit, adnotaverit, iisque Bibliopola celeberrimi *Grævii* varias adnotaciones addendas decreverit. Primos Latinæ linguæ canones ex libellis Latine confectis disci a tyronibus parum congruens arbitratus Grammaticæ artis præcepta conciinna admodum brevitate Germanice conscripsit. Plurimos etiam bonos scriptores magna cura emendatos & magno judicio exquisitis notis instructos edidit, *Tullii Ciceronis* puta Epistolas ad Familiares, & Orationes quasdam selectas, *C. Julium Casarem*, *Cornelium Nepotem*, *C. Plinii Cæciliæ Secundi* Epistolas atque Panegyricum Trajano dictum, *Q. Curtium*, *Eutropium*, *Sextum Rufum*, *Vellejum Paterculum*, XII Veteres Panegyricos, & Orationes ex Historicis nonnullis Latinis excerptas. Nec illustrandis Scriptoribus sacris operam denegavit: emisit enim *Lactantium*, *M. Minucii Felicis Octavium*, cui *Cæciliæ Cypriani* de vanitate idolorum librum adjunxit. Ad Poetarum lectionem juventutem invitaturus *Cælium Sedulium*, *Prudentium* & *Silium Italicum* quam emendatissime evulgavit, *Baptistam Mantuanum* additurus, si bibliopola quidam impensas tulisset. Scilicet ex magno juventutis usu judicasse dicitur, veteres Scriptores cum recentioribus eorum vestigia secutis conferre, quo imitationis artificium patefieret: quæ causa fuerit, cur *Joh. Pici Mirandule Comitæ* epistolas atque *Petri Cunei* Orationes & reliqua Opuscula recudi fecerit. Quod recentiorum quibusdam libris, in quos nihil præterea operæ contulit, Præfationes præfixerit, doluisse posthac fertur. Ex Græcis Autoribus *Zosimum* edidit atque *Pæanium*, *Eutropii Paraphrastam*. De viri eloquentia non solum ex Dedicacionibus ac Præfationibus, sed & ex Programmatibus ipsius conjunctim olim atque separatim inde publicatis, nec non ex orationibus Panegyricis seorsum excusis judicium fieri posse, Autor pronuntiat: reliquam vero eruditionem ex *Historia Universalis*, quam tripartitam evulgavit, *Historia Samaritana collectaneis*, multis *Dissertationibus* ex historia sacra & profana depromptis, *Astronomiæ Elementis*, ad Poetas facilius intelligendos emissis, *Compendio Geographiæ Veteris & Novæ* ac imprimis ex *Antiqui Orbis Notitia* luculenter constare. *Geographiam mediæ ævi* magna ex parte jam confecit, sed colophonem non addidit. *Antiquitatum quoque Romanarum*, quarum exquisitam habuit notitiam, *Compendium* edidisset, si diutius vivere contigisset. Obiit vero Vir de bonis litteris egregie meritis, die quarta mensis Junii proxime præterlapsi, anno ætatis octogesimo sexto.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M DCC VII.

RACCOLTA DI STATUE ANTICHE
e Moderne &c.

i. e.

*COLLECTIO STATUARUM ANTIQUARUM ET
modernarum, publicata sub gloriosis auspiciis Sanctitatis
D. N. Papæ Clementis XI a DOMINICO de ROSSI; il-
lustrata explicationibus ad quamlibet iconem a PAVLO
ALEXANDRO MAFFEO, Patritio Volaterrano ac
Equite Ordinis S. Stephani ut & cohortis
prætorie Pontificis.*

Romæ, in typographia ad signum Pacis, 1704, fol. chart. reg.

Constat Alph. i plag. 5 figurisque 161.

Utilissimum certe dixeris hoc institutum ac dignum
tanta felicitate, qua Summi Pontificis sui, bonarum
artium restitutoris, providentia rerum quondam do-
mina & caput in præsentis gloriatur. Quicquid enim
ars statuaria seu prisca seu recentior in marmore vel ære effin-
xit divini, atque Urbi inprimis peculii quasi loco reliquit, illud
laminis æreis elegantissime expressum modico sumtu jam com-
parare licet. Ad plures autem cum officiosi hujus consilii e-
molumentum redundet, habituros maxime arbitramur insi-
gne solatium, qui loca ista nunquam accesserunt, jucundissi-
mam vero memoriam, qui singularia hæc superioris ævi mo-
numenta coram quondam admirati sunt, sive utrique literati
Ccc fuerint,

fuerint, sive curiosi duntaxat spectatores, sive denique artis ipsius alumni. Ab antiquis igitur signis ut initium faciamus, gratissimus hic erit adspectus Laocoontis, Apollinis cum Pythone occiso, Antinoi, Veneris balneo exeuntis, Commodi Imp. in habitu Herculis, Nili, Tiberis, Cleopatrarum, ac mutilati Trunci, quæ in hortis *Vaticanis* supersunt. Contueri juvabit præcipuum montis *Quirinalis* ornamentum, Alexandrum M. in habitu frænantis Bucephalum, quod Phidiæ & Praxitelis artem sapit. Obveniunt inde *Capitolii* decora. M. Aurelius Imp. equo insidens ex ære, opus adeo in pretio positum, ut ei publico nomine peculiaris hodie custos constituatur; Jul. Cæsar Dictator paludatus atque armatus, Octavianus simili amictu, Faustina, Julia Mammæa, Aventinus, Hercules ex ære, Cicero, Virgilius, Juvenis spinam sibi evellens, Camillus vel sacrificuli minister, Sibylla & Marforius. *Medicæas* opes tam Romæ in hortis & palatio, quam Florentiæ asservatas indicant Venus a Diomede Apollodoro formata, & adhuc alia velut e concha nata, lucta athletarum, Mars gradivus ex ære, Marfyas ab Apolline excoriatus, Niobe filios plangens, unus filiorum ejus, Bacchus cum exuviis tigridis, bacchans cum cymbalo & scabillis, Fauni tres diversæ species, Apollo nudus, Cupido cultellum acuens, Ajax occisus, Hercules Anteam sublimem rapiens. Nec numero vel arte cedunt *Farnesiane* ædes, ubi oculos allicit Taurus cum Dirce, Zetho & Amphione, inimitabile illud Apollonii & Taurisci simulacrum, Hercules, Flora, Augustus equo vectus, Matrona Regia, quæ Cleopatra creditur, Caracalla Imp. Venus sese abstergens, captivus Dacus, Mercurius ex ære. Haud steriliores offenderis hortos *Ludovisianos*, quippe qui alio Mercurio, Pæti & Arriæ *αὐτοχρησία*, Papyrio, cui mater abblanditur, Pane, Apollinem Musicam docente, Gladiatore moribundo, Marte nudo ac dearmato superbiunt. In villa *Montaltia* olim obversabatur Germanicus Claudii Drusi filius, & Quintius Cincinnatus, ab aratro ad dictaturam evocatus, qui jam Versaliarum in Galliis deliciae sunt. Horti *Borghesiani* monstrant Centaurum a Cupidine ligatum, famosum illum gladiatorem, Silenum cum

Baccho

Baccho alumno, Hermaphroditum, Cingaram, & Satyrum juvenem, Curtium denique in scrobem se præcipitantem, qui quidem anaglypho opere est exsculptus. *Justinianas* ædes Palladis, Salutis, Egeriæ nymphæ, Virginis Vestalis, Marcelli Senioris, Domitiani, M. Aurelii Augustæque cujusdam signa commendant. In ædibus autem *Barberinis* prostant *Septimius Severus*, *Agrippina*, *Bacchus*, *Isis*, *Atalanta* & *Hippomanes*. *Ottobonianum* e contra museum Apollinem & Baccharum seu Mœnadam quandam habet. Multo ditiores sunt horti *Matthæi*, qui *Adrianum Imp.* equo eminentem, *Antonium Pium*, *Lucium Verum*, *Sabinam*, *Crispinam* & *Amazonem* ostentant. Palatio *Altierio* *Pescennius Niger* obtigit. *Odescalchio* vero Principi *Apollo*, tum integer Musarum ordo, excepta *Thalia*, quæ in *Capitolio* residet, *Faunus* capreolum portans, atque Geniorum par, naturæ sacrificantium. Apud *Altempfios* *Abundantiam*, *Paridem* in habitu *Phrygio*, *Matronam Romanam* & *Pastorem* cernere licet; apud *Cardinalem Spadam* *Pompeji M.* effigiem colossæ magnitudinis, ut & *Senecæ* sedentis. Penes *Casium* *Ducem* est figura *Amazonis*; penes *Maximos* *Pyrrhi*, *Scriniarii* coronati, *Æsculapiique* cum *Telesphoro*. In ædibus *Cavaleriis* *Flora* & *Bacchus*; in *Verospianis* vero *Jupiter tonans*, ac *Hercules juvenis*, dum *hydram* occidit, conspiciuntur. Restant adhuc *Bacchus*, *Musa quædam*, *Satyrus sylvestris*, *Meleager* seu *Adonis*, *Isis*, *Venus*, *Diana*, *Alexander M.*, *Lucius Antonius*, *Deus Averruncus*, *Isis*, *Sacerdos* hujus *Deæ*, quin & *Somni imago*, quæ singula singularum ædium cimelia laudantur. Istud agmen non absque voluptate distinguunt & claudunt ex parte proximioris ævi foetus, *Davidis* *puta*, *Victoriæ*, *Bacchi* & *Mosis* signa ab artifice manu *Bonarotæ* profecta; *Constantini M.* item *equestris statua*, *Apollinis* & *Daphnes* in *laurum* mutata, *Davidis* cum *funda*, *raptus Proserpinæ*, *Neptuni* cum *Tritone*, ut & alterius *Tritonis*, *Veritatis*, *Urbani VIII Pontificis*, *Danielis* & *Habacuc* *Prophetarum*, *Longini* quoque & *Bibianæ*, *Berniniani* cæli immortalia monumenta. Ejus etiam delineationi debentur fluviorum *Nili*, *Danubii*, *Gangis* & *Platæ* effigies hic adductæ, quæ *aræ*, *Navonæ*

vulgo nuncupatæ, fontem exornant, sed ab aliis fuere elaboratæ. Ut taceamus Sabinarum raptum, Innocentium X Pontificem ex ære fufum, Jonam, Andream & Susannam, quibus Algardus, Quesnojus aliique ad summam famæ celebritatem pervenerunt. Omnia vero sua sponte loquentur, haud infeliciorum cum successu rem statuariam nobilitasse modernos istos sculptores ac veteres illos, seu Græcos, seu Romanos. Cæterum ut amœnior esset & numeris omnibus absoluta hæc collectio, explicatiunculas suas optimorum autorum suffragio passim munitas ad singulas icones succedere voluit Illustris *Misfeus*, iisdemque errores nonnullos, ut circa res temporum, antiquitate obsoletas facillime cespitant hominum judicia, corrigere, obscurius traditis uberiores lucem commodare, quæ ipsa fufius jam persequi non vacat. Prædicandæ tamen sunt Viri doctissimi laudes, quod frontispicium libri, quin & alia paginarum ornamenta a priscis seculis mutuata discursibus suis eruditissimis in gratiam curiosorum explanavit. Ita Thermarum Titi aut quarumvis aliarum structuram, quam in ipsis thermis Titi depictam fuisse indeque in librum Commendatoris del Pozzo quondam transumptam affirmat, clariorem reddit ex Plinio Lib. V Epist. 6, ac memoratas ibi thermarum antiquarum partes, balneum nempe, caldarium seu Laconicum, aut sudatorium, tum tepidarium ac frigidarium, imo & elæothesium seu unctorium hic quoque ad oculum exhiberi contendit. Hypocaustum vero suppositum non concameratis saltem cellis prioribus, sed ahenis etiam seu miliaris triplici ordine locatis, in quibus aqua copiose colligebatur, ex parte usum præbuisse simul docet, unde de re balnearia breviter at judiciose commentandi ansam accipit. Jucundum cum sit hocce spectaculum, nec alibi facile occurrat, in tabula VII ideo B. L. repræsentari fecimus.

TAB. VII.

HISTORIÆ CONTROVERSIARUM DE DIVINÆ

Gratiæ Auxiliis libri sex. Autore THEODORO

ELEUTHERIO, Theologo.


Antv. typis P. Jacobs, 1705, in fol.

Libro

TAB. VII. ad A. 1707. M. Sept.

p. 388.

STRIGILIS



FLED
FRIGIDARIUM
TEPIDARIUM

CONCAMERATA SVDATIO

BALNEVM

FRIGIDA
RIUM

FRIGIDA
RIUM

FRIGIDA
RIUM

FRIGIDA
RIUM

LACONICVM

LACRVM

HYP0

CAVS

TVM

E. Andre-Sohn. sc.

Libro secundo *Eleutherius* res gestas in Hispania ab anno MDLXXXI usque ad annum MDXCIV, quo controversia de auxiliis Romam evocata est, enarrat. Ubi, quæ de origine controversiæ in Hispania memorat, neutiquam prætermittenda censemus. Lutheri, inquit, & Calvinii hæresi expugnandæ divinitus datus Ignatius (ita isti quidem putant) cum adverteret Pelagium omnia libero arbitrio, Lutherum omnia gratiæ tribuere, & istum emancipatos, hunc servos e filiis facere, vitatis extremis erroribus, pro gratiæ & liberi arbitrii concordia totis viribus decertandum suis indixit. Eo collimantes, ita pergit, Societatis Theologi, quæ in Scripturis Sanctis, conciliis, patribus, sparsim jacta observaverint fundamenta, in unius veluti formam ædificii colligendo, apteque suis singula partibus componendo, eam gratiæ cum libero arbitrio concordia speciem exhibuerunt, quæ antiqua & patricia cum esset secundum partes singulas, nova quoad ordinem & symmetriam apparuerit. Novam hanc concordia liberi arbitrii cum gratia speciem primum exacerbasse hæreticos, tum Bannesium & ejus asseclas impulisse, ad turbas ingentes excitandas in Hispania, Lusitania, ac tandem in ipsa urbe Roma. Anno nimirum MDLXXXI Prudentius de Montemajor Soc. Jes. Theologus in Academia Salmanticensi theses ventilandas proposuit, in quibus physicæ prædeterminationes actuum nostrorum rejiciebantur, & divina præscientia futurorum contingentium conditionatorum certa & infallibilis, nullo præsupposito absoluto divinæ voluntatis decreto, assereretur. Has theses non tantum Bannesius in ipso disputationis certamine acriter impugnavit, sed ex illis sedecim propositiones partim hæreticas, partim erroneas, sed, ut Eleutherius auctor est, adulteratas, excerpfit, & suo ac amicorum nomine ad supremum tribunal Inquisitionis Hispanicæ misit. Re vero accuratius discussa, deprehensum, falso thesium auctori sedecim illas propositiones impostas, doctrinam vero a Prudentio defensam, a multis fuisse adprobatam. Hinc corrigit Augustinum le Blanc, asserentem, S. Theologiæ Salmaticenses Magistros omnes a Vallisaletano Iudice in unum convocatos, judicasse, prædictam doctrinam (Prudentii) temeritatis & erroris nota dignam esse. Eam scilicet

doctrinam, inquit Eleutherius, non quam defenderat Prudentius de Monte-major, sed quam Bannesius sedecim propositionibus expressam finxerat incidisse, & pro germana Prudentii doctrina S. Inquisitioni obtruserat. Cum autem nihilofecius Bannesius omnia contra societatem moneret, rumor ad eum e Lusitania perlatus est, Ludovicum Molinam librum parare de Concordia liberi arbitrii cum auxiliis gratiæ. Quod ut impediret institutum, (ex mente Eleutherii loquimur) tredecim propositiones, quas ad mentem Societatis de gratia & libero arbitrio exprimendam concinnaverat, (diversas a sedecim illis antea memoratis) & jam ad Inquisitionis tribunal supremum detulerat, ab eo etiam prohibitas, donec maturius examinarentur, itidem in Lusitaniam ad Albertum Cardinalem Archiducem, generalem illic Inquisitorem misit, asseverans, illas in libro contineri, quem prælo maturaret Ludovicus Molina, adjecta etiam Pelagianismi accusacione, in libro Molinæ resuscitati. Quod dum refert Eleutherius, miratur Bannesii temeritatem, quod librum Molinæ nec dum in lucem editum, nec dum a se visum, Pelagianismi accusare non dubitaverit: cum tamen hoc ipso tempore, ordinis Dominicani & sanctæ Inquisitionis deputatus Bartholomæus Ferreira, ut librorum censor, honorifico admodum elogio, eum adprobaverit. Cujus auctoritati cum varia opponat le Blanc, ea hac occasione diluit Eleutherius. Cæterum cum tredecim istæ propositiones ad Albertum Cardinalem venissent, antequam prodiret liber Molinæ, nec tamen loca indicarentur in Molinæ libro, in quibus istæ propositiones extarent, (quod sane fieri non potuit libro isto a Bannesio nondum viso) missus tandem liber Concordiæ, Bannesio quidem magnopere id expetente, Salmanticam fuit, examinandus censendusque ab iis, qui jam illum, priusquam vidissent, prædamnaverant; suspensa interim in Lusitania libri venditione. Post trimestre examen observationes quædam in Lusitaniam ad Molinæ librum mittuntur, loca, in quibus erroneæ propositiones contineantur, indicaturæ. Ad quas cum Molina respondisset, Albertus Cardinalis Theologis quibusdam, & istis quidem ordinis Dominicani, Joanni de Las Cuevas, Confessario suo, & Bartholomæo Ferreræ rem omnem commisit, qui

examine

examine maturo præmisso, omnibusque, quæ objecta fuerant, cum Molinæ responsionibus rite collatis, statuerunt, in toto ejus libro nihil justa dignum reprehensione occurrere, ut nulla excusatione probabili retineri diutius possit. Quare Inquisitionis generalis Lusitanicæ solenni ac contradictorio judicio, accedente Archiducis consensu, tandem permissum, ut Molinæ liber sub initium anni MDLXXXIX omnium victor difficultatum, in lucem prodiret, addita Appendice, qua ad objectiones sibi factas Molina responderat. Atque hæc Auctor literis ipsius Alberti Archiducis ad Clementem VIII scriptis confirmat. In iis, quæ in hoc libro sequuntur, prolixè Molina causam perorat: nihil eum scripsisse, quod sit in Augustinum totamque Ecclesiam injuriam: scientiam mediam re ipsa ab Augustino & Patribus traditam, fatentibus Societatis Jesu Scriptoribus; Molinæ librum de Concordia communi fere omnium religiosorum ordinum suffragio & approbatione receptum fuisse in Hispania, & quæ alia sunt ejusdem commatis. Speciatim de Bellarmino disputat, quem utraque pars a suis stare vellet partibus. Noster itaque de gratiæ efficacis natura cum Molina eum sensisse; gratiam prædeterminatam, etiam ante ortas de auxiliis controversias, rejecisse; electionem ad gloriam post prævisa merita supernaturalia nulli errori affinem, ipsiusque Augustini aliquando fuisse sententiam, declarasse. Quod autem ad querelam de adulteratis Bellarmini controversiarum libris attinet, eam non novam esse fatetur, vulgoque ad Fuligattum & Silvestrum Petram Sanctam in vita Bellarmini provocari. Sed ut contrarium potius ex utroque auctore appareat, Bellarminum scilicet, in his quæ ad prædestinationem & gratiam pertinent, constantem se & inflexibilem præbuisse, ita fabulam totam de adulteratis ejus libris ex *Recognitione operum suorum*, quam Bellarminus annis vitæ postremis ediderit, satis refelli posse. In hac namque, quæcunque in libris controversiarum contra phycas prædeterminationes pro gratia congrua & scientia media disputavit, eum renovasse iterum & confirmasse. Cui argumento nihil opponi posse, nisi forte quis ipsam illam Bellarmini recognitionem suppositam fingere velit.

Quod

Quod quam absurdum sit, ex eo probat, quod extra controversiam tredecim ante Bellarmini mortem annis hæc recognitio prodierit. Quo pacto denique Clemens VIII causam hanc, de qua magnis animorum motibus in Hispania concertabatur, Romam evocarit, circa finem libri secundi exponit, de silentio insuper utrique parti indicto, sed a Dominicanis primum male observato, hinc & recte a Jesuitis violato, differens, ita transiturus ad ea, quæ hac in causa Romæ gesta sunt.

In tertio itaque Libro, quæ Romæ primum a Prædicatoribus & Consultoribus gesta, ac primis coram Cardinali Madrutio congressibus disputata utrinque sunt, exponit. Hic Consultorum in primo examine oscitantiam & miram in ferendis suffragiis præcipitantiam notat Eleutherius, adeo ut miratus Pontifex, tam cito de re gravissima sententiam a consultoribus latam, rem maturius expendi jusserit. Cumque Molinæ æmuli, in Hispania rumorem damnandæ propediem doctrinæ Societatis sparsissent, viros Principes eo excitatos, datis litteris Pontificem de rebus in Hispania Lusitaniaque gestis instruxisse, atque orasse, ut res tota componeretur, aut certe justitia utrinque æqualiter administraretur. Tum congressus coram Madrutio Cardinali continuatos, in quibus obsequio erga Pontificem, respondendi promptitudine, atque rationum soliditate, nunquam fere non Jesuitæ Dominicanis fuerint superiores, his certamen de prædeterminatione physica declinantibus, donec interveniente Madrutii morte, collationes istæ interrumperentur. Qua occasione simul Noster contendit, scripta Cardinali huic tribui coepta verosimilius supposititia fuisse. Tum de Gregorii Coronelli, qui Congregationi fuit a secretis, censura in librum Molinæ, jussu Pontificis Jesuitis tandem tradita, & horum adversus eam censuram exceptionibus, aliisque eodem spectantibus momentis multa magna diligentia Auctor tradit, & ita ad quartum demum Librum progreditur.

In eo Propositiones viginti, a Molinæ adversariis partim infideliter (stylo auctoris utimur) ex libro *Concordiæ* collectas earumque censuras, & Patrum Prædicatorum oppugnationes,

nec

nec non defensiones Patrum Societatis, summa fide, ut titulus libri habet, exponit. Singulas hic indicare propositiones, aut quid circa illas disputatum sit, enarrare, cum instituti nostri ratio non permittat, ea saltem notabimus, quæ Augustino le Blanc, de artibus Iesuitarum pro impedienda Pontificia definitione conquerenti, respondet. Scilicet cum jam in eo esset Pontifex Clemens VIII, ait Augustinus le Blanc, ut Molinæ causam damnaret, Iesuitæ Molinæ dogmata aperte propugnando & disseminando orituri schismatis metum Pontifici injiciebant. Pro calumnia istud habet Eleutherius. Nec enim aliud quidquam egisse Iesuitas, quam ut Salmanticæ Molinæ sententias publicis thesibus propugnarent, idque (ut ipse le Blanc ait) *ad dissipandos Romanæ censuræ rumores*, istos scilicet, quos Prædicatores falso per Hispaniam de damnato Molinæ libro & exusta ipsius statua sparserant. Alteram le Blanc Iesuitarum, ad sufflaminandam Pontificis decisionem, artem hanc prodiderat. Silvanectensem Episcopum a Iesuitis inductum Pontifici persuasisse, Molinismum in Academia Parisiensi regnare, foreque adeo, ut definitio Pontificis in ea Academia impediretur. At imprudenter Augustinum agere, Eleutherius ait, quod mendacem faciat Episcopum, cujus ceteroquin in rebus suis testimonio utantur Dominicani. Cum ne sic quidem res ex voto procederet Iesuitis, auctore Augustino le Blanc, per emissarios suos eos Concilii generalis injecisse mentionem, in quo de hisce controversiis sententia ferretur. At gravissimorum virorum hanc fuisse sententiam, affirmat Eleutherius, etiam aliorum in celeberrimis Academiis Theologorum in re tanti momenti expetendas esse sententias, interim & quæ de Bellarmino, ac si & ille Concilii celebrandi auctor fuisset, addiderat Augustinus le Blanc, hac occasione sub examen revocat Eleutherius. Sed pergit Augustinus: Molinæ doctrinam per epistolas stultasque revelationes commendari curant, ut Clementem VIII a ferendo judicio deterreant. Respondet Eleutherius: ad epistolas quod attinet, scriptas omnino fuisse ad Pontificem a magnæ autoritatis viris, tum ut eum edocerent, quid viri per Europam sapientissimi & de Molinæ & de Bannesii

doctrina sentirent, tum ut intempestivam Dominicanorum ja-
ctantiam, qua damnandam propediem Societatis doctrinam
propalabant, retunderent. Quod ipsis subjectis epistolis
comprobat. Ad revelationes autem quod attinet, quibus Ie-
suitæ Molinæ doctrinam commendari curaverint, primo qui-
dem stultas & sacrilegas, ut vocat, revelationes longe rectius
Dominicanis objici, ex historiarum monumentis comprobat:
tum vero ad librum, qui Parisiis Anno MDCX sub titulo:
*Tractatus de Predestinatione, in Scripturam sacram & veram evan-
gelicam lucem, divina mediante gratia, ab idiota Ferdinando
de las Infantas, Presbytero Cordubensi, compositus, & extra omnem
pretensionem ipsi vere luci Christo Dei filio, a quo accepit omnia,
dicatus, prodiit, respondet, eum neququam Societatis instinctu
prodiisse, neque Thomæ de Lemos ad hoc evincendum suf-
ficere auctoritatem. Vltimum denique Iesuitarum κρησφύ-
γετον* fuisse le Blanc ait, quod palam hanc thesin propugnare
ausi sint: de fide non esse, Clementem VIII summum Pontifi-
cem & Petri successorem esse. Ad quod Eleutherius respon-
det, nec omnes hanc thesin defendisse Iesuitas & ab aliis, ipsis et-
iam Dominicanis, jam pridem ante mota hæc certamina eam
thesin defensam fuisse; ideoque per meram calumniam, ad in-
vidiam Iesuitis faciendam, eo tempore hæc arrepta fuisse & a
Dominicanis ad Pontificem aliosque ita delata, ac si Pontificis
hac ratione eludere auctoritatem vellent Iesuitæ.

Disputationes coram ipso Pontifice Clemente VIII habi-
tas prolixè refert Libro V, & quid in singulis Congregationibus
gestum sit, condocet. Nos id saltem observamus, quod de
Gregorio de Valentia refert. De hoc le Blanc narraverat,
cum ausus esset, ipso præsentè Pontifice, quædam Augustini
verba depravare, ut ejus cum Molina consensum ostenderet,
ejusque petulantia a Lemosio statim revicta & minaci vultu a
Clemente VIII repressa esset, Gregorium tanto pudore fuisse
suffusum, ut mentis vertigine captus in terram concideret.
Inter commenta varia hæc refert Eleutherius, & Thomæ de
Lemos, scriptoris Dominicanis faventis, qui & Valentiaæ adver-
sarius fuerat, testimonio probari posse negat, præsertim cum

nec a Coronello, nec ab Abbate Farfensi, congregationis Secretariis, nec a Regna, furioso isto Iesuitarum, ut vocat. osore, quidquam huiusmodi memoriæ proditum sit. De Perronio quoque Cardinali prolixè hic differit, planeque negat, eum politicis rationibus adductum, propensum in hac causa erga Iesuitas demonstrasse animum. Dictum quoque Perronii, ad Pontificem: *curaturum se, si, quod meditabatur, (Pontifex) definiret, ut huic Pontificio decreto universæ Europæ Sæctarii subscriberent*, perperam ab Augustino le Blanc in favorem Dominicanorum exponi, ac si Perronius neutiquam hoc ipso Pontificem ab edenda definitione deterrere, sed hoc potius ostendere voluerit, Calvinianos & Lutheranos hoc ipso decreto facilius ad Romanæ Ecclesiæ gremium redituros, quippe qui, relictis majorum suorum vestigiis, non magnopere a sententia Ecclesiæ Romanæ hoc in capite dissentiant. Enimvero magnopere hac in re eum falli, contendit Eleutherius, cum nimium quantum adhuc Reformati pariter ac Lutherani a sententia Ecclesiæ Romanæ differant, & in iis debellandis Iesuitæ hæctenus suis felicissime usi sint hypothefibus, quæ tamen, ut & alia, quæ hac occasione de sententia Lutheranorum dicit, ac si quidam recentiores ex Lutheranis negent, liberum arbitrium in negotio Justificationis mere passive se habere, aliis discutienda relinquimus.

Quæ denique sub Paulo V Pontifice in hac causa gesta sint, exponit Liber sextus isque ultimus. Magnus hic iterum & multus in plerisque hujus historiæ capitibus inter Iesuitas & Dominicanos dissensus: sed in eo præcipue, quod Dominici & horum propugnator Augustinus le Blanc contendunt, finitum tandem sub hoc Pontifice hocce negotium eousque fuisse, ut Pontifex bullam Consultoribus delineandam commiserit, quam hi etiam diligenti studio elaboratam tradiderint Pontifici: at intercedente Pontificem inter & Rempublicam Venetam lite, inque ea Iesuitis pro auctoritate Pontificis strenue depugnantibus, ut Venetiis excedere, quam Pontificis deferere partes mallent, promulgationem bullæ in aliud tempus fuisse dilatam, & ita controversiam istam hæctenus indecisam

mansisse, etsi victoria fuerit penes Dominicanos. At longe alia Eleutherius narrat: bullam Pauli V, tam speciose jactatam, commentitiam esse pronuntiat, quæ nunquam exstiterit in rerum natura, scriptum equidem aliquod a Coronello congregationis Secretario esse compositum, cui tamen Pontifex non subscripserit, de quo etiam sciri nequeat, an unquam a Cardinalibus & Pontifice examinatum lectumque, multo minus adprobatum sit. Frustra jactari illud diploma sacris Vaticani tabulis reconditum, cum nec probari possit, unquam intra id sacrarium fuisse receptum, & alibi fateatur le Blanc, in Augustinianorum scriniis inter cetera Coronelli scripta reperi- tum. Quo ipso cum secum pugnare ipse videatur, admoni- tum hac de re hocce excogitasse effugium, plura fuisse istius diplomatis exempla ipsius Coronelli manu scripta & Cardina- libus ad examen tradita. Quod frustra dici, Eleutherius con- tendit, & si concedatur, nondum tamen inde sequi, ad sacras Vaticani tabulas exemplum aliquod fuisse delatum. Ceterum cum imposito utrique parti silentio pax quodammodo sanc- ta, & decreto Pontificis anno M DC XI impressio librorum de auxiliis prohibita esset, mox tamen denuo certamina mo- ta sunt, Augustino quidem le Blanc violatæ pacis culpam in Iesuitas conferente, negante id strenue & contrarium evin- cente Eleutherio. Et hic etiam observat, edictum Pontificis de prohibenda ejusmodi librorum impressione promulgatum, fuisse, statim ac Didaci Aluarezii opus de Auxiliis divinæ gratiæ, prodiisset: idque instinctu haud dubio Dominicanorum, ut hac ratione, quæ Iesuitæ Aluarezio opponere constituerant, impe- direntur. Namque vix prodierat Aluarezii opus, cum Patres Societatis Iesu parata magna ex parte Leonhardi Lessii & Francisci Suarezii de Auxiliis divinæ gratiæ volumina prælo maturarent.

In Appendice hujus operis instrumenta & scripta quæ- dam prolixiora ad historiam hanc spectantia exhibentur: sci- licet *Dissertatio de genuinis Pelagii & Massiliensium erroribus*, eo comparata, ut Pelagianismi suspicionem a Iesuitis amoliatur, *Leonhardi Lessii Apologia adversus censuras Lovaniensem & Dua- censem*,

ensem, Scriptum Roberti Bellarmini in defensionem doctrine Leonhardi Lessii, Ludovici Molinae Appendix ad librum de Concordia, & alia.

ANTIQUARIUS SACER, DE USU ANTIQUITATUM Judaicarum, Graecarum & Romanarum in explicandis obscurioribus S. Scripturae dictis, ad antiquitates Ecclesiasticas, Politicas & Oeconomicas Veterum alludentibus, delineatus a CONRADO MEL, SS. Theol. D. Ecclesiarum Principatus Hersfeldensis Inspectore & illustris Gymnasii Rectore.

Schleusingæ, excudit Georg. Wilh. Göbelius, 1707, 8

Pl. 8 $\frac{1}{2}$

AB extremis Germaniæ finibus, Regio Monte Borufforum, Aribus patrioque cœlo restitutus Autor Clarissimus, ac præterea in Jubilæo Francofurtano nupero ex Regia liberalitate mitra donatus Doctorali, & postulatus adeo novo hoc characterē, ut si quid haberet, quod in hunc diem viveret, cum oībe literato communicaret, Antiquarium sacrum, fusioris Operis prodromum, prodire in lucem voluit. *Conor, inquit ipse, tenuis grandia, iudicia, prælia, convivium, urnas, rudera collapsa loquor, & gentis antiquæ spolia ad Sanctuarium refero.* Sic enim, ut nonnulla delibemus, exponit verba Pauli Hebr. XIII, 10 *& nos, fideles N. T. habemus altare, antitypum altaris holocaustorum, Christum, ex quo habent jus edendi, qui Christi ejusque meritorum participes fiunt; sicut olim Judæi offerentes participes fiebant victimarum oblatarum. Excluduntur vero & non habent jus edendi, qui Tabernaculo serviunt, i. e. qui abrogatas V. T. ceremonias revocant denuo, in ignominiam Christi, tanquam corporis, ad cujus præsentiam cessant umbræ. Eundem Apostolum, 1. Cor, I, 20 *ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquistor seculi istius?* ait collimare procul dubio ad triplex officium in Synagogis usitatum, Disquisitorum nimirum, Principum Synagogæ & Scribarum, qui præ se ferebant clavem scientiæ. Joannem Apoc. III, 5 illustrat ex Lev. XXI, 17 &c. Ubi si quis rigidissimum*

p. 20

21

24

examen ad Candidaturam Sacerdotii sustinisset, & sine labe ac defectibus, quorum 142 recenseant magistri Judæorum, repertus fuisset, albis induebatur ~~vestimentis~~, nomenque ejus inferebatur catalogo Sacerdotali, ac coram summo sacerdote, & cœtu reliquorum sacerdotum pronunciabatur ille dignus, qui in numerum ministrorum reciperetur. Eundem Ioannem Apoc. XVI, 15 censet respicere ad vigiliis & excubias Levitarum, ubi capitaneus illorum de nocte circumiens una manu baculum, altera facem ardentem tenebat. Et, si forte quem Levitarum dormientem reperisset, non solum licebat ipsum verberare, verum etiam vestimenta ejus accendere. Paulum iterum I. Cor. XV, 29 *quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* dicit ad lotiones Judaicas sermonem dirigere: ubi moris erat, eos, qui mortuum tetigerant, lavari, in signum mundationis spiritualis, si morte obruerentur, in die resurrectionis. Hac igitur ceremonia legali confessionem dedisse Judæos resurrectionis mortuorum. Et hinc inferre Paulum: inanem fuisse hactenus illam ablutionem, si nulla daretur resurrectio. Ad ritus Judæorum spectat & hoc, quod eos in pejus ruentes didicisse cultum idololatricum Molochi ait a Moabitibus, & liberos suos per ignem ducere solitos. Nimirum adstantibus Sacerdotibus Molochi atratis, saltasse pueros per ignem, & ex hoc ritu singularem sibi puritatem imaginatos homines miseros. Eundem autem cultum exhiberi contendit in pictura quadam notatu digna, quæ extet in pronao Basilicæ Hersfeldensis. Christum porro Marc. III, 17 voce *Boavepγēs* alludere censet ad duos Scribas, qui in synedrio sedere summo Sacerdoti solebant ad sinistram & dextram, quorum hic colligebat suffragia absolvendorum, ille damnandorum, atque adeo ritum synedrii juridicum applicari regno Christi spirituali, ubi pii absolvantur a maledictione legis, impiis vero poenæ divinæ annuncientur. Rejectam igitur quidem fuisse petitionem matris, pensatam autem egregio elogio: quasi diceret, Ecclesiam quoque indigere talibus filiis tonitruum, quales in Synedriis sedent, non tamen, ut regnent. Rursus Paulum I. Cor. XI, 10 exponit de velamine sponsæ coram delegatis a sponso, ad eam in domum ipsius ducendam, qui dicti sint *angeli desponsationum*. Elicere hinc Paulum, multo

p. 28

34

36

42

multo magis velandas mulieres in cœtu publico, in signum modestiæ & obedientiæ, quia & hic præsentés sint angeli, ministri verbi divini, qui fideles sistant Christo ceu sponsam sine macula. Jam & Davicap. III. DC LX, 10 & CVIII, 10 *projiciam calceum meum super Edom*, ex ritu locutum antiquo, quo patresfamilias iter facientes calceos suos colligatis corrigiis super humeros servorum, ut eos gestarent, projiciebant. Similiter subjugandos fore Edomitas, ut more servorum populo Dei calceos suos portarent. Locum I. Reg. X, 27 *dedit Salomo argentum ut lapides perperam* iudicat de lapidibus in plateis accipi, sed hunc habere sensum: naves redeuntes ex Ophir tanta in copia apportasse lapides exasciatos & exsculptos ad usum templi ædificandi, quanta in copia naves Tyriæ cedros. Verba etiam cœnæ, *hoc est corpus meum*, contra Pontificiorum transubstantiationem ex antiquitate Iudæica explicanda esse, dicit se audacter profiteri. Ibi enim phrasologiam hanc, *hoc est corpus meum*, fuisse usitatissimam & notissimam. Quando enim comedebatur Pascha, quærere solebant filii Hebræorum, *quid illud est?* & tunc ait respondisse patresfamilias, *hoc est corpus agni*, quem patres nostri comederunt in Ægypto, i. e. qui nobis in memoriam revocat agnum paschalem in Ægypto mactatum. Similiter locutum esse Christum, cum loco paschalis institueret S. Cœnam. Tali enim modo panem esse suum corpus, prout agnus paschalis Hierosolymis mactatus erat corpus agni in Ægypto mactati, signum nimirum corporis sui, jam jam propter peccata mundi offerendi. *Comedere igitur corpus Christi* Mellio ex hypothesi nihil aliud est, quam in Christum credere. Errorem pictorum, qui pingant Israelitas stando pascha comedentes, (de quo tamen nil sit in sacris literis, sed tantum *festinantes* describi, non tamen stando sed accumbendo,) postquam strinxisset, versionemque LXX viralem Hab. IV, 2 sollicitasset anticipatam solennitatem Festi tabernaculorum sub adventum Christi Matth. XXI, 8 ultimo pœne loco commemorat. Nimirum Judæos gaudia sua eo modo testatos, ut in via ex frondibus palmarum hinc inde exstruxerint tabernacula, eaque ipsa texerint vestimentis suis, more in Festo isto usitato. Prodromum ergo hunc faustis sequatur auspiciis mox majus illud Opus Auctoris.

Sequatur

P. 52

59

63

Sequatur etiam opus alterum *de complementis sacris Hebraeorum*, ac præterea *Hassia literata*. Ita fiet, ut, quod ipsum habere in votis cernimus, sublimi feriat sidera vertice.

JO. GEORGII GRÆVII PRÆFATIONES ET EPI-
stolæ, editæ a JO. ALBERTO FABRICIO,
D. & Eloqv. Prof.

Hamburgi, apud Christianum Liebezeit, 1707, in 8.

Alphab. i plag. 6.

JO. Georgio Grævio, Cl. Viro, tam singularem tamque exquisitam Amplissimus Fabricius tribuit eloquentiam, ut sermonem ejus a Musis ipsis Gratiisque elaboratum judicet, ac Latine qui scripserit vel tersius vel suavius, a longa jam memoria reperisse se testetur neminem. Sæpius inde optasse & pro Græviani nominis gloria expectasse etiam se ait, ut Epistolæ ejus, quas scripsit prope modum infinitas, ex privatis Virorum doctorum scriniis proferrentur in lucem, atque singulari cum fructu hominum studiosorum in publicum emitterentur. Dum autem cessatur, existimavit se operæ pretium facturum, si hanc interim earum paulo plus quam centuriam colligeret, atque promulsidis loco in unum redactam volumen edere aggrederetur, ut vel cæterarum, quibus carendum adhuc est, desiderium utcunque harum lectione levaret, vel eos, qui possunt, ad reliquarum evulgandarum curam suscipiendam impelleret accenderetque. Non est autem, ut prolixiora excerpta inde haurienda Lectores nostri sibi heic polliceantur, quando quidem non e manuscriptis primum eadem nunc vulgantur, sed singulæ jam antea typis publicis exscriptæ prostant. Et pleræque sane libris Grævii cura editis præfixæ sunt, ac Lectorem modo alloquuntur, modo eos, quibus suam ille diligentiam commodavit, Autores Viris summis, interque hos Regibus etiam ac Principibus, inscribunt atque dedicant. Sex ad Marqu. Gudium scriptas una cum Gudii & Sarravii epistolis A. 1697 Petrus Burmannus edidit, multoque plures ad Petrum Francium e posthumis Francii & illustrium Eruditorum ad eum epistolis, Amstelædami A. 1706 vulgatis, Noster repetiit, prout
 & gra-

& gratulatio Grævii ad Fridericum III Borufforum hodie Regem, de fundata Academia Halensi jam inde ab A. 1694, quo Berolini impressa, eruditis nota fuit. Denique vitam Grævii disertissima Oratione a successore ejus, Burmanno, descriptam heic ideo subjecit Fabricius, quod paucorum in manibus, nostris quidem in oris, eandem versari intellexit.

ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩΣ

Τῶν εἰς ἑαυτὸν Βιβλία ἱβ.

i. e.

MARCI ANTONINI IMP. EORUM, QUÆ AD SE
ipsum, Libri XII recogniti & notis illustrati.

Oxonæ e Th. Sheldon, impensis A. Peisley, 1704, 8. ch. aug.

Constat pl. 17.

ILLUSTRE admodum inter Stoicæ sectæ addictos nomen est **M**arci Antonini Imp. quippe quem incredibili Zenonis atque Chrysippi placitorum amore captum, in Stoica Philosophia excolenda omne, quod ab Imperii administratione ipsi superaret, tempus consumsisse, tum illi, qui res ab hoc Imperatore gestas litteris consignarunt, communi suffragio testantur, tum vero maxime elegantissimum hoc, quod de rebus suis scriptum reliquit, ingenii monumentum egregie prorsus confirmare videtur. Continet iste liber varias eademque fortuitas sæpe Antonini, de iis, quæ ad bene beateque vivendum pertinent, meditationes, ac in multis cum sanctissimæ religionis nostræ decretis plane convenit, in quo adeo exponendo pariter atque illustrando operam posuerunt, qui a novæ hujus editionis Auctore in Præfatione recensentur, doctissimi viri, Guil. Xylander, Annotator ille Lugdunensis, Mericus Casaubonus, Collierius, Thomas Gatakerus & Cl. Dacierius. Hos inter omnium optime Gatakerus de Antonino meritis est, eundemque & nova eademque pereleganti interpretatione, & commentariis varia ac recondita doctrina refertis illustravit. Sed enim vero cum hos ipsos Gatakeri commentarios nimia sui mole laborare, reliquos autem enarratores in difficillimis sæpe locis explicandis deficere

E c c

animad-

animadverteret Oxoniensis noster ἀνώμωμος; novam hanc *Antonini* editionem, Cl. inprimis *Hudsonii*, Bibliothecæ Bodlejanæ Præfecti, Amici nostri æstumatissimi, consilio adjutus adornare suscepit, qua textum quidem ac versionem fere integram ad exemplum Gatakerianæ editionis exhibuit, notas autem ex omnium commentariis præcipuas tantum, & ad auctoris sententiam illustrandam maxime facientes, ac suis quandoque observationibus permixtas adjecit. In fine hujus editionis additæ sunt *Epistolæ*, *Antonini* nomen præferentes, quas quidem a Græcis recentioribus confictas esse, eruditorum plerique existimant.

INSTITUTIONUM CHRONOLOGICARUM LIB. II,
una cum totidem Arithmetices Chronologica Libellis, per
GUILLIELMUM BEVEREGIUM, M. A. nunc Episcopum
Asaphensem. Editio altera, priori
emendatior.

Londini, typis Samuelis Roycroft, & prostant apud Gualterum
 Kettilby, 1705, in 4.

Constant Alphab. I plag. II.

STudium Chronologicum utut utilissimum existat, ab eo tamen plerique abhorrent, quia difficile admodum & perplexum. Enimvero nihil tam difficile, quin facile reddatur, si in sua quasi elementa resolvatur, ut simplicissimorum considerationi seorsim vacare liceat: quæ rite intellecta facile combinantur. Tale quid circa Chronologiam præstitisse *Beveregium*, eruditis ex prima Institutionum ipsius editione jam satis notum putamus. Dividit enim Chronologiam in partem *καίρικὴν* & *χαρὰν ἡρησιτικὴν*, quarum illa temporis naturam ac partes distincte explicat, altera de notis, quibus tempora distinguuntur, agit. Explicata igitur in parte prima definitio-
 ne temporis Aristotelica, scrupulum, horam, diem, hebdomadam, mensem & annum considerat, diversaque harum partium apud gentes diversas genera enumerat, describens inprimis an-
 num

num Gregorianum & Julianum, Ægyptiacum, Æthiopicum, Persicum, Syriacum, Græcum, Astronomicum, civilem & Solarem Judæorum, atque Arabicum, solutis simul problematibus huc spectantibus. In parte secunda characteres dividit in naturales & institutos. Naturales recenset syzygias, eclipses & ingressum Solis in puncta cardinalia seu Æquinoctia & Solstitia: ubi in Æquinoctiis & Solstitiis anticipationem seu annuam versus mensium initia retroversionem in anno Iuliano expendit, eademque utitur ad calculum Æquinoctiorum & Solstitiorum sine tabulis Astronomicis absolvendum. Inter characteres institutos refert cyclum Solis, cyclum Lunæ, Indictionem & Epactam: quorum explicationi periodorum Metonicæ, Calippicæ, Dionysianæ, Iulianæ expositionem subjungit. Denique multus est in explicandis characteribus fixis, seu epochis, unde annorum numerandorum initia repetunt gentes. Recenset certe Æram Christianam, Diocletianam, Mundi, Judaicam, Trojæ captæ, Urbis conditæ, Antiochenam, Olympiadicam, agonum Capitolinorum, Julianam, Hispanicam, Actiacæ victoriæ, Nabonafaream, Philippeam, Alexandream, Yezdegirdicam & Muhammedicam.

In Arithmetica Chronologica partem characteristicam, a reliquis Arithmeticæ Scriptoribus vulgo neglectam, potissimum explicat, signa numerica apud diversas gentes diverso tempore usitata uberrime declarans. Reliqua vulgaria sunt.

REPONSES AUX QUESTIONS D' UN
Provincial.

i. e.

RESPONSIONES AD QUÆSITA CUJUSDAM
Provincialis. Tomus II.

Roterodami, apud Reinerium Leers, 1706, 12.
Alphab. 1 plag. 5.

DE prima hujus operis Parte dictum est in Actis A. 1704 p. 433. sq. Altera hæc ad stromatum imitationem varia rursus variæ eruditionis monimenta nobis sistit. Initium fit a Jacobæ Bojoa-

rica, Comitum Hollandiæ, gestis, cujus morum pudicitia examinatur, stylo in eorum sententiam, qui de illa secius sentiunt, propendente. Accedunt fata Mariæ Anglicæ Ludovici XII Regis Gallici viduæ, cujus alterum imparibus tædis contractum conjugium a sublesta Jac. Phil. Bergomensis narratione vindicatur, enumeratis notabilioribus illustrium scæminarum matrimoniis. Hinc de Mareschallo Mellerajo disquiritur, ostenditurque, illum Advocati nepotem & Reformatæ olim religioni addictum fuisse, quo loco & controversia inter ejus filium, Ducem Mazariuum hujusque conjugem orta atque ab Erardo & S. Evremonio acta explanatur. Afferuntur in medium notatu digna plura de Maria Mancinia & Ludovici XIV in illam amore, vero quidem, sed falsis passim & confictis circumstantiis descripto, & de pernicie ex libellorum eroticorum lectione oriente, quam in rem exemplum Franciscæ Malatestæ hac via ad incestum perductæ accurate enarratur. Magna vero pars libri consumitur in disputatione cum Derensi Episcopo, G. King, & examine scripti ejusdem de Origine mali, ubi Auctor, (quem P. Bælium esse, diffiteri nemo potest,) operam dat, ut probet, Kingium ad dubia rationis humanæ non optime respondisse, & per hypothesein Manichæorum de duobus principiis ea longe speciosius solvi: eundem hinc inde hallucinatum, maxime quando bonum & malum a mera Dei electione dependere statuit: neque malum physicum neque morale ab illo ad legitimos excusationum fontes perductum esse, semperque scrupulum istum esse residuum, potuisse Deum, quippe infinite bonum, sapientem & potentem, systema aliquod mundi & concipere & producere, quod malis istis omnino careat. His explicatis, historia Germanæ Foxiæ, quæ cum Ferdinandi Catholici fuisset conjux, nupta postmodum est exuli Calabriæ Duci, observationibus variis decorata exponitur. Post hæc Auctor V. C. Jac. Bernardum, Auctorem Novorum Literariorum Amstelodamensium aggreditur, vindicaturus dubia, quæ olim contra consensum gentium argumentumque pro Dei existentia inde petitum proposuerat, quod salvum hactenus perstitisse existimat; quo loco suo more notitiam, quam Pagani de Deo habent, prorsus corruptam, nec notitiæ nomine dignam

ne dignam, imo Deo non magis convenientem esse, quam arboris idea ad hominem quadrat, iterum iterumque propugnat. Scriptoribus Diarii Trevoltiensis eadem propemodum opponit. De Godofredo Varaglio, qui Capuccinorum monachorum auctor Hospiniano creditur, deinceps Bælius disquirit, ostenditque, nec hunc, nec Ochinum ordinis istius conditorem fuisse, etsi posterius istud Beza, Legerius & Petrus Aegidius statuerint. De Valdensium inde numero disquirit, evicturus, numerum eorundem præter rem hinc inde mirum quantum augeri, cum longe sit, ac creditum est, inferior: porro de Olivetani translatione Biblica Gallicana, auctorisque vita agit, deque falso credita prædictione restitutionis Valdensium, Episcopo cuidam Anglo-Britanno adscripta. Disquirit porro de P. Jurii Apocalypticis vaticiniis monetque, illum palinodiam velut cecinisse, cum A. 1699 scriberet, Galliam, quam propediem in Protestantium partes totam concessuram crediderat, magis quotidie in superstitiones Romanas præcipitem ferri. Multa post hæc ipsi est inquisitio de Nicolai Cusani Cardinalis vaticiniis, deque ejus methodo futura Ecclesiæ fata ex Jubilæis annis, applicatis ad annos & menses vitæ, mortis, resurrectionis & adscensionis Christi, derivandi. De Imperatoribus Austriacæ gentis, qui Protestantibus favisse dicuntur, in postremis fere differitur, atque ita quidem, ut Auctor pervulgatis narrationibus parum fidei habens, favorem istum verum fuisse vix largiri velit, indirecte, autem nonnulla ab iis in usus Protestantium facta, sed aliis omnino finibus, concedat, & præsertim de Caroli V obitu non præclare adeo, ac multi alii, sentiat. Tandem Jurii aliorumque narrationes de incredibili meretricum Patres Constantiensis Concilii secularum copia, nec non de Maximiliano I Imperatore ad dignitatem Romani Pontificis adspirante examinantur.

PETRI MATTHÆI CONSENTINI ANIMADVERSIONES Physico-Medicae, in Decem Dialogos digestæ.

Neapoli, apud Dominicum Antonium Parrinum, 1704, in 4to.

Constant Alphab. i plag. 6.

p. 14

32

43

57
80.87

Cum ad Medicinam addiscendam animum applicasset Clarissimus Matthæus, ab ore Thomæ Cornelii Consentini pendere pro gloria duxit. Et quoniam eodem tempore præter alios Franciscus Salernitanus & Josephus Lambertus Massanensis ejusdem domum frequentabant, nostroque Autori, dum viverent, existebant amicissimi, horum amicorum memoriam vivam custodire & in Dialogis hisce eos differentes inducere ipsi placuit, ut saltem hoc conatu felicibus eorum manibus parentaret. Physiologiam igitur tradit, singulasque partium actiones rimatur, objectiones movet, easque resolvit. Incipit a chylicatione, ubi Problema soluturus, cur fluida alimenta aliquando satis difficulter & cum suffocationis metu animalia deglutiant, solida & dura nullo labore demittant? supponit, in omnium alimentorum deglutitione quicquid a lingua in pharyngem defertur, statim ejus musculos movere, & per hos fibras œsophagi transversales dilatari; quod si autem hæc ob aliquam læsionem constringantur, ita ut canalis hic non adeo facile aperiatur, liquida, quia in pharynge nullam vel levem motionem & pressuram producant, etiam ipsius musculos minime commovere, nec fibras gulæ transversales dilatari, sed foras potulenta regurgitare: solidos vero cibos semper majori vi a lingua in pharyngem impelli, hujusque musculos magis laceßere, hinc per dilatatas œsophagi fibras transversales feliciter descendere ad ventriculum. Digestionem ciborum intra ventriculum perfici putat, dum ex mutua unione & miscela humoris digestivi ita cibi agitantur, solvuntur & exaltantur, ut tertium quid ab illis omnino dissimile proveniat, quod dum separata erant, nec in cibis, nec in humore digestivo aderat, id est, per solam extractionem digestionem non absolvi. Purgantium non tam drasticorum, quam blandiorum & lenitivorum noxas experimentis in variis animalibus, quibus folia Sennæ, Diagridium, Conserva florum Persicorum, Pilulæ ex Aloe violata, Rhabarbarum, Crocus metallorum communicata varias easque noxias sanguini & intestinis qualitates induxerant, adornatis exaggerat. Pergit tum ad motum chyli, ejusque depurationem, lactis elaborationem, sanguificationem, & motum animale. Cordis equidem

equidem motum non tantum a spiritibus per nervos cardiacos
 influentibus, sed ab ipso sanguine in cor injecto fibrillasque ejus
 vellicante & stimulante produci existimat. Cordis palpitatio-
 nem a sanguine alterato & acri provenire, uberius docet. San-
 guinis missionem post timorem nocivam pronunciat. Respira-
 tionis necessitatem declaraturus, substantiam quandam volati-
 lem statuit, quæ in sanguinem penetrat, ac intime cum eo mi-
 scetur, unde illius fluxibilitas, attenuatio & motus provenit; il-
 lamque in ventriculum delatam succum digestivum acuere, a
 quo excrementorum separationes & perfecta chylicatio depen-
 dent. Omnem sanguinis missionem inutilem judicat, quia
 non sanguis sed humores vitio aliquo laborant, quod per venæ
 sectionem non corrigitur; potius cruore magis elaborato, tenui,
 fluido & mobili educto, reliquis parte sui spiritus spoliatus ægre
 in pristinam & congruentem crasin reduci potest, atque virium
 diminutio, debilitas, & penuria naturalium functionum sequi-
 tur; sanguinis autem abundantiam, quæ pro venæ sectionis
 indicante vulgo proclamatur, a copioso & nondum subacto chy-
 lo vel a crudis viscidisque particulis admistis, per diætam & spi-
 rituosi sanguinis motum circularem æque ac intestinum atte-
 nuandis, dependere ait. Post hæc circulationem sanguinis de-
 clarat, vasorumque anastomoses defendit. Explicato hinc lie-
 nis, hepatis, renumque officio, capsulas atrabilarias portio-
 nes falsas & acidas, a quibus stimulum & vellicationem in vesi-
 ca urinaria percipiunt nati, in fœtu tamdiu conservare & reti-
 nere, donec tempus partus adveniat; at infante in lucem edito
 nullum amplius usum habere, sed paulatim diminui & exte-
 nuari existimat. Mittimus ea, quæ de cerebro & glandulis
 differit.

88. 89

97

98

III

131

136

154

169. 183

189

197. 211

*GEORGI BAGLIVI, MEDIC. THEOR. IN ROMA-
 no Archilyc. Prof. Societatis Regiæ Londinensis, Academ.
 Imp. Leop. &c. Collegæ, Opera omnia Medico-Pra-
 ctica & Anatomica.*

Lugduni, sumptibus Anisson & Joannis Posuel, 1704, in 4.

Alph. 4.

Quanto

Quanto applausu Clarissimi Autoris libri de Praxi Medica, & de Fibra motrice, cum annexis varii argumenti Dissertationibus, fuerunt excepti, tanto, si non majori, præsentia ejus sine dubio excipientur Opera, quod laudatos non solummodo libros, cum Dissertationibus consociatos & in Actis A. 1698. p. 33 & A. 1703 p. 338 a nobis commemoratos, auctiores, sed & Præfationem novam, novamque Dissertationem cum variis Epistolis contineant, strictim nunc recensendas. Tædiosum siquidem foret, omnes morbos, de quibus Aphorismi Capiti nono Libri primi de Medica Praxi accesserunt, omnesque Propositiones, quæ Capiti octavo, nono ac decimo Libri primi de Fibra motrice additæ occurrunt, huc velle transcribere: e re potius videtur sine uberiori enumeratione eorum, quæ hinc inde accreverunt, ad reliqua additamenta nova progredi. Præfatio namque, omnem operum, quæ hic sistuntur, dispositionem atque Bagliviani systematis præstantiam exponens & defendens, licet Autoris calamo haud debeatur, hujus tamen epistolam comprehendit, in qua partim falsitatis potissimum convincuntur omnes, qui Pacchioni inventa circa structuram meningis a Nostro subrepta fuisse malevole clamitarunt, partim novus liber, qui de multo ejus labore in scrutanda solidorum natura testetur, ad praxin utilissimus, de internis atque occultis viscerum varicibus, hydatidibus & aneurysmatibus, promittitur. In Dissertatione vero nova, quæ quinta est, varia de morborum & naturæ analogismo, de vegetatione lapidum, & de terræ motu Romano A. 1703 ad Jo. Franciscum Maurocenum, Venetorum apud Pontificem Oratorem, perscribuntur. E tractatu scilicet, qui de morborum analogismo edetur & in quo explicabitur, quomodo morbi, tam natura iidem, sed partibus læsis differentes, quam natura diversi, in exortu, symptomatibus, curatione ac prognosi invicem conveniant, speciminis loco pleuritidis cum aliarum partium inflammationibus analogia, quatenus in cunctis iisdem per anodyna & diluentia laxitas primum solidorum, deinde etiam fluidorum, per convenientes vias eliminandorum, sit procuranda, similitudo dolorum, ubique a crispatura solidorum dependentium atque demulcentia requirentium, quam-

vis dolores gallici cum antigallicis, scorbutici cum anti-scorbuticis, & melancholici cum sero lactis, succis herbarum depuratis, v. g. sonci, borraginis, cichorei &c. & his similibus, leniendi veniant, atque convulsivorum morborum congruentia, depromuntur. Lapidum autem vegetatio quemadmodum talibus adstruitur observationibus, quæ vel lapides in principio molles esse ac teneros, vel lapicidinas non exhauriri, sed nonnullas earum denuo repleti, vel lapides etiam quosdam ex diversis stratis compingi, demonstrent; ita durities lapidum, ex terra tenaci & succo lapidifico sive aqua saxeis ramentis turgida resultantium, aut humori bituminoso & conglutinanti, aut principio salino, quo spiritus quoque lapidificus abundet, attribuitur, fluminumque originis & lapidum vegetationis ac nutritionis causa communis mare asseritur. Ignes denique subterranei cum primaria terræ motuum causa reputentur, nonnulla prius de iisdem traduntur, quam historia terræ motus Romani, quo plures urbes adjacentes fuerunt everse, pandatur: hic inter alia ex ore civis Aquilani refertur, terræ motum Aquilæ adeo extitisse horrendum, ut illi, qui in campis arborem aliquam amplexati sunt, ne caderent, ab hac fortiter vi terræ motus fuerint repulsi ac in humum prostrati. Tandem Epistolarum quatuordecim, quas Viri Clarissimi ad Nostrum dederunt, non nisi tribus responsoriæ hujus adjunguntur, quarum tertia ad Gualterum Harris, Medicum Londinensem, duæ priores autem ad Nicolaum Andry, Medicum Parisiensem, exaratae habentur. Ast quia primæ harum de lumbricis latis eorumque generatione mentionem jam fecimus, cum Nicolai Andry tractatum de generatione vermium in corpore humano in Actis A. 1700 p. 519 exhiberemus, pauca unice ex secunda de purgatione in principio febrium ac de febribus mesentericis Romanorum addere liceat. In principio nempe earum febrium, in quibus primæ viæ humoribus pravis turgent vel infarctus etiam mesenterii adest, potio aliqua purgans laudatur, cum clystere, si evacuatio lentius procedat, atque calido fomento abdominis emolliente, nec non cum stomachico aliquo, vel singulis, vel alternis diebus usque ad septimum usurpanda.

Econtra si vel minima suspicio appareat morbi acuti & inflammatorii, in principio haud purgatio, verum venæ sectio, etiam reperita, cum clysmatibus emollientibus & temperantibus, commendatur. Singulare interim est, quod in febre quadam epidemica maligna, in qua vermes teretes affatim excernebantur, vinum maxime profuerit, ceu in quod vermes pariter vivi inditi statim perierint, cum in oleo, aqua saccharata, spiritu vini, aceto, succo limonum, per plures horas ac dies viverent.

*GEORGII BAGLIVI, PHILOSOPHI ET MEDICI
Opuscula duo.*

Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaring, 1707, in 8.

Constant plagul. 17 fig. 1.



EXperientissimi *Baglivi* Operibus, modo memoratis, merito duo ejus Opuscula, hoc anno apud Batavos recusa, subjungimus: quorum primum Canones de Medicina solidorum ad rectum Statices usum complectitur, occasione Sanctorii de Statica Medicina libri, Romæ prelo A. 1704 denuo commissi, sed hic omitti, ceu Lugduni Batavorum recentissime jamdum typis exscripti, potissimum conscriptos, Præfatione attestante, quæ Amplissimo Jo. Francisco Mauroceno inscribitur: alterum vero Dissertationem varii sistit argumenti, ad Petrum Hottonum, celeberrimum in Academia Leidensi Medicum atque Botanicæ Professore A. 1705 datam. Canones quidem de solidorum Medicina numerum sexagenarium complent, de cunctis tamen Lector facile judicabit, ubi ex Canone 1. 8. 10. 20. 25. 38 & 40 cognoverit, æquilibrium inter mentem & corpus a Medico esse inveniendum, mentis per Staticen Philosophiæ moralis, corporis per Sanctorii Staticen; quod in tali æquilibrio sanitas consistat & vita. Notitiam solidorum varie oscillantium, & liquidorum vario motu currentium per corpus animatum, ad doctrinam Statices rite percipiendam maxime conferre. Staticen Sanctorii & circulationem sanguinis Harvejanam duos esse polos, quibus universa regatur veræ Medicinæ moles, hisce inventis restituta & confirmata. Mortem naturalem ob ariditatem exsiccationemque solidorum, & falsedinem atque vappiditatem liquidorum venire: solidis mederi balneum tepidæ, liquidis vero insen-

insensibilem transpirationem & cibum boni succi sobrie sumptum. Morbos chronicos & acutos per purgantia, diaphoretica, diuretica, similiaque frustra curari, nisi solidorum & liquidorum natura ad rectum ordinem reducatur. Coctionem humorum in laxitate debita solidorum & liquidorum consistere, cruditatem vero in contractione ac veluti confusione stranguationeque eorundem. In liquidis animati corporis manifeste observari Mechanicam chymicam digestionum, coctionum, fermentationum, despumationum, exaltationum, præcipitationum; in solidis autem Mechanicam cunei, vectis, elateris, fune penduli, projectionum, resistentiæ & oscillationis; in utrisque autem simul junctis certo patere regulas æquilibrii, proportionis, centri gravitatis, resistentiarum, pressionum, projectionum. In Canone 45 de tabe viscerum peculiaris promittitur Dissertatio, cum libro de Medicina agonizantium, in quo ratio edocebitur, qua ægrotis in ultimo agone constitutis deceat subvenire, quam primum edenda. In Dissertatione autem de progressionem Romani terræ motus ab A. 1703 ad A. 1705, de Systemate & usu motus solidorum in corpore animato, atque de vegetatione lapidum & analogismo circulationis maris ad circulationem sanguinis differitur. Scilicet dum progressus terræ motus Romani a Calendis Martii A. 1703 ad Calendas Martii A. 1705 primum recensetur, nunc historiola maximi terræ motus Neapolitani A. 1688 subnectitur, nunc historia cum morborum communium & epidemiæ constitutionis, quæ annis istis Romæ regnavit, tum morborum in specie, quibus Norisius & Sfondratus, Cardinales, A. 1704 & 1706 succubuerunt, attextitur: e quarum illa modus haud silendus videtur, quo variolæ, in puero septenni retrocedentes ac lethalem pene spirandi difficultatem inferentes, felicissime ad cutis ambitum revocatæ fuerunt. Statim namque Noster iusserat totum fere corpus lanceola scarificari & appositis cucurbitulis hinc inde sanguinem ad libras duas educi, hocque ducto puerum linteis calidis involvi & ad dormiendum disponi: mane autem totam cutem oleo amygdalarum dulcium cum spiritu salis armoniaci commixto curaverat obliniri, quo

variolosæ materiæ eruptio ab interioribus ad exteriora promovetur; nec sine effectu, variolis siquidem copiose denuo erumpentibus, spirandi difficultas sensim desit, puerque optime convaluit. Neque dubitatur, quin petechiæ aliæque papulæ cutaneæ, ad interiora recurrentes, eadem scarificationum & inunctionum methodo ad exteriora queant revocari. Dum Norisii ejusque de Epochis Syro-Macedonum libri fit mentio, egregium quoque & perrarum e museo suo nummum producit Autor, nobis

TAB. VIII in Tab. VIII Fig. 1 delineatum, qui a L. BIBULO M. F. PRÆF. in honorem M. Antonii & Cleopatrarum cusus, subscriptas habet litteras ΔΣ, Epocham Ægyptiorum ac Syrorum denotantes. Columnam potius Antonini Pii, cujus Romæ A. 1703 pariter detectæ mentio simul fit, figuraque ex *Vignolo* additur, eo magis silentio præterire liceat, quod egregium hujus *Vignoli* de eadem opus proxime a nobis sit accuratius commemorandum. Hinc paucis nonnulla perpenduntur, quæ ad systema de solidis videantur necessaria, postquam iis responsum fuit, qui vel duræ matris motum in externa & convexa parte debiliorem esse, quam ut omnes membranas subjectas ad oscillationem systalticam continuo possit impellere, vel ligata jugulari motum duræ meningis in externa parte cessare, animal tamen aliquamdiu superesse, objiciunt. Motum quippe matris duræ ab innato & systaltico fibrarum elatere dependentem & a *Realdo Columbo lib. 14 de Anatomica* primum descriptum, in centro magis ejus circa falcem & septa vigere, quam in peripheria, annotatur. Quemadmodum vero œconomia corporis animalis & æquilibrium solidorum cum liquidis in collisione calculi cum pelvis renum lateribus ad sensum turbatur, ita admiratione dignum est, quod clyster, ex jusculo carnis & oleo amygdalarum dulcium injectus & per sex horas retentus, crudeles quidem ex calculo dolores in aliquo ægroto sedaverit, non tamen per alvum, sed totus cum urina secesserit oleumque urinæ innataverit. Nec ad innatum fibrarum elaterem & portentosam oscillationem confirmandam parum confert, piscis ille molis maximæ, qui, vulgo *Requen* dictus, in toto Oceano Barbarico reperitur, dum, animali enecto caudaque, ca-

pite





pite, corde ac visceribus omnibus resectis, truncus cadaveris sine liquidis, sine spiritibus, sineque visceribus per multum tempus adeo fortiter agitatur & concutitur, ut tres vel robusti homines illi detinendo vix sufficient. Tandem Observationibus in dissertatione de vegetatione lapidum pro horum mollitie in matricibus ipsorum comprobanda prolatis, aliæ hic adduntur, marisque circulatio, multum ad lapidum nutritionem faciens & a pondere, tum proprio, tum salis ingeniti, tum aeris superincumbentis dependens, cum circulatione sanguinis ita comparatur, ut in sanguine non minus, quam in mari, quadruplex motus, primus ab oriente in occidentem, alter a septentrione in meridiem, tertius fluxus & refluxus, ac ultimus filtrationis, observetur.

*DISQUISITIONES BIBLICÆ IN UNIVERSUM PENTATEUCHUM, Autore R. P. CLAUDIO FRASSEN, Peronen-
si, Sacrae Facultatis Parisiensis Doctore &c.*

Parisiis, apud Petrum Witte, 1705, in 4.

Alph. 4 pl. 4.

IN Biblicis his super Pentateuchum Quæstionibus non ea Autoris mens & sententia est, ut in singulos Scripturæ textus prescius inquirat, eximia pietatis semina ex iisdem eliciat, aut ad speculationes mysticas controversiasque ad ingenia sacri belli classica canentium excogitatas istos detorqueat, sed ut obscuriores tantum libri cujusque textus pro virili illustret, loca in speciem pugnantia conciliet, graviores & Chronologicis tricis involutas controversias componat, & præcipua tandem sub literæ cortice latentia mysteria in lucem protrahat. Postquam enim idem hic *Frassenius* Biblicarum suarum Disquisitionum Tomum primum A. 1682, quo ipso anno ejus in Actis nostris p. 384 seqq. recensum dedimus, Parisiis jam tum evulgaverat, suarum duxit esse partium, ut relicto, in quo hæctenus hæserat, sacri tabernaculi vestibulo, intimum istius sacrarium propius tandem sibi sumeret perlustrandum. Id vero ut justo & legitimo fieret ordine, in Tomo hoc Disquisitionum secundo ita rem omnem digerit, ut digna notatu in sacro textu occurrentia sub distinctis & Titulis & Quæstionibus erudite discutiat. Nos prioribus & ulti-

p. 407

mis Geneseos Capitibus, ubi seges Quæstionum sic satis ampla & foecunda reperitur, missis, ex istis tantum, quæ de Titulo CXLVII rite instruendo, ultimisque Jacobi ad filios directis verbis Autor adnotat, pauca hic excerpemus. Cum enim, præter Judam & Josephum, nulli amplius pater moribundus benedixerit, Rubeni vero, Simeoni & Levi maledixisse, reliquisque futura solummodo annunciasse videatur, convenientius esse existimat, ut Jacobi Vaticinium potius, quam Benedictio, maxime cum יְרֵבֶנְיָא maledictionis quoque significatu quandoque gaudeat, Caput hoc inscribatur. Accurate præterea eum potissimum in finem singula hic expendit, ut mysteria in vaticiniorum verbis latentia clare magis ac perspicue evolvat. In medio ita paginae Rubenis nomine, quam methodum & circa reliqua observat, posito, & Lectore admonito, quod in sua ad filios adlocutione generationis & nativitatis ordinem Patriarcha ubivis fere negligat, in verba vaticinii plene ibidem expressa uberius demum inquirat. Exordium, ne plura ex Genesi cumulemus, sub examen dehinc revocans, ante omnia monet, quod centum & quadraginta quinque annorum res gestas liber iste in se contineat. Hi si cum annis 2369 in Genesi comprehensis rite componantur, in proclivi esse, quod a mundi creatione ad erectum usque tabernaculum anni 2514 defluerint. Plurima insuper & historica & aperta cum in secundo hoc Pentateuchi libro recitentur, in istis solummodo, quæ vel ad Theologicam rem spectare, vel ita reconditum & abstrusum habere videantur sensum, ut absque interpretis ore erui vix possit, exponendis p. 426 seq. occupatum se esse velle indigitat. In tertia, quæ Leviticus vocatur, operis Mosaiici parte, cum, ex Sorbonici Doctoris mente, facilem & obvium ibidem quoque cuncta fere ingerant sensum, titulis sive summis Capitum hic neglectis, sequentes quinque partes principaliiores, sacrorum puta Ministrorum, sive Levitarum, electionem & functionem; immunditiarum & ab istis purgationum ordines distinctos; ciborum delectum & multiplices tandem leges præceptaque varia, tam Moralia, quam Judicialia, perpendit. Legibus decem, quas Decalogus depingit, & ad quas aliæ innumeræ, velut rivuli ad fontes, referendæ p. 614 seqq. sunt, ordine propositis & declaratis, de Cerimonialibus Judæorum

rum

rum Fests, Neomeniorum scilicet, Paschatos, Pentecostes, Tubarum, Tabernaculorum, Scenopegiæ aliisque, de Judæorum item senatu Sanhedrin, ejusque præside, de judiciis & pœnis istorum capitalibus, quibus & judicia & pœnæ subjunguntur Ecclesiasticæ, multa lectu haud injucunda commemorat. Ad quartum, qui a numeris apud Græcos & Latinos nomen habet, Librum delatus, ibidem quoque plana quævis esse & aperta, paucis tantum, quæ sub rudi & simplici literæ cortice maxima foveant mysteria, exceptis, censet. Tribus interim partibus principalioribus, in quas istum dispescit, constitutis, Capitum singulorum summas & contenta, dubiis, si quæ moveri poterant, summotis, in subsequentiis explicat. Ad quintum eundemque ultimum Librum, qui ab Ebræis אֱלֹהֵי הַרְבֵּי־חַיִּים *Hæc sunt verba*, a Græcis δευτερος νόμος, *Secunda Lex* nuncupatur, tandem adnotat Autor, quod cum leges non paucae novæ ibidem proponantur, fusius & distinctius nonnullæ explicentur, variæ item rerum circumstantiæ in historia antea prætermissæ in theatrum producantur, pro simplici & nuda prius dictorum & actorum repetitione aut Synopsi liber ille haberi nequeat. Ceterum si per senium Autori integrum fuerit, in reliquos Sacræ Scripturæ Libros similes deinceps lucubrationes editurus est.

p. 658 seqq.

671

717

LETTRES DE G. DESNOUES &c.

i. e.

G. DESNOUES, ANATOM. ET CHIRUR. PROFESS. in Academia Bononiensi, ac Dn. GUGLIELMINI, Medicinæ & Mathemat. Profess. Pataviensis atque Societ. Reg. Scientiarum Parisiens. Membri, aliorumque Eruditorum Epistole de variis Inventis novis.

Romæ, apud Antonium Rossi, 1706, in 8.

Plagul. 16 Figur. tab. 3.

Fascisculus

Fasciculus hic sistitur Epistolarum, quas Dn. *Desnoues*, ex *Blegny Zodiaco Gallico* non ignotus, vel ad Dn. *Guglielmini* scripsit, vel ab hoc aliisque recepit, cum in Galliam rediturus, celebriores Italiae urbes inviseret, postquam apud Genuenses Anatomici & Chirurghi munere ab obitu Dn. *Lescot* per tredecim annos esset functus. Argumentum vero earum tum varia Inventa & præparata Anatomica, tum observata nonnulla circa Iuem Veneream, cum aliis curiosis, constituunt, ceu quorum communicationem Dn. *Guglielmini* per sex Literas responsorias, Dn. *Nanni* autem, Anatomiae Professor Bononiensis, per Epistolam unicam, reliquis præmissam, & Autoris receptionem in Academiam Bononiensem simul indicentem, a Nostro sollicitaverat. Missis tamen nunc canalibus, quos *Antonius Marchettis* vel ductus thoracici, vel lienis, tabulis agglutinatos Patavii demonstrare solet, ceu satis dubiis: misso itidem Magnete artificiali, quem *Joblot* Parisiensis ex longarum chalybis laminarum congerie parare dicitur, utpote ab hoc cum Observationibus suis Magneticis aliquando divulgando; Autoris inventa potius & præparata Anatomica propria recensere liceat, adeoque innuere, quomodo ille tam duo cadavera, foeminae novem menses gravidae alterum, alterum foetus contenti & ad egressum proni, præparare & vasa sanguifera universa, etiam capillaria, cera replere, atque conservare, quam Anatomiam artificialem invenire, partes solidas omnes cera exacte imitando, Genuae sustinuerit. In gravidae scilicet abdomine ad lineae albæ ductum inciso, primum singularem uteri deprehendit figuram, alia occasione accuratius describendam & figura exprimendam; præter miram quippe, longitudinem ejus ac latitudinem, media pars crassissima antèrius convexa, postèrius autem concava erat testiculis ad pedem a fundo uteri distantibus, qui in latere dextro intestinum colon, hepar & diaphragma in tantum elevaverat, ut pulmonibus vix ibi in thorace concederetur locus. Hinc pro ventriculo & intestinis mundandis aquam per coli extremitatem, e regione vulvæ perforatam, ut & per anum, curavit infundi; quemadmodum pro sanguine eluendo aquam per aortam nunc sursum, nunc deorsum, instrumenti *Bartholiano* non absimilis adju-
mento

mento iniecit, exitum aquæ per tubulum epistomio instructum & venæ cavæ prope cor adaptum concedens. Tum ad vasa exsiccanda ramulosque forte læsos detegendos aere impulso, eoque rursus per Antliam pneumaticam exantlato, arterias cunctas spiritu vini rectificatissimo, cinnabari subtilissima tincto, replevit, ut minimi etiam ramuli apparerent rubicundi, quasi cera rubra distenderentur; quippe quam liquefactam demum, ubi spiritus vini exhalasset & cadaver aquæ calidæ immersum esset, ope syringæ magnæ lati orificii, cum clave probe calefactæ, per aortæ tam ramos superiores, quam truncum inferiorem immisit. Pro venis autem viridi cera implendis, hanc propter valvulas seorsim in venas manuum & pedum, sinum longitudinalem, venam portæ, pulmonalem & coronariam cordis injicere habuit necesse. Nec in foetus, ex utero per vulnus inflictum, cum placenta extracti, vasis præparandis alium adhibuit modum, nisi quod arteriis cera replendis una injectio sufficeret. Quo utriusque vero cadaveris viscera, præter cerebrum, conservaret, spiritu vini, in quo aliquid mercurii sublimati dissolutum erat, eadem non modo abluit, sed & spiritum dictum in ventriculum & intestina iniecit, eorumque vasa innumera sanguifera, a pinguedine liberata, non minus quam nervos & musculos præparavit, omniaque sæpissime deterfa vernice succini, cujus præparandi, colorandi & usurpandi ratio additur, obduxit: licet propter musculorum & viscerum figuram naturalem & flexibilitatem servandam in usum quoque alias modo solutionem niri vel salis armoniaci, modo spiritum terebinthinæ & lavendulæ vel tincturas aromaticas, modo spiritum vini & mercurium sublimatum, consueverit vocare. Ast præterquam quod Autor parvas glandulas canaliculis excretoriis præditas & in duplici serie circa penis coronam dispositas, glandularum itidem thyroidearum ductus singulares adinvenerit, suo tempore cum aliis Observationibus Anatomicis communicandos, multum imprimis in Anatomia artificili perficienda, qua cunctæ partes solidæ, naturalibus per omnia similes, e cera exacte repræsentarentur, desudavit, opera ad id primum Abbatis cujusdam Siculi, Zumbo, deinde Francisci de la Croix usus, ceu qui Anato-

men mulieris gravidæ ab illo inceptam adeo feliciter perfec-
 rit, aliasque inceperit, ut experientissimi etiam Anatomici par-
 tes ejusmodi, ceris pictas, pro veris & naturalibus habuerint,
 atque vel Ruyschii præparatis anteposuerint. Hac occasione
 Abbatem dictum, Anatomix prorsus rudem & Parisiis postea
 mortuum, multæ iniquitatis arguit, quod varias partes pro se el-
 aboratas clam imitatus fuerit, ædesque suas relinquens inchoata
 haud absolverit, sed caput artefactum Societati Regiæ Parisiensi,
 tanquam Autor talis Anatomix artificialis, obtulerit, in Historia
 hujus Societatis A. 1701 a Dn. Fontenellio commemoratum.
 In luis Venereæ curatione duplicem sæpe committi errorem infi-
 gnem annotat, alterum ab ægrotis, vel morbum gallicum,
 quo non laborant, suspicantibus ejusque remedia generosiora
 postulantibus, vel e diverso, etiamsi morbo isto toti corrupti
 fuerint, eundem tamen nihili facientibus & in remediis levio-
 ribus atque palliatis acquiescentibus; alterum ab iis, qui di-
 ctæ luis medelam suscipiant, nec eam, nec remedia ejus satis
 cognoscant, sed ægros tales omnes una eademque tractent ra-
 tione. Ex multis autem observatis, in diversis cadaveribus a
 morbo Venereo jugulatorum factis, & cum aliis de lue ejusmo-
 di Observationibus aliquando edendis, non nisi foeminam quan-
 dam memorat, quæ alias formæ spectatissimæ de summa ce-
 phalalgia continua unice conquesta fuerit, mortua nihilomi-
 nus internas ani partes gangræna fere erosas, orificium uteri
 internum, (in quo seminis olim receptacula parva detexit, a
Blegny Zodiac. Gall. A. 3 p. 21 annotata,) ulcere obsessum, cra-
 nium cariosum & ossis tibiæ alterius exostofin, reliquis partibus
 salvis existentibus, spectanda præbuerit. Empyricorum tum men-
 tionem injiciens, arcana in lue Venerea aliisque morbis jactan-
 tium, lepidam historiam de Advocato quodam delirante, atque
 a similis furfuris homine primum tractato, recenset, eo magis
 mirandam, quod talis sanitati restitutus omnium, quæ delirii
 tempore locutus vel molitus fuit, exactam habuerit memoriam.
 Tandem quemadmodum Epistolæ octavæ Dn. *Bianchini* Relatio
 annectitur de igne, quem mons, *Pietra-mala* Italis vocatus, evo-
 mit, ita Epistola nona & ultima plura curiosa, v. g. de novis tele-

telescopiis inventis, de acidis a calumniis Recentiorum vindicatis, *Mistichelli*, Medici Romani, Epistolam ad *Autorem* de foetu quodam monstroso, de mirandis nonnullis terræ motus Aquilæ & Nursiæ observati effectibus, de novis in Auditus organo inventis, de facili columnam magnam erigendi & demittendi modo, a *Iosepho Campani* invento, Excerpta denique literarum, quas *Iohannes Borghesi*, Medicus, de Patriarchæ Antiocheni itinere cum variis curiosis Physicis & Anatomicis ad Paulum Manfredi, primarium Papæ Medicum, e Pondiscerio exaravit, Romæ impressarum, complectitur. Ex his singularem Nervi acustici tractum, in modum filamentum auris internæ cochleam & labyrinthum percurrentis atque ad cerebrum revertentis, quem ex industriâ *Simoncelli*, Anatomici & Chirurgi Collegii Universitatis Romanæ, libro de Auditus organo, quam primum in lucem emittendo, *Dominus Mastichelli*, Medicus, ad Nostrum perscripsit & depinxit, inuuisse & figuram huc transu-

TAB. VIII

Fig. 2.

Fig. 3.

lisse suffecerit. Digna quoque consideratu est figura altera, quæ repræsentat machinam *Campanianam* ingentibus columnis aut ponderibus quibusvis aliis erigendis & demittendis aptam, in qua A denotat columnam elevandam, B C trabem transversam cum 21 trochleis, D 20 trochleas alias, E axem cum rota dentata & cochlea perpetua. Nec possumus non adhuc monere, *Iosephum Campani*, qui ob insignem lentes telescopicas exactissime elaborandi artem jam ab anno 1664 famam maximam consecutus, affirmare, se novum reperisse artificium a tubi optici molimine telescopia liberandi, ab *Hugeniano*, A. 1684 p. 363 & seqq. nobis commemorato, prorsus diversum, tamque facile ac simplex, ut una persona omnem apparatus huc requisitum de loco in locum commode transferre queat, quantacunque sit lentium longitudo. Immo asseverat, se hujus artificii ope per telescopium 30 pedum ex distantia 15 milliarius Italicorum indicem horologii; ex distantia fere 18 milliarius Italicorum armarium in hypocausto radiis solaribus illustrato per telescopium 100 pedum distinctissime vidisse. Ast insignis hoc inventum non publicaturus est, nisi soluta a Principe quodam certa pecuniæ summa. Simile artificium sibi innotuif-

se jamdudum professus est Illustris Dn. *de Tschirnhausen* in Actis nostris A. 1699 p. 447. Optandum vero, ut uterque suum cum publico communicet, ne re utilissima diutius careamus: quo facto apparebit, quantum inter utrumque inventum discriminis intercedat.

*ARS NOVA AD AQUAM IGNIS ADMINICULO
efficacissime elevandam, Autore DIONYSIO PAPIN,
M. D. Matth. P. P. Marb. Consl. Hasfiaco ac
Regiæ Societ. Londin. Socio.*

Francofurti ad Moenum, 1707, in 8.

Const. plag. 6 & tab. æn. 1

EXhibuimus A. 1700 Mense Januario p. 29 & seq. machinam a *Thoma Savery* inventam, quæ aquam ope ignis attollit. Quare cum similem adinvenerit ingeniosissimus *Papinus*, quam *Saveriana* perfectiorem esse contendit, ut ejus quoque descriptionem Actis nostris inferamus, res ipsa postulare videtur. Eruemus eam ex libello de hac machina edito, insimul indicaturi, quænam præterea ab Autore pertractentur. Ecce tibi integram machinæ fabricam. AA est vesica cuprea, quam *Retortam* vocat Autor. Diameter ipsius in medio 20 digitorum & paulo plus, altitudo 26 dig. Includitur ea fornaci lateritio, cujus superficies externæ 30 dig. a se invicem distant, lateribus ab utraque parte 3 dig. spatium replentibus, & Retorta AA in medio posita, 2 dig. undiquaque a fornacis parietibus distante. Per tubum CC Retortæ afferruminatum aqua infunditur, qui tantæ longitudinis, ut crassitiem fornacis pervadat & nonnihil supra emicet, foramine tamen fornacis ibi probe obdurato, ne ignis illac erumpere possit. Vapores ex Retorta ascendentes per tubum recurvum BB in antliam DD deferuntur, pistillum FF depressuri & aquam infra stagnantem expulsuri. Ita vero construui debet fornax, ut tubi AB maxima pars in igne contineatur, epistomio E, per quod vaporibus erupturis via aperitur, fornaci quam proximo collocato

cato, ut vapores satis calidi in antliam DD deriventur, idcirco in minima possibili a fornace distantia firmandam. Relinquenda etiam est inter lateres & tubum unius digiti distantia, igni tamen nullo exitu concesso, nisi per exiguum foramen, cujus margines satis sunt alti, ut tubus AB ibi latens non impediatur, quo minus dictum foramen operculo imposito exacte obscurari possit. Antliæ DD ex cupro paratæ diameter est 20 dig. & pistillum FF, qui est cylindrus cavus ex metallo ubique exacte clauso, 15 digitorum altitudinem percurrit. Tubi II superius orificium L apertum est, inferius clausum, quo ferrum candens intromitti possit, quod in superiore antliæ parte suspensum vaporum in antliam irruentium calorem ac vim auget. Per axem cylindri is transit ipsiusque fundo & operculo exacte afferruminatur, ne aquam intret. Orificium ejus L, itemque tubus CC laminis metallicis accurate elaboratis exacte clauduntur, dum foraminibus impositæ vi ponderum appensorum & statim fortiter comprimantur. Tubus GG, per quem aqua in antliam defluit, tam amplus fit, ut in angustissima parte sit 7 digitorum. Orificium ejus G 6 dig. ultra epistomium *n* elevatur, ut per hoc vase, DD pleno, aqua effluat. Valvula in S posita aquæ in antliam DD transitum concedit, sed regressum impedit: sicuti valvula in T ascensum aquæ in vas NN permittit, sed regressum in antliam prohibet. Angustiori extremo tubi HH annectitur tubus MM, cujus maxima pars intra vas cylindricum NN continetur. Altitudo vasis 3 pedum, diameter 23 digitorum. Aqua, per tubum MM in vas NN propulsa, aerem in eo contentum coarctat & per epistomium XX ad apertum, cujus diameter est $2\frac{1}{4}$ dig. jugiter erumpit. Huic annectitur tubus, per quem aqua in locum commodum deducitur, unde quam efficacissime in rotam circumagendam impingere possit. In loco YY firmatur epistomium, quo aperto tota aqua inter valvulam T & epistomii orificium Y inclusa elabatur. Aere igitur in aquæ elabentis locum succedente, clauso rursus epistomio YY, prima machinæ operatio, aquam ex DD per HH impellens, aerem istum

necessario per tubum MM in vas NN intrudet. Iteratis hifce operationibus aer ad debitum condensationis gradum in vase NN pervenit. Denique per epistomium R, cui antlia adaptatur, aqua in Retortam AA vi intruditur sine operationum interruptione.

Descriptio hæc ex Cap. 1 & 2 maximam partem desumpta est, paucis, quæ de epistomiis Y & R dicta sunt, ex Cap. 8 petitis. Videamus igitur, quænam sint Capitulorum reliquorum argumenta. Tertio Capite de variis artibus tractat, quibus machinæ hujus efficacia adaugeri potest, ita, ut unus homo plus valeat, quam 500, immo mille alii iisdem destituti, augendo nimirum capacitatem vasis NN & DD atque calorem, quo Retorta AA undiquaque calefit. Cap. 4 *Saverii* machinam cum sua confert, & præstantias suæ recenset sequentes; quod scilicet sua Retorta in fornace prorsus lateat ac igne undiquaque ambiatur: quod, quia pistillum adhibetur, vapores in antliam irruentes aquæ frigidæ non allidant: quod antlia non per suctionem repleatur: quodque ferrum candens in antliam immissum extensionem vaporum augeat. Cap. 5 objectiones solvit, quæ contra usum machinæ expeditum fieri possunt, desumptas ab aqua per G semper infundenda & ferro candente, non sine molestiis immittendo. Etenim aquam non nisi in aliquo casu infundendam esse, alias fluentem eo derivari posse: molestias vero cautelis, quas enarrat, adhibitis tolli, immo præstantem satis consequi effectum, si vel maxime prorsus omitatur ferrum. Cap. 4 rationem exponit convenientissimam ad circummagendam molendini rotam machina hac utendi. Monet, rotam circummagendam in situ horizontali eidem axi affigi debere, qui motum circularemetæ seu lapidi molari impertitur. Diametri magnitudinem a velocitate aquæ pendere, & cum experientia confirmet, citra incendii periculum a lapide molari unum circuitum intra sesquialterum temporis secundum absolvi, eam machinæ partibus assignandam esse proportionem, qua fit, ut pars rotæ ab aqua percursa dimidiam aquæ habeat velocitatem, dum lapis molaris integrum circuitum intra secundum sesquialterum absolvit. Ex.gr. si ea fuerit aquæ
velocitas,

velocitas, quæ intra unum temporis secundum 55 pedes percurrit, radium rotæ fore 7 pedum. Cap. 7 varia exhibet comoda novæ molarum constructioni propria, quod scilicet nullas requirant rotas dentatas, ob dentium commissuras magnam virium jacturam causantes, quod aqua ab obliquitate ictus nihil fere de efficacia sua perdat, quodque ab obliquo alarum situ nullam jacturam patiat. Cap. 8 nonnulla notatu digna continet. Disquirat enim, quot molas machina superius descripta circumagere valeat, & demonstrat, unius ope quatuor istiusmodi molas, quæ motu Sequanæ agitantur, moveri posse; & fuse agit de epistomiis R & Y, de quibus jam supra dictum est. Denique Cap. 9 propositiones demonstrativas continet, ex quibus quantitatem effectus a machina ista sperandi accurate determinare licet.

NOVA THEORIA MOTUUM RECIPROCORUM MACHINÆ animalis, ex partium organicarum structura & proprietatibus, juxta æternas motuum leges, deducta, per CHRISTIANUM STROEM.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios, 1707, in 8.

Plagul. 6.

Quæ motuum reciprocorum machinæ animalis ab eodem Autore, per quem Ratiociniorum Mechanicorum in Medicina usus vindicatus fuit, in Actis nuper mense Majo p. 334 a nobis excerptus, hic sistitur Theoria, methodo Geometrica per Definitiones, Axiomata, Lemmata & Propositiones absolvitur. Motus enim reciprocus, cum motu pure mechanico, motu animali, corpore elastico, contractilitate & expansilitate, definitus, corporis cujusdam itus reditusque per eandem ultro citroque viam perhibetur. Axiomatum sex primum omni corpori, quod in contrariam determinationem nisi suo naturali movetur, causam etiam ejusdem motus contrariam causæ naturalis tendentiæ vindicat. Lemmata tria sicuti corpora elastica concernunt, ita eorum pariter primo corpora, quo vehementius extra locum quietis suæ deducuntur, eo validius resistere innuuntur, quia corporum elasticorum resistentiæ reciproce

ciproce semper proportionales sint viribus contranitentibus. Omnes porro in machina animali motus, ad vitam præcise spectantes, perennante eadem esse continuandos ac reciprocis itibus reditibusque perficiendos; cor autem unicum prædictorum motuum principium esse, nec aliud esse posse, in Propositione secunda & tertia, tam ratione, quam experientia, ostenditur. Et cum motus ventriculorum cordis motibus auricularum & arteriarum reciproci annotentur in Propositione quarta, Propositio quinta circa causam ostensorum in corde motuum ex organica cordis & arteriarum structura inveniendam, tanquam præcipuum, difficillimum licet, problema, occupatur. In reliquis denique Propositionibus quatuor, vel inspirationis & expirationis in respiratione alternatio, seu, quod idem est, costarum elevatio & depressio a causarum elevantium & deprimantium alternatim sublato & restituto æquilibrio, vel motus reciprocus diaphragmatis & musculorum abdominis ab æquilibrii alterna itidem destructione & restitutione, vel motus ventriculi omniumque in abdomine contentorum viscerum oscillatorius a diaphragmatis & musculorum abdominis reciprocatione, vel sinuum venosorum alterna contractio & expansio, partim ab arteriarum confinio, partim ab alterna evacuatione scite deducitur.

NOVA LITTERARIA.

Bernardum Montsaucon *Palæographiam Græcam, sive de ortu & progressu characterum Græcorum, & de variis omnium sæculorum scriptionis Græcæ generibus, additis figuris & schematibus*, Parisiis proxime prelo subjecturum, e litteris Amici accepimus. Nec ingratum forte Lectoribus futurum est, si brevem totius libri sciagraphiam hoc loco inseramus. Dividitur opus Libris sex, quorum primo, qui *de Instrumentis Græcorum ad scriptionem, de chartis, de libris, de amanuensibus & eorum notis* inscribitur, de atramento, & aliis liquoribus ad usum Græcorum, de picturis codicum ad rerum repræsentationem, de chryso-graphia, (ubi & de instrumentis arandi & scholiaste Hesiodi MSpto) de philyra, tilia, papyro Ægyptiaca, charta plumbea, tabel-
lis

lis ceratis, charta elephantina, coriacea, membranæ & de bombycinæ usu ac vetustate, de pugillaribus & de libris linteis, porro & de stylo, calamo & penna (qua occasione schemata S. Lucæ & Halicarnassæi scribentium ex antiquis exemplaribus deprompta exhibentur) de nominibus & forma librorum, sive interius, sive exterius spectata, de operimentis, scilicet quaternionibus, de columnis, de distinctionibus, de interpunctione, ac ejus ortu, & carptim de prosodia, de contactiis & diptychis, de Scribis etiam & Amanuensibus, de Calligraphis nimirum & Notariis, de Chrysographis variisque Calligraphorum ritibus & notis agitur. Unde porro in eodem Libro notæ ac nomina Calligraphorum a tertio sæculo ad decimum sextum adduntur, & de regionibus quoque ac locis, ubi Græca scriptio frequentata fuit, quædam adnotantur. Liber secundus, *de Origine literarum Græcarum & progressu earundem usque ad quintum a Christo nato sæculum* inscriptus, literarum Græcarum originem ex Phœnicibus derivat, & præter literarum priscam formam ac schemata marmorum Baudelotiani & Farnesiani, caractere Jonico veteri scriptorum, alphabetum ex marmore Grimano, alphabeta item ex nummis Antiochorum & Ptolemæorum, siglasque & monogrammata exhibet, ubi & de mutationibus, quæ primis Imperii Romani temporibus in Græcis literis factæ sunt, nec non de Abraxeis figuris & literis, de schematibus animalium Deitatumque Ægyptiarum, earumque commixtione cum Christianis mysteriis, quibus adduntur alphabeta Basilidianorum Græca, ut & inscriptiones Ancyranæ, quarum pars inedita, aliaque Græca ad Augustorum priora sæcula pertinentia. Libro tertio, *Exempla librorum antiquissimorum, unciali caractere quinto sextove sæculo scriptorum*, complexo, ubi de vetustissimis libris membraneis agit Auctor, in quibus characteres unciales alii quadri, alii rotundi sunt sine accentibus, specimina codicum, Colbertini, Regii, Cæsarei & Basiliani, producit, pariterque duorum codicum, Dioscoridis Cæsarei, qui sexto ineunte sæculo, curante Juliana Augusta, scriptus est cum figuris, & Neapolitani paris ætatis, nec non codicis Græci corticei Turonensis, sine accentibus & spiritibus scripti. In-

de ad codices septimi sæculi pergens purpureum Neapolitanum, cum accentibus, exemplum item codicis Colbertini, specimina exemplarium, Regii & Sangermanensis, & alphabetum Psalterii Murbacensis exhibet, ac denique noni quoque sæculi specimina Græca apud Latinos ex Psalterio Monasterii Sancti Michaelis in Lotharingia, quod Sedulii Scoti manu exaratum fuit, aliisque codicibus affert. *De Characteribus porro ligatis sive ductu calami conjunctis* Libro IV agens, formam scriptionis Græcæ noni ac decimi sæculi e codicibus, Florentino & Patavino, explicat, plurimaque decimi inprimis sæculi specimina a se invicem diversissima propinat, & de Cryptographia quoque Græcorum erudite differit. Denique in eodem Libro sæculorum, undecimi, duodecimi, decimi tertii & decimi quarti specimina notatu dignissima producit, quibus Libro quinto *Tabulas* omnium formarum Græcæ scriptionis, abbreviationum item, nominum priorum, aliarumque (qua occasione de sphalmatibus per abbreviationes in exemplaria edita investis agit) & monogrammata, demumque Libro sexto *Diplomata* quædam Græca, quæ Regnum Neapolitanum concernunt, subjungit. Accedit ultimo loco Descriptio montis Atho a Joanne Comneno Græco vulgari idiomate edita, & nunc Latine versa cum gemino montis prospectu in schemate delineato. Hæc fere Operis anecdoti contenta sunt, quod ut ipsum doctissimus Benedictinorum Montfauconius brevi emittat, boni publici causa optamus Ejusdem Autoris *Novam Collectionem Græcorum Patrum*, quam superiori anno duobus Voluminibus in folio, quod ajunt, vulgavit, proxime in Actis nostris exhibebimus. Prodiit & nuper Parisiis nova Dictionarii Moreriani editio, quam Angelus (le P. Ange) Exprovincialis Ordinis Discalceatorum D. Augustini centum quinquaginta articulis auxit, qui & passim opus supplevit, quanquam nulla ejus mentione facta, huic quoque editioni Valterii (Vautier) nomen sit præpositum. Vir celeberrimus, Ludovicus Ellies du Pin, absoluta nuper Bibliotheca Ecclesiastica, eaque ad Sæculi XVII finem deducta, quam tamen partem ut typis vulgaret, impetrare hæctenus non potuit, nunc in eo est, ut eodem modo edat Bi-

bliothecam Profanam, in qua scriptores historiae civilis producet. Novam etiam doctissimi Patres Benedictini Operum S. Irenaei editionem parant, in qua collatis non paucis Italicis Gallicisque MSptis, fragmenta plurima antea non visa producent, Dissertationes etiam de difficilioribus Irenaei locis & Notas subinde addituri. Ceterum aliquot viros eruditos Gallia luget, quos inter Paulus Pezron, Vir eruditissimus, superiori jam anno decessit; hoc ipso vero, die 11 Jan. Petrum Silvanum Regis, Philosophum egregium, die 27 Febr. Adrianum Baillet, Polyhistorum summum, & die 19 Aprilis Abbatem Gallois, insigne decus Academiae Scientiarum, mors sustulit. Quibus addunt Ludovicum Cousin, Curiae monetariae Praesidem, & Diarii Eruditorum per complures annos scriptorem, quem Bibliothecam octo millium voluminum una cum ingenti pecuniae summa, cujus census annui emendis libris impendentur, S. Victoris Bibliothecae legasse, testatur Autor novi *Diarii Europaei Historico-Litterarii*, cujus hoc anno *Trimestre I* Latino idiomate prodiit *Luxemburgi*, apud *Andream Chevalier*, in 8. Unde & discimus, Autores Diarii Parisiensis sub finem Januarii hujus Anni Supplementum quoddam (*le Supplement du Journal des Scavans*) edere coepisse, cum ipso Diario menstruatim deinceps continuandum.

Romae prodire nuper admodum *Commentarii Historico-Dogmatici in librum S. Augustini de Haeresibus ad Quodvultdeum*, digesti atque illustrati labore & studio Laurentii Cozza a S. Laurentio, Ord. Min. Pars prima, continens haereses XXII a Simone Mago usque ad Marcionem, adjecta ad calcem cujuscunque haeresis collatione cum Recentiorum Evangelicorum haeresibus. Romae, typis Georgii Plachi, 1707, in fol. nec non *Tractatus de Potestate Jurisdictionis seu de Regimine Animarum, ac de Jurisdictione contentiosa, & quomodo Praelatis inferioribus ex privilegio & prescriptione competere valeat*, Autore Carolo Antonio de Manentibus. Romae, apud Franciscum Gonzagam, 1707, in 4to, quo in libro inter alia auctor diserte asserit, Romano Pontifici Principes & Reges omnes non tantum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus subesse, eumque pro lubitu

illis bellum movere, eosdemque Regia dignitate privare posse. Meliora Medicorum Filii ex Italia proxime expectant. Prodiere enim Jo. Mariae Lancisii, Intimi Cubicularii & Archiatri Pontificii, de Subitaneis Mortibus Libri duo. Roma, typis Jo. Franc. Buagni, 1707, in 4: item Dominici Guilielmini, Philosophi & Medici Bononiensis, in Patavino Lyceo Medicae Theoricae Professoris Primarii, Exercitatio de Idearum vitiis, correctione, & usu ad statuendam & inquirendam Morborum naturam. Pat. apud Jos. Coronam, 1707, in 8. Inprimis vero multa nobis promittuntur de Jo. Baptista Morgagnio, Foroliviensi, quem Amicus quidam noster spectatissima indolis acerrimique ingenii juvenem & magnum decus Academiae Philosophicae, quae Bononiae in aedibus Comitis Aloysii Marsilii instituta est, vocat. Ejus *Adversaria Anatomica Bononia*, typis Ferdinandi Pisarri, 1706, in fol. prodiere. Praeterea nuntiavit nobis Illustris MAGLIABECHIUS, Romae Franciscum de Ficoroni opus de Antiquitate Romae per vetusta monumenta probata, ut & Observationes in Diarium Italicum Bernardi de Montfaucon proxime publicaturum. De nova C. Cornelii Taciti Operum editione, quam se parare, publica scheda significavit Natalis Feltrinus, Bibliopola Venetus, non attinet multa referre, cum editionem Parisiensem, a Gulielmo Pichon anno 1682 in usum Delphini quatuor tomis adornatam, unice sequi constituerit.

In Anglia publicam demum lucem adspexit Novum Testamentum, cui edendo per complures annos Johannes Millius S. T. P. insudavit. Titulus hic est: Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ *Novum Testamentum cum lectionibus variantibus MSS. Exemplarium, Versionum, Editionum, SS. Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum, & in easdem Notis. Accedunt Loca Scripturae parallela, aliaque ἐξηγητικά, & Appendix ad variantes lectiones. Premittitur Dissertatio, in qua de Libris N. Testamenti & Canonis constitutione agitur, historia S. Textus Novi Foederis ad nostra usque tempora deducitur, & quid in hac editione praestitum sit, explicatur.* Prodiit & Londini opus ingens, Scriptores historicos praecipuos, qui de rebus in Anglia usque ad tempora Wilhelmi III gestis scripserant, complexum, tribus Voll. in folio, cui edendo

edendo plures bibliopolæ sumtus suppeditarunt. Celeberrimus Bibliothecæ Bodlejanæ Præfectus, Jo. Hudson, jam in eo est, ut & tertium Geographorum veterum Tomum colligat, & Josephum, in quo tot viri eruditi frustra hætenus operam insumpserunt, quam emendatissimum demum producat. Humfredus Hody, quem superiori anno e vita excessisse accepimus, librum post se reliquit de *Progressu lingue Græcæ post captam Constantinopolin*, quem proxime proditurum, Amicorum litteris docemur.

Amstelædami Samuel Halma magnum illud Gruteri Inscriptionum opus multo auctius imprimit hoc titulo: *Inscriptiones antiquæ totius Orbis Romani, in absolutissimum corpus redactæ, olim auspiciis Josephi Scaligeri & Marci Velsæri, industria autem & diligentia Jani Gruteri, nunc curis secundis ejusdem Gruteri, & Notis Marquardi Gudii emendatæ, & tabulis aeneis a Boissardo confectis illustratæ: denuo cura Viri summi, Jo. Georgi Grævii, recensitæ. Accedit Adnotationum Appendix & Indices XXV emendati & locupletati, ut & Tironis Ciceronis Lib. & Senecæ Notæ.* Recudantur ibidem Ossati Cardinalis Epistolæ, plurimis notis denuo ab Ameloto auctæ, cujus alteram partem traductionis Operum Taciti in manibus Casparis Fritschii, Bibliopolæ Amstelædamensis, esse, mox in Belgio prælo subjiciendam, hac occasione monemus. Prodiit tandem Antverpiæ doctissimorum Virorum, Henschenii, Papebrochii, Baertii & Janningi, cura Tomus quartus de *Actis Sanctorum Junii*, postquam dimidia sui parte & amplius impressus propter suborta bella latuit per quinquennium. Hic tomus (utimur verbis in Synopsi nuperrime publicata expressis) diem vigesimam Junii & quatuor sequentes complexus, continet Acta Sanctorum nominatorum CLXI; Anonymorum, certo numero definitorum, ultra quinque millia; ad alios Tomos, vel jam excusos, vel deinceps excudendos relatorum CCXV; & aliorum XC omnino prætermisssorum, donec de publico & legitimo eorundem cultu constet. Inter reliqua eminent, quæ & seorsim impressa prodire, *Acta B. Aloysii Gonzagæ*, de quibus suo tempore dicemus.

Hamburgi sub prælo est dudum desideratum Vincentii Placcii opus posthumum de Anonymis & Pseudonymis, octies millena amplius scripta continens, quod spissum satis Volumen in forma folii conficiet. Miserat illud Auctor moribundus Viro Cl. Gerharo von Mastricht, Urbis Bremensis Syndico, qui ad opus hoc absolvendum Placcio auctor fuerat, & ut alii plures, symbolas multas contulerat. Is cum inde a morte Placcii, quæ in annum 1697 incidit, in Belgio & Germania typographum frustra quævisset, demum testamenti Placciani executoribus MSptum remisit, ut ipse testatur in erudita ad Virum Cl. Burcardum Gotthelf Struvium Epistola, quam hic secundæ editioni Introductionis suæ ad Notitiam Rei Litterariæ integram inseruit, pag. 163. Ergo demum imprimendum suscepit Godofredus Liebernüchel, nullis parsurus sumtibus, ut quam emendatissime omnia prodeant. Prolegomena, in quibus præter alia de Auctoris Vita & Scriptis aliis notatu digna tradentur, præmittet Vir summe Reverendus, Jo. Albertus Fabricius, qui idem nuper Tomum II seu Librum III Bibliothecæ Græcæ vulgavit & jam Tomum etiam III typographo tradere coepit. Præterea Henricus Wilhelmus Meyerus, typographus Lemgovienensis, edita Epistola, eruditis nuntiavit, se proxime Lemgovia editurum B. Christiani Donati, Professoris quondam Philosophi Vitembergenfis, Commentarium in Theologiam Positivam Jo. Friderici Kœnigii, sub tit. *Kœnigius illustratus*, quod opus non exiguæ molis futurum testatur, septem nimirum aut octo plus minus Alphabetis, quarti ordinis, constans. Dignissima quoque esset, quæ lucem adspiceret, *Jurisprudentia Gentium communis*, auctore celeberrimo quondam Viro, Davide Mevio, S. Regiæ Maj. Suec. a Secretis Consiliis & Vice. Præside summi Tribunalis Wismariensis, quem foetum Eruditis nequaquam invidebunt hæredes, quod publice hoc loco a nobis indicari voluerunt. Quanti autem usus hic liber sit futurus, vel e *Prodromo Jurisprudentiæ communis Gentium*, jam pridem ab Auctore vulgato, & deinde sub tit. *Nucleus Juris Naturæ & Gentium* recuso, unusquisque facile intelliget. Quin & Auctor jam tum anno 1656 in eleganti Epistola, ad Comitem Oxenstiernium data, uberi-

uberius institutum hoc explicavit, quod esset nimirum præcepta traditurus omnibus gentibus communia, e quibus justî & injusti definitiones atque differentias haurire adeoque ex immotali fundamento, inter omnes Gentes per commune quoddam vinculum obfirmato, certum de jure, ex quo omnia certa fieri debent, judicium & disciplinam efficere constituerit. Qua in re tentasse aliquid fatetur Seldenum, Hobbesium, Gerardum de Roo & Hugonem Grotium, qui tamen juris fontes non omnibus, verum aliquibus tantum materiis applicaverint. Tribus vero partibus Opus divisit, quarum prima de jure eorum, quæ habentur, secunda de iis, quæ debentur, tertia de juris prosequendi & defendendi mediis tanta cura egit, ut nihil ex omni jure prætermissum videatur: singula vero Capita hic recensere nostri instituti ratio non patitur. His hætenus loca, amplius mille e recentioribus Auctoribus inseruit Dn. de Engelbrechten, Mevii Gener, Consiliarius Status & Vice-Director Judiciorum Suecicorum in Bremensi & Verdensi ditio- ne, quocum Stadæ de editione libri utilissimi conferre poterunt, qui ejus imprimendi curam in se suscipere velint. Ceterum vel publica fama innotuisse hætenus Eruditis putamus, quantam sub initium hujus anni jacturam passi simus, Viro celeberrimo, L. Ottone Menckenio, Moraliùm in Academia Lipsiensi Professore, die 29 Januarii paralyti e medio sublato, quippe qui in ordinandis publicandisque his Eruditorum Actis inde a primis initiis indefessam operam posuit, atque integros tomos triginta vidit absolutos. Uti vero alia forte occasione de ejus vita paulo uberius dicemus, ita certiores interim Lectores facimus, nos in instituto hoc, more nostro, quem hætenus erudito Orbi non displicuisse cognovimus, deinceps strenue perrecturos.

 LIBRI NOVI.

Strabonis Rerum Geographicarum Libri XVII. Accedunt huic editioni, ad Casaubonianam III expressæ, Notæ integræ
G. Xy-

G. Xylandri, Is. Casauboni, F. Morellii, Jac. Palmerii, selectæ vero ex scriptis P. Merulæ, I. Meursii, Ph. Cluverii, L. Holstenii, Cl. Salmasii, S. Bocharti, Is. Vosii, E. Spanhemii, Ch. Cellarii, aliorumque. Subjiciuntur Chrestomathiæ Græc. & Lat. Amstel. apud Jo. Wolters, 1707, fol.

Onomasticon Urbium & Locorum S. Scripturæ : seu, Liber de Locis Hebraicis, Græce primum ab Eusebio Cæsareensi, deinde Latine scriptus ab Hieronymo, opera Jacobi Bonfrerii. Recensuit & animadversionibus suis auxit Joannes Clericus. Accessit huic editioni Brocardi Monachi Descriptio Terræ Sanctæ. Amstel. apud Franc. Halma, 1707, fol.

Le Pitture Antiche delle Grotte di Roma, e del sepolcro de' Nasoni, disegnate da Pietro Santi Bartoli e Francesco Bartoli, descritte & illustrate da Gio. Pietro Bellori e Michelangelo Causei dela Chaussée. In Roma, 1706, fol.

Della Eloquenza Italiana, Ragionamento di Giusto Fontanini, steso in una Lettera all Ill. Sig. Marchese Giangiuseppe Orsi, aggiuntovi un Catalogo delle opere piu eccellenti, che sono scritte in Lingua Italiana. In Roma, per Fr. Gonzaga, 1706, 4.

Lettere de diversi Autori in proposito delle Considerazioni del Marchese Giovan Gioseffo Orsi sopra il famoso Libro Franzese intitolato : *La Maniere de bien penser*. In Bologna, per Constantino Pisarri, 1707, 8.

Eere van de Nationale Synode van Dordregt. Tweede Deel. Door Jacobus Leydekker. t' Amsterdam by Isaak Stokmans. 1707, 4.

Guilielmi Rabi, Jurisconsulti, Carminum Liber primus. Roter. apud Jo. Hofhout, 1707, 8.

Fables nouvelles, par L. S. de Ruisseau. A la Haye, chez la Veuve d' Abr. Troyel, 1707, 8.

Odes de Mr. de la Motte avec un Discours sur la Poésie en general, & sur l' Ode en particulier. A Amst. chez L. Renard. 1707, 12.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M DCC VII.

*STRABONIS RERUM GEOGRAPHICARUM
Libri XVII, cum notis integris & selectis virorum do-
ctorum, cura THEODORI JANSSONII ab
ALMELOVEEN.*

Amstelædami, apud Joann. Wolters, 1707, fol.

Alph. 16.

Strabonis editiones omnes, Aldinam A. 1516, Marci Hopperi Basileensem A. 1549, Basileensem item Gul. Xylandri A. 1571, luculenta eaque iterata obfuscaverat, editio Is. Casauboni, cujus prioribus curis Paris. 1587, posterioribus post fata ejus, loco eodem, A. 1620, una cum observationibus Fed. Morelli, lucem Strabo adspexerat. Qua etiam editione in illa MSS. Codicum ejus auctoris raritate, aliorumque ad eum ornandum spectantium subsidiorum defectu, contenti fuere hucusque eruditi, fuissentque ulterius; ejus tamen etiam caritas novæ editionis adornandæ Bibliopolæ Amstelædamensi non incelebri animum injecit. Qui cum ei operi perficendo adiutorem Clarissimum Janssonium, aliis meritis Reipublicæ litterariæ satis commendatum, sibi adscivisset, illius auctoritate effectum est, ut textus Strabonis juxta cum versione exactissime juxta ultimam Casauboni editionem repræsentaretur, chartæ typorumque nitore non contemnendo, in reliquis nulla alia mutatione admissa, nisi ubi, operarum forte typographicarum vitio, verba quædam vel omissa vel in deterius mutata ex Aldi Hopperique editionibus deprehenderentur; quæ vel ipsi textui restituta, vel loco inferiore subjuncta fuerunt. Eodem loco majore Lectorum commoditate integræ

conspiciuntur G. Xylandri, Is. Casauboni, F. Morelli & Jac. Palmerii ad Strabonem notæ, quibus admista legitur haut exigua observationum, ex scriptis omnis generis Virorum doctorum collectarum, quæ illustrando quidem Straboni inservire queant, farrago: P. Merulæ imprimis, J. Meursii, Ph. Cluverii, L. Holstenii, Cl. Salmasii, S. Bocharti, Is. Vossii, Ez. Spanhemii, & C. Cellarii, nuper eheu nostri. Id imprimis opera etiam data est, ut loca Veterum, a Casaubono ex minus probatæ fidei exemplaribus repræsentata, emendata magis ex editionibus præstantioribus sisterentur, librorum capitibus, paginis, ut facilius inveniri possent, etiam additis. In fine Operis *Chrestomathie* Strabonianæ subjiciuntur, prout in Geographis antiquis Oxonii nuper fuere excusæ, quam ob causam & H. Dodwelli de iisdem dissertatio inter cetera Prolegomena recusa comparet. Cuius porro libro ejus præmittitur argumentum, & ad calcem Græcæ ὑποθέσεις, perinde ac factum in editione Casauboni, subjiciuntur. Indices quoque iidem plane, qui in Casauboniana, ita, ut ne paginis quidem indicatis, quibus reperire sit autores Straboni allegatos, hic aliquid fuerit innovatum.

COLLECTIO NOVA PATRUM ET SCRIPTORUM Græcorum, EUSEBII CÆSARIENSIS, ATHANASII, & COSMÆ ÆGYPTII, in duos Tomos distributa & adornata a D. BERNARDO DE MONTFAUCON, Presbytero & Monacho Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Parisiis, apud Claudium Rigaud, 1707, in fol.

Constat Tomus I Alph. 9, Tomus II Alph. 8.

GLoriam, quam in Editione Athanasii Parisiensi ultima cum Presbyteris & Monachis e suo Ordine aliis communem habuit, solus nunc tuetur eruditissimus Montfauconius, quando Triumvirorum sanctitatis & doctrinæ laude celeberrimorum opera, in tenebris quasi hætenus sepulta, primus ex Manuscriptis Codicibus Græcis, Italicis Gallicanisque eruit, Latine

vertit, Notisque & Præfationibus, istarum plurimas complexis, illustravit.

Agmen ducit *EUSEBIUS CÆSARIENSIS*, cujus *in Psalmos Commentarii* Tomum primum integrum constituunt. Hos Eusebius quidem ipse in scriptis suis aliis nusquam allegavit, laudavit tamen eos Hieronymus, ac meminere eorundem Theodoretus & Gelasius. Hieronymus versionem eorum Latinam Eusebio Vercellensi tribuit, verum ista interpretatio jamdiu interiit, unde ejus diligentiam ut æmularetur Noster, opus habuit. Ante omnia vero hic Græcum textum, e variis codicibus manuscriptis nulla sui parte mutilum ut exhiberet, studuit, inque Præfatione de variis ad hoc opus atinentibus erudite disseruit. Esse hos Eusebii Commentarios e stylo probat, quem adhibitæ in Demonstratione imprimis Evangelica dicendi rationi ait apparere quam simillimum, cumque Autor Maximini in Christianos carnificinam ut oculatus testis memoret, & hoc indicio Eusebium prodi autumat. Tempus consignationis ad annum circiter 327 referendum judicat. Doctrinam in hoc Commentario obviam nævis suis haud carere fatetur, & sententiam præ cæteris, quam de Filio Dei foverit Eusebius, examinat, ægre hanc defendi posse statuens, cum & ex hoc ipso opere dispalescat, quod Arianum ille nunquam non se gesserit. Addit alia, in quibus vel a fide aberrare, vel explicatione ulteriori opus habere videatur, nec miscellanea quædam in his Commentariis observanda, ac idiotismos & singularem quarundam vocum significatum notare omittit. Interpretandi rationem heic adhibitam hoc fere modo delineat: observationes criticas egregiæ notæ esse dicit, cum præter ea, quæ in Præfationibus afferuntur, non spernenda sane, multa expositionibus suis de ordine & de autore cujusque Psalmi subinde præmittat, quæ judicium peritiamque scriptoris arguant, & in quibus prolixius, sed sine aliquo Lectoris tædio fastidiove, Eusebius versetur. Literalem Psalmorum mentem ubi explicet, genuinum plerumque sensum eum perhibet attingere, neque ita frequenter aberrare a scopo & a vera Psaltis sententia. Adfuisse enim opimam illam Hexaplo-

rum supellectilem, unde & Hebraicam lectionem & veterum Interpretum versionem mutuari potuerit. Neque sane, ut ex his Commentariis deprehendere liceat, Hebraice peritum fuisse Eusebium, siquidem de Hebraica lectione ut plurimum non adeo docte edisserat, utpote qui Hebraica Græcis literis expressa, qualia in Hexaplis erant, tantum legerit, & si quid de vocibus & literis Hebraicis hinc inde tradat, id ex Hebræis mutuatus fuerit, quanquam Doctoribus his aliisque nimis interdum credulus deprehendatur, ut quando ad locum Psaltis: *ex utero ante Luciferum genui te*, ubi Hebraicus textus vocem habeat מרחם, opinionem alicujus ut probabilem hanc laudet, quod heic Maria indicetur, cum tamen inter מרים & מרחם vel tyronibus manifesta appareat differentia. Mystagogicam explanandi viam, qua ad Christi personam & Ecclesiam, fidelem item animam, ac cœlestem demum Sionem, omnia reducuntur, Eusebium admodum frequentasse, ac de cætero Origenis expositiones haud obscure sectatum fuisse docet, prout & antiquis Interpretibus vel aliis persæpe utatur, ac multo plura ex Aquila, Theodotione & Symmacho afferat, quam vel in Drusii vel in Nobilii collectionibus reperiantur, ita, ut ejus adminiculo non raro Psalmos integros, ex Symmachi maxime versione, restaurare liceat.

Secundo Tomo auspicia dant novendecim *S. ATHANASII* opuscula, spuria partim, partim genuina, & singula quidem hæcenus ἀνέκδοτα. Sunt vero illa hæc: *De Legatione Ecclesie Ancyranæ ad Athanasium pro causa Marcelli. Sermo major de fide*, opus a Theodoro laudatum, quo egregia contra Arianos aliosque Athanasiani ævi hæreticos disceptatio continetur. Fragmentum *de Paulo Samosateno*, in quo ostendit Athanasius, Paulum Zenobii patrocini nixum fuisse, dum errores spargeret; sed nihil ipsi profuisse ejus patrocini, nec obstitisse, quo minus is ab Episcopis in Synodo coactis damnaretur. Fragmentum *de Stephano Antiocheno*, pars historiae cujusdam ab Athanasio conscriptæ, ubi de conspiratione Stephani in Legatos Synodi Sardicensis, Euphratem & Vincentium, structa, quam in historia ad Monachos carptim ille tetigerat, pluri-

pluribus agitur. *Epistola ad Monachos*, quæ, licet brevissima sit, pulcherrimas tamen de Arianorum consortio declinando præceptiones offert. *Commentaria, sive Sermones in Matthæum*, quorum pars jam olim quidem edita prostat, sed ita, ut sæpius ab initio inque medio & fine mutilatio deprehendatur, quæ jam penitus sublata est. *Commentaria in Lucam*, de quibus idem monendum ait Autor, quod ante de Commentariis in Matthæum dictum fuerit. *Homilia in Canticum Canticorum*, quæ in Codice Bibliothecæ Ambrosianæ Athanasio tribuitur. Sed otiosi & imperiti hominis opusculum eandem vocat Noster, eo tempore fortassis editum, quo Manichæi in Oriente turbas dederint, (quod præsertim octavo, nono atque decimo seculo contigerit,) quandoquidem scriptor iste Manichæos, ut tunc vigentes, commemoret. *Sermo de Patientia*, quem postremæ Arianorum carnificinæ sub Constantio excitatæ imaginem præferre dicit. *Homilia in Ramos Palmarum*, parem cum Epistolis festalibus, de quibus infra, consonantiam exhibens. *Opusculum in dictum Apostoli: Novi hominem raptum usque ad tertium cælum*; quod ex vitiato linguæ Græcæ usu inter spuria ablegatur. *Opusculum in dictum Apostoli aliud: datus est mihi stimulus carnis*, quod pari *νοθείας* vitio laborare dicitur. *Argumentum in Psalmos, & supplementa in Psalmos*, in quibus ea, quæ in Athanasio Benedictinorum edito deerant, nunc suppleantur. *Fragmentum contra Macedonianos*, ideo inter alia observandum, quod, cum in iis, quæ antea prodierunt, operibus Pneumatomachorum hæresin tacito semper Macedonii & Macedonianorum nomine Athanasius refellit, heic nominatim illos perstringit. *Fragmenta contra Novatianos*, ἀποσπασμάτια insignis cujusdam contra eosdem hæreticos operis. *Fragmentum de amuletis sive prestigiis*, in quo contra eos, qui instante morbo ad striges seu vetulas confugiebant, agitur, veneficarumque hujusmodi usus & consuetudo paucis depingitur. *Fragmenta alia, variis ex locis excerpta, & varii argumenti themata pertractantia. Brevis denique expositio fidei*, cujus omnia dicta ad repudiandam Arianorum & Pneumatomachorum hæresin concinnata sunt.

Opusculis Athanasianis antea recensitis Animadversiones præmittuntur in vitam & scripta S. Athanasii, in quibus præter alia asseritur: Athanasium a Martyribus fuisse institutum: egisse eum Asceticam aliquandiu vitam, idque sub Antonii disciplina: Libros Athanasii contra gentes & de incarnatione ante A. 319 fuisse publicatos: *Θέαν νεωτέραν* esse Cleopatram: historiam mulierculæ, quæ Athanasium in Synodo Tyria illati sibi stupri insinulaverit, suspectam omnino videri: *πυκνία τῶν Θεῶν γραφῶν*, quæ Constanti Augusto Athanasius miserit, cum Synopsi Scripturæ Sacræ, quæ ab ipso adornata (sed minus recte) dicatur, haud coincidere: Liberii contra Athanasium epistolam haud esse germanam: nec esse Athanasii Epistolam, quæ vocatur Catholica; ut alias ejusmodi animadversiones taceamus, in quibus plerumque res ipsi est cum Tillemontio, sententiam Benedictinorum non semel oppugnante.

Sed adhuc ante, quam opuscula Athanasii ipsa recensentur, Diatriba Collectoris legitur, *de causa Marcelli Ancyranæ*, in qua, post brevem de Marcelli vita narrationem, summam doctrinæ Marcellianæ fuisse refert: unum ab æterno Deum existere, cujus *λόγος*, seu ratio aut verbum pariter æternum unum sit cum Deo ipso *ὁσία καὶ ὑπόστασις*, ita, ut nulla sit inter utrumque distinctio, esseque verbum silens, internum sive *ἐνδιάθετον*. Spiritum item Sanctum in Deo ab æterno fuisse, nulla similiter, nisi nominis & rationis, distinctione. Cum autem Deus operetur & loquatur, tunc verbum, ceu quandam emissionem, extensionem, & dilationem deitatis prodire, & post gestum opus ad Deum reverti, & in pristina conditione manere. Pariter emissum fuisse verbum, ut carnem assumeret, tuncque Filium Dei effectum esse, Regem item, Christum, imaginem Dei invisibilis, & primogenitum omnis creaturæ, cum antea nihil eorum fuisset, ac post judicium hæc omnia amissurum, atque, uti prius, unum cum Patre futurum. Ut autem verbum sit extensio & dilatatio Dei, sic & Spiritum Sanctum talem esse, pariterque a Deo emitti ac ad Deum reverti. Hanc sententiam publicis in scriptis aut confessionibus a Mar-

cello

cello fuisse propositam inficiatur Noster, qua tamen occasione suspectus ille redditus fuerit Athanasio, quique Legationis ad Athanasium scopus atque exitus fuerit, prolixè enarrat.

Athanasio ad latus jungitur *COSMAS, INDICOPLEUSTES* ab Indica navigatione dictus, Monachus Ægyptius, cujus duodecim libri exhibentur sub titulo *Topographiæ Christianæ*, in qua Christianorum de mundo refertur opinio, quam sic repræsentavit Cosmas: Mundum planum arbitratur, ac terræ superficiem quadram & oblongam, ita, ut longitudo ejus ab Oriente ad Occidentem duplo major latitudine sit: quæ latitudo a Septentrione ad Meridiem extendatur. Hunc vero mundum parallelogrammum muris claudi pugnat, murosque a parte orientali & occidentali, ab imo ad fastigium rectos in semicirculum desinere; a parte vero septentrionali & meridionali erectos item muros esse putat, donec ad semicirculum pertingant, tum enim convolvi muros ait, ut oblongam cameram in fornicis modum fastigiatam efficiant. Firmamentum porro, ceu lacunar quoddam, ubi muri convolvi & in semicirculum deflecti incipiunt, extendi arbitratur, ac locum supremum beatorumque sedes a loco inferiori determinare. Solem vero Lunam & stellas sub firmamento esse opinatur. Utque noctium, dierum & eclipsium rationem explicet, ad extrema Septentrionis montem altissimum esse comminiscitur, & circa montem Solem, Lunam & astra cursum peragere, ita ut, cum Sol adversam nobis montis partem respicit, tum nobis appareat, diesque sit; cum autem pone montem cursum peragit, tum noctem efficiat. Lunæ vero eclipses tum fieri putat, cum mons Solem inter & Lunam interponitur: cumque mons ille a cacumine hemisphærium referat, hinc effici, ut umbra, quam in Luna conspiciamus, in semicirculum desinat. Hæc ita in summam coegit Montfauconius, atque in Præfatione ad hoc opus varia ibidem obvia alia curiosius excussit. Cum in decimo Cosmæ libro ex Athanasii *Epistolis Festalibus* excerpta quædam afferantur, de iisdem peculiariter differit, scriptasque illas affirmat & missas ad populum Alexandrinum, cum Athanasius in deserto latens, metu Constantii, ageret. Easdem & a quibusdam *Paschales* vocari, quia

quia in diebus maxime Paschalibus populo recitatae fuerint, quanquam hoc nomine & illae, quae per Quadragesimam lectae, insigniantur.

Claudit rivos, qui Collectioni huic dederat primordia, *EUSEBIUS CAESARIENSIS*, cujus *Commentarii in Jesaiam* (Hesaiam scribit semper Montfauconius, vocem Graecam ἠσαίας sequi se causatus,) in postrema hujusce Tomi parte in lucem procedunt, non in sexdecim modo Prophetæ illius capita, quae codex Ebroicensis, olim Cardinalis Perronii, contineat, sed in Prophetiam potius integram, cujus Veteres, & Hieronymus cum primis, dudum mentionem fecerint. Interpretandi ratione heic Eusebium eadem, qua in Psalmis exponendis, uti: parce ac sobrie de Filio Dei in his Commentariis loqui: frequentius contra atheos & genethliacos agere: Apostolos quatuordecim numerare docet, variaque e textu ipso alia allegat & expendit. Singulare vocat, quod Eusebius testetur de iis, qui ex gentilibus ad fidem conversi ad martyrium accesserint; quod scilicet propriis depositis nominibus priscorum Patriarcharum & Prophetarum vocabula ad necem pro Christo subeundam accedentes usurparint.

*D. THOMÆ ITTIGII DE BIBLIOTHECIS
& Catenis Patrum variisque veterum Scriptorum Ecclesiasticorum Collectionibus Tractatus.*

Lipsiæ, apud hæredes Frid. Lanckisii, 1707, 8.

Alphab. 3.

Liber hic, utut mole sit exiguus, ingentes tamen continet divitias, quas in eundem Magnificus Autor congeffit ex instructissima Bibliotheca sua, non illa solum, quam in Museo asservat, sed quam maxime etiam ex altera, quam in vastissima memoria reconditam tenet. Obvios etenim heic libros plurimos Lectores deprehendent, quorum notitia haud cuivis facile patet. *Bibliothecas & Catenas Patrum* innuimus, e quibus istæ integros Patrum libros & tractatus minores complectuntur, in his vero non integra Patrum Scripta, sed libri Biblici
variorum

variorum Patrum sententiis centonis instar confutis illustrati exhibentur. Placuit utrasque eo enarrare ordine, quem locorum, ubi impressæ fuerunt, suppeditat diversitas. Initium fit a Bibliothecis Patrum *Basileensibus*. Basileæ enim prima omnium prodiit A. 1528, ejusmodi Bibliotheca, collectore Jo. Sichoardo, qui ei titulum dedit *Antidoti contra diversas omnium fere Seculorum hæreses*. Excepit istam ibidem A. 1550 Henrici Petri *Μικροπρεσβυτικὸν*, & A. 1555 sub *Orthodoxographorum* nomine novam Patrum Bibliothecam septuaginta sex Scriptorum monumenta complexam edidit Basilius Johannes Heroldus, qui istis A. 1556 *Hæreseologiam*, seu opus Græcorum atque Latinorum Theologorum scripta ad grassantes hæreses confutandas facientia addidit. A. 1569 in eadem urbe Jo. Jacobus Grynæus *Monumenta Sanctorum Patrum orthodoxographa* vulgavit. Quibus singulis tandem ab Autore nostro *Collectio Poetarum Christianorum veterum*, a Georgio Fabricio curata, adjungitur. Sectio secunda pergit a Basileensibus ad *Tigurinas* Patrum Bibliothecas, & eas quidem a Josia Simlero & Conrado Gesnero accuratas; quibus, cum pauciores sint, mox absolutis, de *Parisiensibus* majori cum apparatu Autor Summe Reverendus differit. Duplex heic ante omnia memoratur Bibliotheca Patrum, a *Margarini de la Bigne* industria profecta, quarum prima singularem insuper nacta fuit ejusdem cura *Appendicem*; quin & tertia accessit Editio, *Auctario* duobus Tomis constante locupletata. Quarta quæ vocatur, *Parisiensis Patrum Bibliotheca Auctarium* nacta est Græco-Latinum, quod Frontonis Ducæi studio imprimis debetur, prout aliud mere *Latinum* Ægidius Morellius superaddidit. Post hæc auctaria Bibliotheca Patrum Parisiensis A. 1644 in septendecim Tomos excrevit. Neque tamen defuit Francisco Combesio occasio, *Auctarium* illius *novum*, aliudque, *novissimum* ab ipso dictum, utrumque in duos Tomos distributum, evulgandi. Nec jam Collectionum Parisiis impressarum finis est; allegantur enim insuper velut huc spectantia, quorum sola adduxisse nomina sufficiat, monumenta hæc: Lucae Dacherii *Spicilegium*; Theophili Raynaudi *Heptas Presulum*; e Jacobi Sirmondi Operibus *primus, secundus,*

cundus, tertius & quintus Tomus; Jacobi Hommey *Supplementum Patrum*; Jo. Mabillonii *Vetera Analec̃ta*; ejusdemque & Michaelis Germain *Museum Italicum*: Steph. Baluzii *Miscellanea*; Phil. Labbei *Bibliotheca nova MS̃torum*; Petri Possini *The-saurus asceticus*; Claudii de Chantelou *Bibliotheca Patrum ascetica*; Francisci Combesii *Bibliotheca Patrum Concionatoria*; Martini Marrier & Andreae Quercetani *Bibliotheca Cluniacensis*; Gilberti Mauguini *Veterum Autorum, qui nono Seculo de prede- stinatione & gratia scripserunt, Opera & Fragmenta*; Jo. Baptistæ Cotelerii *Ecclesie Græcæ Monumenta*; Monachorum Benedicti- norum e Congregatione S. Mauri *Analec̃ta Sacra*; Francisci Combesii *Manipulus Originum Constantinopolitanarum*; Petri Pithœi *Veterum aliquot Gallie Theologorum Scripta*; *Palladius de vita Chrysofomi, cum aliis Scriptoribus Græcis Græcè & Latine edi- tus* ab Emerico Bigotio; *Justinus Martyr, cum aliis quibusdam Græcis Scriptoribus* a Typographis Parisiensibus editus; Francisci Combesii *Amphilochius, Methodius & Andreas Cretensis*; Phi- lippi Priorii *Cyprianus, Minutius Felix, Arnobius Afer & Julius Firmicus Maternus*, junctim editi. Inter *Colonienses Patrum Bi- bliothecas* illa eminent, quæ *Magna* vocatur, & quatuordecim Tomis A. 1618 vulgatis constat, in quam studium operamque contulerunt Theologi Colonienses, quos inter præcipuæ partes fuisse dicuntur Alardi Wyelii, Theologiæ Licentiati & Professo- ris, qui Præfationem his quatuordecim Tomis præmisit. Acces- sit vero Tomus decimus quintus A. 1622, in quo compilando in- primis Andreas Schottus laboravit. Magno vero isti operi ali- quot heic adduntur minora, utpote: Suffridi Petri *Autores ve- teres, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis egerunt*; *Catena Græcorum Patrum in Pentateuchum*, interprete Franc. Zephyro; nec non *in Cantica Veteris & Novi Testamenti*, interprete Antonio Ca- rraffa; Leonis Allatii *Σύμμικτα*, tandemque *Veteres Scriptores, qui de divinis officiis egerunt*, collecti per Hittorpium. *Lugdunenses* dehinc sequuntur Patrum Bibliothecæ, interq; has omnes alias amplitudine sua antecellens illa, quæ vocatur *Maxima*, in Tomos XXVII distributa. Sed nec omittuntur, quæ itidem Lugduni prodierunt, sequentes: *Patrum Lirinensium Scripta* colle-

collecta a Vincentio Barrali; *Bibliotheca Homiliarum & Sermonum priscorum Ecclesie Patrum in Dominicas & Festa; Homilie Doctorum Ecclesiasticorum in Evangelia Dominicalia & temporanea*, quæ jussu Caroli M. per Alcuinum in unum Codicem redactæ perhibentur; *Opuscula quedam Patrum* a Thoma Galleto collecta; Aloysii Lippomanni *Catena Patrum in Genesin & Exodum*, & Pauli Comitoli *in Jobum*, cujus postremæ collector in Catalogo Heinsiano per errorem nominatur Paulus cum Deo. Bibliothecæ Patrum *Lugduno-Batavæ* seu *Leidenses* sunt: Joh. Meursii *Variorum Divinorum Liber unus*; Stephani le Moyne *Varia Sacra*; & Casimiri Oudini *Veterum aliquot Gallie & Belgii Scriptorum Opuscula sacra* nunquam edita. *Ingolstadii* sub *Antiquarum Læctionum* titulo Bibliothecam veterum Scriptorum edidit Henricus Canisius, quem imitatus Petrus Stevartius *insignium Auctorum Græcorum atque Latinorum Tomum* singularem concinnavit; nec prætereundos Ittigius existimat. Jacobi Gretseri libros *de Cruce*, cum in secundo Tomo editionis Ingolstadianæ A. 1600 variæ Patrum Scriptorumque Homiliæ, Epistolæ & Relationes de Cruce contineantur, prout & idem Gretserus *Lucam Tudensem contra Albigenses*, & duplicem *triadem Scriptorum contra Waldenses* edidisse dicitur. Huc referuntur Theodori Peltani *septendecim Homilie Græcorum Patrum Latine redditæ*: *Simeonis Junioris Opera una cum pluribus aliorum Veterum Monumentis*, Latine versa & notis illustrata a Jacobo Pontano; *Veterum Monumenta contra Schismaticos* edita a Sebastiano Tengnagelio; *Epistolæ quedam Pontificum ad Reges quosdam Francorum*, in unum volumen collectæ a Jacobo Gretsero, qui & *Epistolas Pontificum quorundam ad Petrum Cnapheum, una cum Gregorii Acindyni libris duobus de essentia & operatione DEI*, Ingolstadiensibus typis fecit imprimi, tandemque *Victoris Tunuensis Chronicon, cum aliis veterum Scriptorum monumentis* ab Henrico Canisio editum, sub calcem hujus Sectionis allegatur. Bibliothecæ Patrum *Antverpienses* enumerantur hæ: *Homilie quatuor Sanctorum Patrum*, interprete Petro Pantino, ejusdemque *variorum Patrum Græcorum Homilie*; *Catena Græcorum Patrum in Proverbia Salomonis, cum Gregorii Thaumaturgi Metaphrasi in Ec-*

clesiaften, & Michaelis Pselli in Canticum Canticorum paraphrasi
 a Theodoro Peltano typis tradita; *Expositio Patrum Græcorum*
in Psalmos; Catena item Græcorum Patrum in Lucam, aliaque in
Johannem a Balth. Corderio vulgatâ; *Liturgiæ Sanctorum Pa-*
trum a Claudio Sanctesio editæ; *Ægidii Bucherii Victorius Aqu-*
itanus, & alii antiqui Canonum Paschaliū Scriptores; Patres A-
postolici, a Cotelerio quondam collecti, a Joanne Clerico cum variis
accessionibus denuo editi. Succedunt hæ *Romana*: Melchioris
 Hittorprii *Autores veteres de divinis officiis*, jam inter Colonien-
 ses Bibliothecas supra allegati; Leonis Allatii *Græcia orthodo-*
xa; Laurentii Alexandri Zacagnii *Collectanea monumentorum,*
veterum Ecclesiæ Græcæ & Latine; Codex Regularum, quas Sancti
Patres monachis & sanctimonialibus præscripserunt, a Benedicto
 Abbate Anianensi olim collectus, & a Luca Holstenio in tres
 Tomos digestus; *Patrum aliquot Græcorum Orationes & Epistolæ,*
 ab Hieronymo Brunello Græce editæ; alia *quorundam Patrum*
Collectio Pauli Manutii; Petri Possini *Catena in Marcum, & Lip-*
pomanni in Psalmos. Venetiis impressæ tres Patrum Catenæ
 sistuntur, una *in quinquaginta Psalmos*, interprete Daniele Bar-
 baro; altera *in Jobum*, cura Pauli Comitoli, tertiaque *in Acta &*
Epistolas Catholicas, Joanne Bernardo Feliciano interprete. Uni-
 ca commemoratur *Mediolanensis*, in *Anecdotis* Ludovici Anto-
 nii Muratorii obvia. *Moguntinis* typis excusæ referuntur Pa-
 trum Bibliothecæ sequentes: *Speculum antique devotionis circa*
Missam, colligente Jo. Cochlæo; *Miscellanea Patrum Græcorum*
& Latinorum Gerhardi Vossii, Præpositi Tungrensis; *Hincmari*
Remensis & aliquot coætaneorum Opuscula, itemque *Paralipomena*
Opusculorum Petri Blesensis & Johannis Trithemii, aliorumque,
 quibus studium impendit Jo. Busæus. Bibliotheca *Patrum Ci-*
sterciensium, collecta labore & studio Bertrandi Tissier, typis
 cœnobii, cui *Boni Fontis* nomen est, prodiisse dicitur. *Paræne-*
tici veteres cum notis Goldasti, Bibliotheca *Patrum Insulana*
 nuncupantur; *Divionensis* vero: *Scriptorum veterum de fide*
Catholica Opuscula quinque, vulgata a Petro Francisco Chiffletio;
Rotomagensis: Veterum Scriptorum & monumentorum Collectio,
 publicata ab Edmundo Martene; *Tolosana*: Balthasaris Cor-
 derii

derii & Petri Possini *Symbola Græcorum Patrum in Mattheum*. Post Bibliothecas Patrum *Londinenses*, quæ sunt: *Catena Græcorum Patrum in Jobum*, collectore Niceta, ex MSCtis eruta a Patricio Junio; *Bede, Egberti & Aldhelmi Opuscula* nonnulla, vulgata ab Henrico Whartono; *Palladii, Ambrosii, & Anonymi cujusdam Scripta de Brachmanis*, ab Eduardo Bissæo collecta; *Dubliniensis* allegatur: *Sylloge veterum Epistolarum Hibernicarum*, collecta a Jacobo Usserio; & *Oxonensis: Spicilegium SS. Patrum & Hæreticorum Seculi I, II & III*, editum & notis illustratum a Johanne Ernesto Grabio. Has excipiunt suo ordine *Lovanienses: Variorum Patrum Epistolæ ad Concilium Ephesinum spectantes*, editæ & notis illustratæ per Christianum Lupum; *Scriptores quidam veteres de Eucharistia*, collecti a Jo. Vlimmerio; *Trajectensis: Jacobi Tollii Insignia Itinerarii Italici*; *Genevensis: Davidis Blondelli Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes*, ac Theodori Bezæ *Scripta quædam Patrum maximam partem antea non edita*; *Hamburgenses: Elmenhorstii Gennadius & Martialis Lemovicensis*; Nicolai Glaferi *Apocrypha parænctica*; Jo. Alberti Fabricii *Codex apocryphus Novi Testamenti*; *Cygnæ: Variorum Patrum Homiliæ in natalem Christi*; Hieronymi insuper, *Theologi cujusdam Græci, Dialogus de Trinitate cum quibusdam aliis veterum Scriptorum Monumentis*, quas duas collectiones instituit Christianus Daumius. Ibidem quoque *Opuscula quædam veterum Scriptorum* imprimi fecit Caspâr Barthius. Agmen claudunt *Lipsienses: Joachimi puta Zehneri Patrum & Doctorum Ecclesiæ, qui ligata oratione scripserunt, Paraphrases & Meditationes in Evangelia Dominicalia & Festivalia*, ac Summe Reverendi nostri Ittigii *Bibliotheca Patrum Apostolicorum Græco-Latina*. Accedit Operi huic *Appendix*, quæ varias adhuc collectiones alias enumerat, veterum videlicet Scriptorum Historiæ Ecclesiasticæ; Chronicorum; Vitarum Apostolorum & Sanctorum; (ubi & imprimis de industria Bollandi, Henschenii & Papebrochii atque Successorum agitur;) Canonum pœnentialium & Ecclesiasticorum; Conciliorum Generalium & Provincialium; Liturgiarum; rerum gestarum a Pontificibus Avenionensibus; Bullarum Pontificum Romanorum; tractatum

tuum de jurisdictione Imperiali & Pontificia; Scriptorum, qui circa tempora Concilii Constantiensis de corrupto Ecclesiæ statu ejusque remediis scripserunt; veterum Historicorum; & plurimum similium. Peregregia vero hæc supellex non quoad nudos certe titulos (in quibus nobis quidem acquiescendum est) refertur, sed accurato potius studio, in opere præsertim ipso, quid in qualibet Bibliotheca contineatur, sigillatim recensetur, & quæcunque alias ad historiam cujusque pertinent, operose indicantur. Videas & passim pro suppeditata occasione varias immisceri observationes, e quibus paucas in reliquarum gustum designabimus, quandoquidem diffusissimæ lectionis Autor p. 83 f. varias Indicis expurgatorii Fr. Johannis Mariæ Brachellensis censuras allegat; p. 156 Synoridem inter Sanctas relatam explodit; p. 161 de historia latronis per Johannem conversi differit; p. 180 seqq. repetit, quæ olim in collegio privato de Hieronymi Martyrologio, a Francisco Maria Florentinio cum ejusdem notis & exercitationibus Luca A. 1668 edito, latius docuerat; p. 199 refert, quod monasterium Piscariense tantæ dignitatis olim fuerit, ut Abbas in omni ditione sua non secus ac Imperator sese gesserit, & pedi loco sceptrum Imperiale vel Regale usurpaverit; p. 200 fabulam de S. Clementis Papæ & Martyris corpore, cui habitaculum ab Angelis in ipso mari præparatum fuerit, exhibendam dat; p. 216 f. de Symboli Athanasiani autore prolixius disceptat; p. 309 f. communionis sub utraque historiam illustrat; p. 546 Daumium miratum valde fuisse narrat, quod, cum Lugdunensis Patrum Bibliotheca duodecim Tomis Coloniensem superet, non plures, quam centum, & quidem magna ex parte breves, si non brevissimi, Autores in eadem additi fuerint, & postea longum Scriptorum illorum catalogum, quorum opera addi potuissent, a Daumio contextum communicat; p. 557 f. Apparatum le Nourry delineat; p. 701 f. totam Theclæ historiam meram esse fabulam ostendit. Dignum est, quod huc transcribatur, Epitaphium Petri Abælardi, p. 395 obvium:

*Petrus in hac urna latitat, quem mundus Homerum
Clamabat, sed jam sidera fidus habent.*

Sol erat hic Gallis, sed eum jam fata tulerunt,

Ergo caret regio Gallica Sole suo.

Ille sciens, quicquid fuit ulli scibile, vicit

Artifices, artes absque docente docens.

Undecimæ Maji Petrum rapuere Calendæ,

Privantes Logices atria Rege suo.

Est satis, in tumulo PETRUS HIC JACET ABÆ-
LARDUS,

Huic soli patuit, scibile quicquid erit.

Univerſo operi præmittitur uberrima commentatio de editis ſeparatim operibus Patrum e prioribus ſeculis præcipuorum, utpote *Barnabæ, Dionyſii Areopagitæ, Clementis Romani, Hermæ, Ignatii, Polycarpi, Juſtini Martyris, Tatiani, Theophili Antiocheni, Athenagoræ, Irenæi, Hegesippi, Hermiæ, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Minutii Felicis, Hippolyti, Ammonii Alexandrini, Origenis, Cypriani, Gregorii Thaumaturgi, Dionyſii Alexandrini, Victorini Pitabionenſis, Methodii Tyrii, Arnobii Afri, Laſtantii Firmiani, Eusebii Cæſarienſis, Eustathii Antiocheni, Athanaſii, Commodiani, Juvenci, Antonii Abbatis, Julii Firmici Materni, Eusebii Emiſeni, Cyrilli Hieroſolymitani, Hilarii Pictavienſis, Luciferi Calaritanus, Phœbadii, Apollinarij, Titi Boſtrenſis, Marii Victorini, Candidi Ariani, Damasi, Epiphani, Optati Milevitani, Paciani, Ephremi Syri, Baſilii Magni, Gregorii Nyſſeni, Gregorii Nazianzeni, Didymi, Macarii, Gregorii Batici, Ambroſii, Hieronymi, Philaſtrii, Fauſtini, Theophili Alexandrini, Johannis Hieroſolymitani, Dextri, Vigilii Tridentini, Rufini Torani, Paulini Nolani, Auguſtini, Chryſoſtomi, Cyrilli Alexandrini, Marii Mercatoris, Theodoretii. Quibus inſuper nonnulla Patrum Scripta adduntur, quæ eum variis recentiorum ſcriptorum operibus tractatibusque, & loco quaſi alieno edita proſtant.*

L'HISTOIRE ET LA RELIGION

des Juifs.

h. e.

HISTORIA ET RELIGIO JUDÆORUM,
a temporibus Jeſu Chriſti uſque ad noſtram ætatem,
qua

*qua Historia Josephi continuatur, autore JACOBO
BASNAGIO. Tomi V.*

Roterod. apud Regner. Leers, 1707, in 12.

Alph. 5 pl. 10.

NOvo, post alia multa, eoque insigni merito Rempublicam litterariam devinctum ivit Clarissimus Basnagius, aliis præstantissimis scriptis, de Re Ecclesiastica imprimis, jamdudum immortaliter meritus. Nempe historia Judaicæ gentis, sacrorumque illius populi inter desiderata hucusque erat, neque repertus fuit, qui post Josephum rem ingentis laboris, in putidis Judæorum lacunis magnam partem consumendi, aggredi auderet, atque ex illis cum aliarum gentium idoneis monumentis decenter comparatis lucem veritati accenderet. Id vero multivariæ eruditionis apparatu, diligentia insigni, ingenio singulari, executus Vir Reverendus fuit, qui aptissima methodo totum opus V Tomis seu VII Libris divisit, iisque, quicquid de ista gente memorabile occurreret, comprehendit, e quibus nos, hac quidem vice Libros tres, seu Tomos duos priores, recensebimus.

Cap. II.

Quamvis autem Josephi historiam continuare animo constituisset, opus tamen existimavit esse, ut generalem formæ Reipublicæ atque Ecclesiæ, quæ in gente illa, dum suis legibus adhuc in patria viveret, obtinuit, ante omnia poneret ob oculos. Ei rei totus Liber primus impenditur, ubi sub initium statim de Herodiadum in Regno Judaico agitur successione, quæ passim Clar. Autori tractatio occasionem suppeditat historiam Josephi, tum contra alios censores, tum contra Jo. Harduinum imprimis defendendi. Nempe eum male ostendit negare, quod Judæus fuerit natalibus pariter ac religione magnus ille Herodes, atque circa eam rem contradictiones sibi in Josepho finxisse, quibus fidem ejus penitus evertat. Multo vero audacius etiam defendere, eum Athenis fuisse ortum, solo nomine ductum, quod Athenienses quidam gesserint; cum nomen tamen in Italia quoque apud Palmyrenos & alibi frequens sit, & præterea non Herodum gens, sed *Antiparum & Antipatrorum*,
quæ

quæ avi patrisque Herodis erant nomina, fuerit quærendum. Simili modo quod pro sorte Julio Cæsari credita & usuris Herodi Judææ & Samariæ Regnum traditum docet Harduinus, quod Galilæam & Trachonitidem ei obnoxiam fuisse negat, quæ de Philippo item Herodiadis marito priore disputat, exploduntur. Inprimis diligenter refutantur quæ de Agrippa priore & ejus familia ei placuerant, & recepta magis sententia defenditur, cui numismata, quibus nititur Harduinus, omnia longe rectius convenire demonstrantur. De morte vero Agrippæ II difficultates Chronologicæ, quæ magnos viros, Scaligerum, Illustr. Spanhemium & Jo. Harduinum exercuere, non sine acumine diluuntur. Nempe Justum Tiberiensem Josephus historiam suam belli Judaici non ausum esse publicare ante mortem Agrippæ, narrat. Id autem refert in libro de Vita propria, quem Epaphrodito Neronis liberto dedicavit, qui cum a Domitiano A. C. 95 sit interemptus, ante eum annum scriptam Vitam Josephi, & vivere desiisse Agrippam oportebit. Attamen porro idem justus Chronicon Regum Judææ fecit, quod in morte Agrippæ desinebat, ad annum III Trajani productum, ad quem proinde Agrippam vivendo pervenisse in promptu erat colligere, id quod diserte etiam Photius affirmat. Equidem *Vespasiani* nomen apud Photium *Trajani* nomini substituerat Pearsonus, post quem *Titi* nomen rectius Photio restitui, aliis observatum, sed durum videtur Clarissimo Autori, ita historiam Justi pro arbitrio contrahi. Augent difficultatem nummi a Scaligero & Spanhemio publicati, in quibus non tantum XXIX anni Agrippæ tribuuntur, sed Domitiani quoque facies conspicitur, quæ eo regnante Agrippam vixisse evincit: eamque difficultatem hoc minus feliciter solvere eos, qui adulatione in Domitianum hos nummos, antequam imperium obtineret, cufos esse arbitrantur, patet, quod prostant ejus generis nummi ab Harduino editi, diserte Domitiano *Augusti* titulum tribuentes. Clarissimus Autor igitur Agrippam II usque ad A. C. 94, qui fuit Imp. Domit. XIV, vitam produxisse censet; eo enim cufum extare ab Agrippa nummum, quo Parthos & Arabes victos Domitiano gratuletur. Hoc vero anno

Cap. III.

& Josephum vitam suam publicare potuisse, & Epaphrodito dicare, qui anno sequenti demum supplicium subierit. Hocque satis exacte Josephi rebus convenire, qui A. C. 93 Antiquitatum opus absolverit, anno inde opus habuerit ad vitæ suæ concinnandam historiam, quo intervallo mortuus sit Agrippa, cujus proinde, tanquam jam vita functi, in posteriori hoc opere meminerit. Neque opus esse, ut Justus Tiberiensis corrigatur, qui Chronico suo morte Agrippæ A. C. 94 finem imponere potuerit, licet aliud opus anno demum inde quarto vel quinto, hoc est, Trajani tertio, perfectum dederit, atque absolutum. Nummi vero ab Harduino producti, qui rem impeditissimam reddunt, & Harduinum in eam sententiam deduxere, ut primum Agrippam usque ad initia Domitiani vitam produxisse crederet, eique secundum substitueret, qui exercitui post eam ætatem præfuerit, ita explicat noster Autor, ut dicat tres differentes habuisse Regni sui epochas Agrippam II. Primam extra dubium positam esse, ejusque esse caput annum C. 49, quo Regnum Chalcidense acceperit. Atque eam epocham quadrare in nummum sub Vespasiano cusum, quo Agrippæ anni Regni tribuuntur XXVI, eum item, qui triennio post sub Tito est percussus, quo ei XXIX anni adscribuntur, qui desinunt in A. Chr. 79. Nummum sub Domitiano cusum quod attinet, in quo pauciores quam in præcedentibus h. e. XXVI tantum anni Agrippæ tribuuntur; in eoverba ex *Senatusconsulto*, nummo insculpta, suspicionem Clarissimo Autori faciunt, novam gratiam a Senatu Romano in Agrippam collatam esse, confirmationem scilicet auctoritatis antea acceptæ, a qua novæ epochæ duxerit initium. Ad eos denique nummos ut perveniamus, in quibus iidem numerantur Agrippæ, qui erant Domitiani, anni, id novum non esse, studioque in Principes deberi, quos honorare ducta, ab initiis Imperii eorum nova epocha, in more positum fuerit haut infrequenti. Sub isto Agrippa, Hierosolymis expugnatis, Regnum Judaicum penitus destructum est, quod Regibus exteris ex Idumæa constitutis, imo & ipsis in *Judea*, dum Christus viveret, deficientibus, labem jam contraxerat declinaveratque. Quae quidem

dem re primum ruinæ Judaicæ gradum absolvit doctissimus Autor. Cui secundus succedit, ex Sacerdotii decrementis in totalem demum ejus abolitionem desinentibus. Cumque prima autoritas sacerdotalis damna acceperit eo, quod arbitraria lege de ea statuerint Reges primum Judæi, inde Magistratus Romani, ut visum esset, Sacerdotium hisce adimentes, conferentes in alios; quo jure id factum sit, eo diligentius inquiritur, quod hisce Sacerdotii Judaici fati superstructa fuerint Sacerdotii Imperiique in Ecclesia Christiana concordia fundamenta. Longe autem Noster recedit a sententia eorum, qui autoritate in ipsos Reges Sacerdotio concessa suprema, judiciis Sacerdotum Reges obnoxios fecere: quin potius summam fuisse Regum Judæorum in Sacra quoque, imo & ipsos Sacerdotes potestatem, vel Saulis exemplo, Abjatharem summo Sacerdotio depellentis, confirmat. Hinc ab Ananelo inde, quem magnus Herodes deposuit, usque ad templi incendia fata summorum Sacerdotum persequitur, quam quidem historiam sequentibus observationibus finit. Nunquam tam frequentes in populo Judaico, exterarum gentium licet obnoxio jugo, Sacerdotum summorum depositiones tamque aspera fata observari, quam illo spatio, cum tamen Principes Judæi Sacrorum adhuc Judæorum gererent curam: Deo nempe vires Sacerdotii illius ita frangente, ut consistere non posset. Deinde nunquam ipsos quoque ita officio illi, quam fatali illa populi hujus periodo dedecori fuisse.

Tertium inde ruinæ Judaicæ gradum juxta Autorem constituit varia ex factionum diversitate perturbatio, ubi turbæ, quas Zelotæ dederunt, Samaritanorum contra Judæos sub Cumano bellum, latronum varii tumultus, impostorum & Pseudo-Christorum fraudes & seditiones, aliæque Hierosolymitarum paulo ante desolationem factiones succincte recensentur. Ea vero occasione ea etiam, quæ Eusebius de bello ab Osröenorum Rege Abgaro, contra Judæos ob Christum necatum instructo, narrat, examinantur, & juxta cum epistola Christi ad Abgarum exploduntur. Argumenta, quibus hujus epistolæ fidem destruit, ista sunt: 1 quod a primitiva Ecclesia

Cap. IV.

V.

VI.

VII.

Cap. VIII.

Lib. II.

Cap. I. II.

in canonem recepta non sit, cum tamen, si vera sint, quæ de ea traduntur, certior esse potuerit ejus fides quam aliorum scriptorum omnium, in publico quippe archivo asservatæ, ob brevitatem interpolationibus non ita obnoxia, a Thoma & Thaddæo recognita, quæ omnia contra Tillemontium, qui futile id dixerat argumentum, prolixius urgentur; 2 quod Edessa illa ætate in clientela Romanorum fuerit, ut adeo Abgarus Christo autoritatis partem suo arbitrio non potuerit deferre. Idem argumentum contra bellum quoque ab Abgaro instructum facere videtur. Magis tamen ista: 1 quod in historia de Abgari & Edessenorum conversione suspecta sint plurima, cognomen Judæ tributum Thomæ, Thaddæi apostolatus; 2 quod temporum ratio male respondeat, ab Eusebio enim Edessenorum conversionem ad annum æræ ipsorum, quæ sit eadem cum Seleucidarum æra, CCCXL referri, eum autem annum esse exacte A. C. 29 vel 30 æræ vulgaris, quo nondum Christus per miracula innotuerat; 3 quod hæc obsint illis, quæ de gentium vocatione in Actibus Apost. referuntur, ex quibus pateat Apostolis, atque Petro imprimis, anno C. 39 demum revelatione innotuisse, gentes esse vocandas; 4 quod ille fuerit Osroenæ situs, ut difficillimum fuerit, imo Regulo illarum virium plane impossibile, inde in Judæam arma transferre. Verum satis de ista digressionem; ipsa desolationis urbis sanctæ & templi hisce subjungitur historia, atque cum Josepho, qui urbem solo æquatam dixit, Patrum testimonia, Ecclesiam post hæc tempora Hierosolymis agnoscentium, conciliantur.

Hæcque summa est Libri primi. Secundo inde Historiam sectarum tenemus, in quas Christi Salvatoris ætate, usque ad desolationem, Ecclesia Judaica divisa fuit. Et Samaritanorum quidem res ex Chronico eorum, Josepho aliisque quibusdam monumentis, comparatis cum sacra historia, pertexuntur. Eoque spectant etiam, quæ sub secundi Voluminis finem, supplementi loco, ex Chronico a Clarissimo Bernardo publicato & litteris Huntingtonianis, ut & quæ Libro VII Cap. XXIII & sq. referuntur. Historia & varia fata eorum a temporibus inde Jeroboami, ad quod primæ schismatis Samaritani origines refe-

run-

runtur, usque ad nostra tempora, quantum ejus fieri potest, perducitur. Canon scripturarum ab iis receptarum examinatur, & causæ rejectorum quorundam librorum, quos canon Judaicus agnoscit, acute indagantur. Pentateuchum vero quod attinet Samaritanorum, omnino eam ex exemplaribus a decem tribubus conservatis & relictis descriptam & propagatam esse, contra Simonium, van Dalen, autorem Judiciorum de Critica Simoniana defenditur. Certe, ut cetera argumenta taceamus, si ab Esdra accepissent Pentateuchum litteris Chaldaicis scriptum Cuthæi, ex Chaldæa coloni, litteras Chaldæas, quibus ipsi assueti erant, in antiquas Hebræas non fuisse mutatu-
 ros. Doctrina eorum dum percensetur, ostenditur injuriam eis fieri, quando Deum corporeum statuisse quibusdam dicuntur, Spiritum item Sanctum & resurrectionem corporum negasse. Dei dolis eorum quæ tradunt Rabbini, incerta esse omnia. De Venere & Saturno, ab iis culto, recte statuere Grotium, reliquam earum idololatriam explicari non posse. Frustra autem esse eos, qui temporibus sequioribus idololatriam illis exprobrent, Judæos, & post eos Epiphanium. Quæ de columba ab iis adorata Judæi dicant, incertis & sibi contrariis relationibus niti. Antiochi tamen Epiphaniæ ævo idololatrias cultus Samariæ restitutos esse : & desideratum aliquid in cultu eorum esse verbis Christi : *adoratis, quod nescitis*. Nec penitus tamen eos a salute excludi verbis ejusdem : *salus est Judæorum* ; ea enim tantum pertinere ad Messiam e Judæis ortum, qui *salus sit gentium*. Cultum porro eorum haut dubie novam labem accepisse a 6000 colonis gentilibus, ab Herode immisis Samariæ, unde cultus gentilis Samaritanorum vestigia passim sunt in veteribus nummis : eoque pertinere censuram Christi : *adoratis quod nescitis*, prolatam ad Samaritidem ; cujus ea occasione historia pariter ac fabulæ de ea percensentur, ut & apostasia Samaritanorum, Simone Mago duce, quem pro Filio Dei se gessisse negatur : Lightfotum vero injuriam esse in Samaritanos ostenditur, a Christo gentilibus eos æquiparatos dicentem, & errorem de gemino Messia eis temere exprobrantem. Doctrina postremo eorum quæ hodie sit, ex fidei confessione Scaligero

Cap. III.

IV.

Cap. VI.

transmissa repræsentatur, deque Sectis porro eorum disputatur, atque inde ad *Sadduceos* transitur. Eos, quod vulgo creditur, Prophetorum scriptorum autoritatem repudiasse negatur, eandem tamen iis quam Legi autoritatem forte haut tribuisse conceditur. Grotium doctrinam eorum de providentia, Theophylactum, Arnobium, Simonium de spiritu & angelis placita minus recte percepisse, quando ab iis angelos penitus esse negatos, & apparitiones eorum pro *Φαντάσμασι* habitas, statuunt. Neque feliciter Harduinum coniecisse, qui Herodem eam doctrinam, a Platonis acceptam, statuat Sadducæis tradidisse. Tacemus cetera, quæ de doctrina pariter ac disciplina eorum commemorantur. Fata eorum varia diligenter exponuntur; olim in Judæis toleratos, postea paucitate contemptos, hodie non amplius ferri, nisi quod profani quidam inter eos secreto Sadducaicum virus alant, & quibusdam Africae locis fortassis coetus Sadducæorum, sed non validi nimis. inveniantur.

VII.

VIII.

IX.

X. XI.

XII. XIII.

XIV

Caraitæ sequuntur, cum Sadducæis male quibusdam confusi, quorum præcipuum dogma traditionum adversum autoritati, contra Simonium adstruitur, doctrina inde & disciplina ordine exponitur. Origines ad Ptolemæi Philadelphi in Ægypto tempora referuntur, quibus Judæos nonnullos commentari in Legem cœpisse, conceptus suos Sacrorum Scriptorum miscens conceptibus, ex Euseb. Præp. VIII, 10 colligitur, idque schismati Caraitarum initia dedisse ostenditur. Eos esse, quos *νομικῆς* dicat Christus, & *γραμματεῖς* Luc. XI, 44. Marc. XII, 28, quorum hic fata varia exponuntur. Copiosius inde de Pharisæis agitur, ubi notari meretur, qua ratione Paulum disputasse adversus eos ostendatur. De Essenorum origine Drusio Autor assentitur, eosque, doctrina eorum exposita, male cum Christianis confundi docet, ex Pythagoræorum potius scholis derivandos. Herodianos denique a Sadducæis distinguendos contra Harduinum ostenditur, eosdemque originem debere non magno Herodi, sed Antipæ Galilææ tetrarchæ. Idque vel ex eo colligi, quod sectæ autorem superstitem fuisse docente Christo, suadeant verba ejus, *fermentum Herodis cavendum* monentis.

Verum

Verum satis de primo hujus historiae Volumine, pauca jam de secundo addamus. Post templi igitur & urbis desolationem, qui in Judæa perstitere Judæi, *Patriarchas* habuerunt, quorum autoritatem quoque qui Ægyptum, Italiam & reliquas Imperii Romani provincias infesserant, occidentalium Judæorum nomine comprehensi, agnoscebant. Quemadmodum orientales Judæi, Babylonem, Chaldæam, Assyriam, Persiamque habitantes, *Æchmalotarchas* venerabantur, qui *Rabbana* stylo Judæorum, ut illi *Rabban*, appellabantur. A *Patriarchis* illis dicendi initium fit, quos docet ex tribu Levi fuisse, instituendis in patriis cultibus populi reliquiis destinatos, quicquid de materna origine eorum ex tribu Judæ fabulentur Judæi. Ante Christi vero tempora Hillelem jam Patriarcham fuisse, non pati censeret Herodis autoritatem, cum qua vix illum Patriarchatum concilies. Satis etiam sese haut posse tueri, quæ de Simeonis, cujus in Evangelio mentio, Patriarchatu fabulantur Christiani quidam: meris item contradictionibus scatere, quæ de Jochanano & translato ab eo Japhnen synedrio, Academia item Lyddæ constituta dicuntur. Nec majorem esse fidem debere eorum, qui in quarto Patriarcha Gamaliele, ejusque discipulo Samuele exiguo, Paulum Apostolum & præceptorem Gamalielem se putant invenire. Verbo, omnes, qui desolationem præcessisse credantur Judæis, Patriarchas fide carere, ratione non una firmatur. Primusque esse Patriarcha sub Hadriano Simeon, qui III est, in catalogo Judæorum nominis ejus, ostenditur. Officium vero horum & privilegia prolixè exponuntur, ut pateat, eam non fuisse eorum autoritatem, ut per eos טבש & מחמ in tribu Juda servata esse dici queat. Historia vero & fata usque ad A. C. 429, quo vel sponte deficiente familia Hillelis vel Imperatoris Theodosii voluntate hæc dignitas expiravit, deducuntur. Post eos *Primates* Judæis in variis partibus occidentis præfuisse, eosque male autoritate *Patriarchis* a Cunæo & aliis æquiparari. Inde de *Æchmalotarchis* simili ratione differitur: hos Autor affirmat ab orientalibus Judæis institutos esse, sublato, quo communia sacra peragerentur, templo, vinculoque adeo unionis soluto. Nec tamen id eos ausos ante Parthos

L. III.
Cap. I.

II.

III.

V.

Cap. V.

thos, sub Alexandro Severo victos. Hunam enim primum, *Æchmalotarcham* Judæ Sancto coævum & A. C. 220 vel 222 illi officio præfectum esse: atque his admissis pleraque Criticorum circa Patriarchas & *Æchmalotarchas* dubia solvi posse. Eorum post seculum XII nulla superesse vestigia. Academias sub iis erectas esse Soranam, Pumbeditanam, Nareshanam, Machusianam, iisque sua præfuisse capita. Inde *Tanaitarum* pertexitur historia, h. e. Doctorum, qui post Prophetas traditiones conservarunt, *Mischnæ* postremo autores, quibus primus absolvitur Doctorum Judaicorum ordo. Quæ eis tribuitur *בת קול* *filia vocis*, inferior paulo *prophetia* revelationis gradus, quem ex Judaicis lacunis Christiani quoque adstruxere nonnulli, & in Novi Testamenti libris ejus vestigia se invenire existimavere; eam meram superstitionem esse, fortibus Virgilianis, vel gentilium ex vocibus, forte editis fortuna, ominibus non absimilem. Hoc vero ex scriptis Judaicis demonstratur. Sic enim Simeonem & Jochananem iter Babylonem meditantes, ut Samuelem ibi audirent docentem, filiam vocis de itinere proposito consulentes Synagogam adiisse, in qua puerum legere audientes ex 1 Sam. XV, 1 verba: *Samuel mortuus est*, Doctorem illum mortuum esse intellexerint. Sic R. Acherum *filia vocis* damnatum esse: adducto enim eo ad varias synagogas, in prima audita esse verba Esaiæ: *Impio non est pax*: in secunda: *Cur verba mea gestas in ore tuo* &c. ut alia ejus generis taceamus. Ejusdem vero commatis esse, quæ de aliis *Tanaitarum* miraculis narrantur, quorum usque ad Judam S. continuata series esse creditur, qui disperso jam populo Judæorum A. C. 215 litteris traditiones hucusque conservatas mandaverit. *Gemaristarum* inde sequitur historia, qui defectus *Mischnæ* supplere voluerunt, atque adeo *Talmud* absolverunt. De libri igitur hujus ætate disceptatio instituitur, neque satis solidis argumentis instructum Morinum *Mischnam* quinque, *Gemaram* vero septem post Christum seculis elapsis conditam statuere ostenditur. Inde & Judæorum & Christianorum diversa de *Thalmudis* autoritate judicia percensentur, varii ejus errores referuntur, genuinus usus, quem præstare possit in ritibus cognoscen-

VI.

VII.

gnoscentis indicatur. Inter ipsos Judæos *Sebureorum* h. e. dubitantium Doctorum ordo commemoratur, cujus sectæ autor R. Josi circa A. C. 476 floruit, atque cum sequacibus suis Talmudicas traditiones per 74 fere annos impugnavit. Illis inde a VI seculi initiis successisse, autore Chanane Meischka, *Gaones*, *excellentes* nostra lingua dicas, usque ad A. C. 1037, quorum placita in iis, in quibus docebant, locis vim legum obtinebant, eorumque illustrissimi sigillatim commemorantur. *Masoretæ* proximo loco, seu *Critici* Judæorum succedunt, variisque de iis virorum doctorum expositis sententiis, veri Masoræ & punctorum vocalium apud Ebræos autores statuuntur Aaron & Moses, quorum ille ex tribu Aser, hic ex tribu Naphtali genus ducebat, illique de forma plurium vocum, seculi a Christo XI initiis, disputabant, ut apud Gantzius est in *Tzemach David* p. 131; quæ fere est Morini sententia, ejus quoque argumentis stabilita, atq; contra difficultates, quas hic Theologorum nonnulli metuunt, ex eo atque Capello defensa. A Masoretis ad *Cabbalistas* proceditur, prolixissima de iis & tota *Cabbala* instituta disputatione. Ab elogiis ejus autem & fabulosis, quas Judæi ipsi tribuunt, originibus ducitur initium. Ut primus Simon Jochaides scripto, quod *Zohar* dicitur, eam complexus sit, inde narratur, breviterque, quæ summa sit libri & præcipua argumenta, ostenditur, symbolorumque istorum brevis & generalis explicatio additur, quibus similis fere esse ostenditur symbolica quorundam mysteriorum Ægyptiorum in imagine Isis representatio. Inde judicium de hoc libro fertur, eo fere rediens: multa in eo esse, quæ ante seculum a Christo X scribi non potuerint; tenebras ejus impenetrabiles esse; denique præcepta R. Jisfchari, ex *Zohare* collecta, quibus Christiani nonnulli ad explicanda Scripturarum Novi etiam Test. mysteria utendum putent, erroribus scatere & nugamentis quam plurimis. Paulo clariora vero ex recentioribus *Cabbalists* derivari posse; ab iis enim *Cabbalam* in *Mercavam* h. e. partem de attributis Dei, & *Breschit* h. e. contemplationem mundi inferioris dividi; *Mercavam* juxta Henrici Mori sententiam explicat Autor. Indeque ad mysteria specialiora in litteris transit; porro ad ea, quæ in vocibus

X.

XI.

- Cap. XII. quærunt, a Christianis quoque ambitiose investigata, nullum
 XIII. non fidei suæ mysterium hac via indagantibus. Inde ad my-
 steria, quæ in divinis nominibus, maxime in tetragrammato, si-
 XIV. mantur. His *Sephirotarum* abstrusior subjungitur philosophia,
 quarum juxta Clarissimum Autorem mysterium in eo consistit,
 ut represententur attributa divina, quibus mediantibus essen-
 tia Dei, in se infinita, manifestatur: ut multum fallantur, qui in
 tribus prioribus *Sephirotis* mysterium Trinitatis vel delineatio-
 nem personæ *Messie*, ejusve miraculorum quærunt, quod com-
 paratis invicem *Cabbalistarum* locis ostenditur. Cum vero
 quinque sint *Cabbala* species, *prima naturalis*, quæ naturæ omnis
 mysteria ex litteris alphabeti evolvit: *secunda*, quæ ordinem &
 nexum rerum conditarum inter se spectat: *tertia contemplati-
 va*, quæ & animum & corpus ad penitentiorem cum Deo unio-
 nem elevat, atque miracula patranda virtute homines instruit:
quarta Astrologica, & *quinta* denique *Magica*, sigillatim de
 XV. iis agitur. Inde origines *Cabbala* aliquot capitibus investigan-
 XVI. tur, quas ipsi *Cabbaliste* ad Mosen referunt, in cujus Lege & scri-
 ptis allegorica sint plurima, quæ litterales respicientes explica-
 tiones, *Cabbalisticis* opus habeant. At Autor non ea de re quæ-
 ri observat, verum de ipsa methodo omnia *per Cabbalam*, etiam
 historica, in allegorias vertendi, quam in Ægypto ortam, ab æ-
 tatis inferioris magistris, autoritatem existimat accepisse. Pri-
 mum autem ei rei in Ægypto initia dedisse Eleazarum, cum
 circa translata a LXX interpretibus Mosis legem & varios
 cultus quæstiones curiosius Ægyptii moverent. Ab eo inde
 tempore factiones inter Judæos ortas in Ægypto esse duas, *Litte-
 raliurum* alteram, alteram allegorias sectantium *Cabbalistarum*. In
 his celebrem Aristobuli famam extitisse, eorumq; vestigia esse ap.
 Eusebium Præp. VIII, 9. p. 372. Inde sensim sensimque incrementa
 hoc studium cepisse, a Philone, Essenis aliisque adoptatum; Judæis
 cum maxime, ut ne Ægyptiacæ religioni sua mysteriis cedere
 videretur, cupientibus: eorumque doctrinæ fragmina passim
 Christianos exhibere, Hieronymum in Commentariis, Basilidia-
 nos, qui ab iis æonas suos acceperint, atque alios. Fuisse ex
 eorum genere *Agadicos*, qui seculo XII in Ægypto a Maimoni-
 de com-

de commemorantur, atque inde sensim *Cabbalam* eam, quam hodie gerit, faciem induisse. Falli ergo, qui *Cabbalam* a Patriarchis in Ægyptum delatam atque suis superstitionibus ab Ægyptiis adoptatam putent: quod ut ostendatur, ex Kirchero maxime & Theoph. Galæo allegantur mysteria *Cabbalæ* Judæicæ, quæ cum Ægyptiis ab Abrahamo communicata esse verosimile videatur: indeque totum hoc systema evertitur, Ægyptiosque nihil a Judæis eorumque majoribus ad religionem spectans accepisse demonstratur. Quin versa potius vice ipsos esse suorum mysteriorum inventores, qua occasione multa erudite de Ægyptiorum misteriis differuntur. Indeque de mystica atque *cabbalistica* Theologiam tractandi ratione apud Græcos quoque agitur, ne nuda veritas impuris hominibus prostituta vilesceret, a Poetis & Philosophis adhibita. Hac methodo Trinitatis mysterium docuisse Orpheum, Sefiroticae doctrinæ non ignarum: Homerum morum doctrinam, theologiam & Patriarcharum historiam. Maxime vero eminuisse illa *Cabbalistica* doctrina Pythagoram, ex Judæorum scholis derivata: eamque amplexam ex parte Socratem, ex toto Platonem etiam esse. *Cabbalam* in Christiana ecclesia quod attinet, errare, qui Christo quoque eam tribuant, loco Matthæi V, 18 inducti, cujus ætate ea nondum fuerit inventa. Nec Pauli auctoritati tuto *cabbalisticam* scripturas explicandi methodum superstrui posse, Initia *Cabbalæ* Christianæ ab autore Epistolæ Barnabæ, (Apostolo enim ea abjudicatur,) & Herma Pastore esse ducenda. Hinc prolixior eaque jucundissima de partium *Cabbalæ* & allegoriis disquisitio. De secundo porro *Cabbalæ* gradu, cum cuivis vocis alicujus litteræ integra vox tribuitur, disputatur. Eam Græcis quoque Romanisque non incognitam fuisse, quisve usus litterarum in genere *Cabbalisticis* Judæis & Christianis fuerit, ostenditur. Ea occasione de alphabeto cæli multa, de vi numerandi item in litteris, misteriisque inde natis sive Judæorum sive Christianorum, sive Abraxeis sive aliis ejus generis, unde & de Talismanibus quædam observandi occasio nascitur. Comparatio item Æonum, quos sibi finxere hæretici quidam, cum Judæorum Sefiroth instituitur, eorum.

Cap. XVII.

XVIII. XIX.

XX.

XXI.

XXIII.

XXV. sq.

XXVII.

Cap. XXIIIX
XXIX.

scopo & sensu indicato. Exiguus denique Cabbalæ usus esse demonstratur. Post Cabbalistas de *Rabbinis* variisque eorum titulis agitur, itemque de *Presbyteris*, motaque de *decem Synagoga otiosis* controversia, quæ indecisa tamen Lectorum arbitrio permittitur, finis secundæ quoque parti imponitur.

Verum jam satis nos detinuit istud opus, neque sic tamen ex dignitate a nobis delineatum, neque ad finem usque recensitum. Reliquorum igitur Voluminum trium notitiam proximo Mensi servamus.

*SCRIPTORES RERUM BRUNSVICENSIVM
illustrationi inservientes, antiqui omnes & religionis re-
formatione priores; cura GODOFREDI GUI-
LIELMI LEIBNITII.*

Hanoveræ, sumptibus Nicolai Fœrsteri, 1707, in fol.

Alph. ii pl. io.

Qui de universa re litteraria jamdudum peregrè meretur, Illustris *Leibnitius*, Fautor noster in primis colendus, aliorum excitatus exemplis, qui vel Alemannicarum, vel Belgicarum, vel Septentrionalium rerum scriptores propriis voluminibus dedere, ea pariter scripta in unum redegit corpus, quæ res Brunsvicenses quocunque modo concernunt, additis etiam Halberstadiensium, Verdensium Mindensiumque Episcoporum & in universum Saxonum rebus, & eruditis subinde Notis ac variis Lectionibus textui subjectis. Præfixa his est Introductio proluxa atque elegantissima, in qua, quicquid in singulis scriptoribus præcipuum est, accurate adnotatur, quæ cum huc transferre omnia instituti nostri ratio non patiatur, saltem Libros & Excerpta, quæ in hoc corpore continentur, numero LXIV, ea, qua licet, brevitate enarrabimus. Præmittuntur *Excerpta Veterum Scriptorum de populis ad Albim & Visurgim*, notis illustrata, in quibus Noster vexatum Taciti de Germaniæ etymo locum in clara luce collocavit, Foscosque eidem memoratos & a Cluverio trans Albim remotos patriæ suæ, amni Fusæ, prope Cellas in Alleram influenti vindicavit, & errorem de Mattiacis sustulit, qui

cor.

corrupta lectione pro Marsacis in Batavorum viciniam transfererentur, vera eorum sede in Wedderavia constituta. Sequitur *Lex Saxonum, Angliorum item & Werinorum*, explicatis insuper, quæ Lindenbrogius intacta reliquerat. Post descriptam deinde *Altfredi Vitam Ludgeri*, primi Monasteriensium Episcopi, aliaque fragmenta Ludgerum concernentia, & *Chartularium Werthinense*, succedunt: *Poeta Saxonis Annales Caroli M.* bella ejus Saxonica complexi, & a Reineccio olim, sed non satis accurate, editi: *Vita S. Idae*, ab Uffingo Monacho Werthinensi scripta & a Surio primum edita: *Translatio S. Pusinnae ad Hervordiam, Legenda*, ut & *Fragmentum de S. Martyribus in Ebbeckestorp quiescentibus*, quæ etsi minoris pretii, nonnulli tamen usus in historicis sunt; & *Supplementum hiatus Annalium Fuldensium. Vita Mathildis Reginae Germanie* ex Actis Sanctorum Anverpiensibus deprompta est; *Witikindi vero Corbejensis Historia Saxonum*, multis hæctenus mendis scatens, multum ornamenti & lucis accepit e variis Lectionibus, quas Nostro Laurentius Zaccagnius, Bibliothecæ Vaticanæ hodie primus Custos, e Codice Bibliothecæ Casinensis, & Wilhelmus Ernestus Tenzelius, Sereniss. Regis Pol. & El. Sax. Consiliarius & Historiographus e codice Archivi Electoralis Dresdensis communicarunt. Nec prorsus ab instituto hoc alienæ visæ sunt *BineLitaniae in Corbeja Saxonie olim usurpatae*, quas sequitur *incerti Autoris Carmen Panegyricum in laudem Berengarii I*, ab Hadr. Valesio antea Par. 1663 in 8 editum, nec non *Translatio Reliquiarum corporis S. Epiphaniæ ex Italia in Hildesheim*, & *Fundationes quarundam Saxonie Ecclesiarum*, quas Cl. Madero debemus. Porro lectu digna occurrit *Vita S. Adelheidis Imperatricis*, autore Odilone Abbate Cluniacensi, cum Canisii Notis recusa, ut & *Vita D. Brunonis Coloniensis Archi-Episcopi* a Rotgero scripta, quam antea a Surio interpolatam, ad MSptum Bibliothecæ Guelfebytanae Noster emendavit, additis etiam scriptis aliis ad Brunonem pertinentibus. Primus inde Noster vulgavit *Vitam Theodorici I Metensis Episcopi*, a Sigeberto Levita *S. Vincentii* scriptam, cui subjunxit *Monachi Brunwilariensis de Palatinis Rheni, Erenfrido seu Ezone & Mathilde, eorumque filia B. Richeza Regina Poloniae Narrationem,*

nem, eaque occasione varia notatu digna affert in Præfatione. Imprimis vero de *Ditmaro, Episcopo Mersëburgensi*, bene meritus est, cujus *Gesta Saxonum*, seu Cæsarum, ex antiqua domo Brunsvuicensi ortorum, post mancas Reineccii & Maderi editiones, integra demum ex codice optimo, a Celeb. Papebrochio liberaliter communicato, exhibet, quibus dolendum est collationes emendationesque statim subjici non potuisse, quippe serius a Viris summis communicatas, eoque ad finem operis adjectas; addita & est *Vita Ditmari*, a Reineccio pariter vulgata. Hinc *Vitam Henrici Sancti Imp.* ab *Adelboldo Episcopo Trajectensi* consignatam, & e *Gretsero* descriptam, quanquam imperfectam, videas. *Bernwardi* porro, *Hildeshemensis Episcopi*, qui *Ottonis III Imp.* præceptor fuit, *Vitam*, auctore *Tancmaro Bresbytero*, aliaque huc pertinentia dum ex *Broweri Sideribus Germaniæ* exhibet *Illustris Leibnitius*, inter alia observat, constantem apud *Hildesienses* famam esse, eundem *Bernwardum* *Chemica arte* præcelluisse, & commotum illa non ita pridem *Maximilianum Henricum, Electorem Coloniensem & Episcopum Hildesiensem*, rei *Chemicæ* studio & cognitione laudandum, inquisivisse diligenter in vestigia scientiæ *Bernwardinæ*, & nonnulla nactum perhiberi. Huic adjungit pariter ex *Browero S. Godehardi Episcopi Hildeshemensis Vitam*, a *Wolfero* familiari ejus scriptam, simulque contra *Mabillonium* negat, *Godehardi* obitum ad *IV Maji* diem referri posse; nec lectu indignæ, quas addidit, *Meinwerci, Episcopi Padebornensis*, qui *Henrico II Imp.* familiaris fuit, & *Heimeradi, Presbyteri & Confessoris, Vita*; quibus succedunt *Acta Pontificum, gente Saxonum, Gregorii V & Clementis II*, ex *Annalibus in Saxonia Sec. XII* scriptis & *Augerii de Biterris* *Catalogo Paparum*, nondum editis, deprompta, una cum *Fragmento Hamerslebiensi*, quod inscribitur: *Gregorius Papa V, natione Saxo, natus in Melverode*. Cumque *Guilielmus Appulus*, *Historicus*, in *Poemate de rebus Normannorum in Sicilia, Apulia & Calabria gestis, usque ad mortem Roberti Guiscardi Ducis*, olim *Rothomagi 1582* vulgato, nuptias *Hugonis* descripserit, qui fratrem *Guelfum, Ducum Brunsvuicensium* satorem, habuit, hoc quoque, alioqui paucis & ne ipsi quidem rerum Nor-

mannicarum collectori indefesso, Andreae Duchesnio visum, hac occasione recudere lubuit. Pari ratione *Mathildis* Principis Italæ celeberrimæ, quæ Guelfo filio Guelfi nupserat, a quo tamen postea divertit, *Vitam*, a Domnizone Presbytero carmine descriptam & cum optimis MStis Romæ collatam, tum & *Anonymi Vitam* ejusdem *Mathildis*, soluta oratione comprehensam, quæ fere ex Domnizone desumpta est, Noster inserit. Quin & e Bibliotheca Julia promit quædam de *S. Autore ejusq; reliquiarum translatione in regionem Brunsvicensem*, ubi de Gertrude Brunsvicensium Principe alibi non obvia invenias. Porro ex *Reinhardi Reinebusensis Abbatis opusculo de familia Reinhardi Episcopi Halberstadensis* patet, hunc Reinhardum fuisse Popponis Comitis de Blanckenburg filium. Nec indigna lectu *Imperatorum ab Henrico Aucupe ad Henricum V gesta*, a Monacho quodam Hamerslabiensi descripta, & ex Madero huc translata. Plura vero ad Hildeshemensium res spectantia afferuntur: *Annales primum Hildeshemenses ab anno 714 ad ann. 1138*, quos Duchesnius in Tomum III. Scriptorum rerum Francicarum retulerat, tum *Chronica Episcoporum Hildeshemensium*, quæ cum excerptis ex Eggehardi Vragiensis Abbatis Chronicis ad Ecbertum, a Browero adductis, conferens Noster, prorsus eadem Eggehardi Chronica esse comperit; *Necrologium item Hildeshemensis Ecclesie*, e quo multorum Imperatorum & Principum dies emortuales cognoscas, aliaque Fragmenta, quibus Ecclesia Cathedralis Hildeshemensis illustratur. Hinc *Versus antiqui* afferuntur *de Vicelino*, quem Episcopatu Aldenburghensi (qui hodie Lubecensis dicitur,) præfecerat Henricus Leo, exhibentur, a Lindenbrogio antehac vulgati, nec non *Compendium Vitæ hujus Vicelini*, quod nuper publicavit Clar. Struvius. Ubi porro *Chronicon Weingartensis Monachi de Guelfis Principibus* exhibet Ill. Leibnitius, refert, cum animum applicare cœpisset ad Historiam Guelficam, Carolum Ducangium, Christophorum Justellum aliosque viros doctos in Gallia, cum quibus ei litterarum commercium erat, dubitasse, an verum esset, quod vulgo dudum ferebatur, Brunsvicenses ortos esse ex Atestina gente. Et quanquam diserte in adducto Chronico apud Canisium legebatur Cap. 6: *hic (Gwelf) genuit filiam Cunitiam*
(Cuni-

(Cunizam) nomine, quam Azo ditissimus Marchio Estensis &c. duxit, non diffitetur tamen, cum codicem Augustanum inspexisset (ex quo Chronicon hoc ediderat & Canisius,) observasse se, quod suspicatus erat, vocem *Estensis* esse glossema alia manu adscriptum. Rem tamen ipsam, addit, in Italiam profectum, certis se illic argumentis asseruisse, didicisseque etiam, quibus legibus Azonis posterius, in Germania Duces, cum Marchionibus Italis, ex eodem stipite prognatis, de ditionibus communis parentis transfegerint, aliaque Germanis Atestinisque scriptoribus ignorata. Subjecta est *Arbor Genealogica*, ex codice membranaceo Monasterii Vinearum opera Amplissimi Pregizeri descripta, & *Ladislai Gundheimii Canonici Viennensis Familia Welforum*, quam e Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi nactus est Noster. Sequitur *Othonis & Acerbi Morenarum Rerum Laudensium Historia*, olim a Felice Osio edita, ubi dum expeditio Friderici Barbarossæ contra Mediolanenses describitur, Henrici Leonis & Guelfi patris, qui expeditionis socii fuere, crebra fit mentio, vultusque omnis & statura describitur. *Chronicon* inde *Stederburgense*, cui inserta Gerhardi Præpositi de Henrici Leonis postremis rebus gestis beatoque ex hac vita excessu historica narratio, a Meibomio antea editum, sed imperfectum, e Guelfebytano codice hic integrum exstat. Nec indigna visa est *de Godescalco* rustico, qui Henrici Leonis ætate mira somniabat, *Narratio*, cujus Excerpta hic comparerent, qualia deinde etiam ex *Rogero Hovedeno*, paucis extra Angliam noto, de rebus gestis Henrici Leonis & filii ejus Ottonis IV Imp. afferuntur. Agmen claudunt *Gervasii Tilberiensis Otia Imperialia ad Ottonem IV Imperatorem*, cujus libri cum eam tantum partem, quæ de Imperio Romano & Gottorum, Lombardorum, Brittonum, Franconum Anglorumque Regnis conscripta est, ediderit sigillatim Maderus Helmstadii 1673, optime erudito orbi consultum voluit Noster, ubi integrum nunc, e MSpto membranaceo Bibliothecæ Juliæ descriptum & cum Cantabrigiensi MSpto partim collatum, in publicum edidit; & lectu dignissima sunt, quæ tum de Auctore tum de ipso opere erudite & prolixè in Introductione observavit.

MENSIS OCTOBRIS A. M DCC VII. 465

LA SICILIA INVENTRICE.

h. e.

DE REBUS A SICULIS PRIMUM REPER-
tis Liber, opera & studio VINCENTII AURIAE,
Doctōris Panormitani.

Panormi, apud Felicem Marinum, 1704, in 4.

Alph. 1 pl. 16.

EXimia est Siciliae fertilitas, multorum Scriptorum commen-
data calamis, atque, ubi Romani juris facta est ea Insula,
in tantum aestimata, ut frumentariis Reipublicae suae subsidiis a
Cicerone haud immerito annumeraretur. Sed vero ejusdem
foecunditas etiam in laetos ingeniorum proventus exuberavit,
quae alacri atque libero impetu non procurrerunt modo in ar-
tium optimarum studia, felicique literarum tractatu semet-
protulerunt, verum ab ultimis inde usque temporibus novita-
te quoque inventorum a se operum commendabilia extiterunt.
Eorum certe tanta fuit copia, ut Nobilissimus Vir *Vincentius*
Auria, Doctor Panormitanus, ad integri libri compositionem
materiam invenerit, quin & Observationum atque Additamen-
torum, quae subjiciuntur, Autori doctissimo *Antonio Mongitori*,
jam messe facta, spicilegium superfuerit satis copiosum. Lon-
gum foret, quae in gentis suae gloriam de rebus ad hominum
usus nove repertis uterque exponit, partite distincteque com-
memorare. Quare ex magno numero pro instituti nostri ratio-
ne haec potissimum enotabimus. Salsa maris aqua ut dulcis
reddatur, Antonius quidam modum dicitur reperisse eo tempo-
re, cum Insula *delle Gerbe* a Turcis obsideretur, & incolis ita clau-
sis deesse coepisset aqua, quam biberent. Autor tamen Obser-
vationum non Antonium ejus rei inventorem, sed Sebastianum de
Pollere nominatum fuisse monet, qui vasis destillatoriiis quinqu-
aginta tantum aquae dulcis confecerit in singulos dies, quantum
implendis 50 tonnis posset sufficere. Marmor lapillis varii coloris
distinguere coeperunt primum Panormitani lapicidae, & eodem
Sacrarium S. Rosaliae in Ecclesia Majori ornarunt, inde passim
& alibi usurpatum est, & maxime in Templo domus professa P.

p. 4.

88.

6.

p. 101 sq.

10.

114.

30. sq.

152.

61.

194.

Societatis Jesu, ubi columnæ ingentes variis animantium figuris ita exornatæ conspiciuntur, quas exinde singulari Poemate Latino celebravit Vincentius li Bassi Canonicus Panormitanus, in Horto ejus Musarum p. 145 legendo; qua occasione Auctor Observationum diversorum lapidum meminit, qui reperiuntur apud Siculos, & ab aliis etiam maximi æstimantur. Mutilus quæ ratione nasi vel labia etiam arte refingi possint, Branca quidam Chirurgus Siculus excogitasse fertur; in Observationibus vero ex Ughelli Italia Sacra Petrus Vioneus laudatur, Tropææ, quod Calabriae oppidum est, Chirurgus celebris, qui magna dexteritate, & successu egregio labia & nasos mutilos integritati donavit. Agitur inter alia de inventione rythmorum Italicorum, quam Auria noster & Observationum Autor Friderico II Imperatori, seculo XII Panormi nato, ejusque filiis adscribunt, & productis innumeris gravissimorum scriptorum testimoniis probant, quod Academiam constituerint isti vernaculam linguam expolituram, a qua Societate versus similiter cadentes facti leguntur in Collectione quadam Florentiæ A. 1527 facta, & descripti etiam ex codicibus Bibliothecæ Vaticanæ atque Barberinæ a Leone Allatio, A. 1661 prodierint; ubi ex Nonnio, in Observationibus allegato, notamus, Lusitaniæ Regem Dionysium non ita longe post Poeticum quoque studium maxime dilexisse, & fere primum carmina lingua scripsisse vulgari, Siculos imitantem cum aliis rythmorum felicissimos repertores. Artis pergestus & nutus loquendi origo ad Hieronis Syracusani tyranni tempora refertur, qui cives mutuis colloquiis prohibuit uti, fecitque adeo, ut per signa manuum & pedum atque oculorum nutus animorum conceptus promerent. Quæ dum in Notis suis ulterius probat doctissimus Mongitores, ex Francisci Mariæ Magii Panormitani de Sacris Ceremoniis libro refert, duos fuisse adolescentes Syracusanos e familiaribus *Arezzo & Daniele*, qui ingenii sui felicitate tantum profecerint in ea arte, ut secreti locorum intervallis de rebus quibusvis per solos nutus, & eos quidem non indecoros loquerentur, darentque modum illum ignorantibus credendi eam ansam, Magicis artibus alterum alterius cogitata resciscere. Addit

ita

ita multos natura surdos legere & scribere addidicisse, & multarum sibi rerum scientiam comparasse, nominatque post alios S. J. Patrem in Collegio Panormitano Iustinianum, qui Baronis *di Rafforosso* filio Angelo Mariæ Rivaloræ loquendi facultatem scribendique conciliaverit, Jo. Bonifacii librum simul laudans, qui *l'Arte di Cenni* inscribitur. Ut regionem suam a prædonum maritimorum impetu tutam magis præstarent Siculi, circa A. 1554 speculares turres invenisse in Additionibus, quas Observationibus adposuit Mongitores, monet. Eæ vero recto ordine & justis intervallis ita erectæ sunt in litore, ut excubantes in illis hostium adventum proximo cuique significare queant, de quibus, Barclajo quoque Lib. I Argenidos memoratis, Camillus Camiglianus Florentinus in MSto libro, in quorum Siciliae maritimam describit, exposuerit. Tradunt ita de Sicularum ingeniorum inventis ambo Scriptores hi supra nominati cum multa industria & cura, estque ultimus eorum in Observationibus suis in eo potissimum occupatus, ut quæ ab Auria dicta sunt, non supplementis modo suis augeat, sed optimorum etiam Scriptorum cujuscunque ætatis testimoniis, quæ magno numero adducit, quantum potest fieri, confirmet.

P. 224.

HUGONIS GROTII drey Bücher vom Rechte des Krieges und des Friedens, &c.

h. e.

HUGONIS GROTII LIBRI TRES, DE JURE Belli & Pacis, in quibus Jus naturæ & Gentium, item Juris Publici præcipua explicantur, cum Annotatis Auctoris, e Latina in Germanicam linguam translati a P. B. S. nato SCHÜTZIO, Comitum Rbutenicorum Plavien- sium Consiliario, rerum Feudalium Directore & Ephoro; cum Præfatione DN. CHRISTIANI THOMASII, Reg. Boruss. Consilarii & Professoris Juris Ordinarii in Academia Halensi.

N n n 2

Lipſiæ,

Lipsiæ, sumptibus Friderici Groschuff, 1707, in 4to.

Alph. 7 plag. 12.

Quem in vernaculam suam dudum transtulerunt exteri, nunc ope Consultissimi *Schützii* Germanice etiam loqui incipit summus Grotius, cujus consilii rationes & difficultates in Præfatione ipse doctissimus versionis Autor exponit. Nostra opera eo minus indiget hoc opus, quo magis, quid idem in recessu habeat, jam notum est. Quæ enim Grotius tradidit, nemini, qui hujus generis literis delectatur, sunt incognita, quam potens vero linguæ Germanicæ sit Noster, doctissimis scriptis aliis, ἀνορύμωσ editis, quorum nos quoque mentionem fecimus in Actis anni superioris p. 91 & 92, abunde hætenus comprobavit. In genere igitur nobis saltem asserendum est, quod summa diligentia ac exquisito iudicio, tum textus Grotii, tum singula ejus annotata, Germanico idiomate donata sint. Et ne quid desiderari posset, versus, quos ex probatis autoribus passim inspersit Grotius, metro Germanico Noster quoque eleganter inclusit.

Toti operi Præfationem præmisit Consultissimus Thomafius, in qua de statu Juris naturalis usque ad Grotium, prolixè satis disserit. Communem hominum calamitatem esse ait, quod, cum omnes diu feliciterque vivere cupiant, ea tamen agant, ex quibus vita infelix ac brevis non possit non sequi, cujus calamitatis ea censetur esse causa, quod homines mediis tam naturalibus, quam supernaturalibus, a Deo suppetitatis, non utantur, aut lumen naturale & supernaturale, rationem & revelationem, naturam & gratiam permisceant. In quo ergo discrimen luminis naturalis & supernaturalis consistat; deinde Vir celeberrimus edisserit. Nimirum lumen rationis & divinæ revelationis de intellectu, natura & gratia de voluntate dicuntur, in sensu tamen latiori lumen rationis etiam de viribus naturalibus, & gratia de supernaturali cognitione usurpatur. Hæc cum valde plana sint, res admiranda videtur, quod homines, cetera doctissimi, discrimen illud vel neglexerint, vel oppugnaverint, cujus abusus tum causæ, tum
exempla

exempla, ex philosophia Ethnicorum pariter ac Christianorum adducuntur, ac imprimis etiam Ecclesiae Patres, quos vocant, hoc nomine notantur. In specie ex doctissima Praefationis doctrina inter Doctores Ecclesiae duplex Secta exorta est, Orthodoxorum, der Rechtsmeinenden, & Mysticorum, der Geheimen, quae sectae, sibi invicem valde adversae, in opprimendo rationis usu tamen conspirarunt, illa autoritatis humanae, hac praecipitantiae in doctrina Christiana praesudicium stabiliente. Inde universalis ignorantia & servitus, nec non sanae rationis ac certitudinis sensualis oppressio, inter Christianos exorta est: miser Scholarum tam inferiorum, quam superiorum status accessit: doctrina moralis Aristotelica & Scholastica in Philosophica Facultate nullius fuit pretii: commiseratione digna Juris naturalis conditio subiectis, ut & Theologis Scholasticis, sub quibus etiam secta Orthodoxorum fuit continuata, calamitatem istam eruditis quibusdam jam ante Reformationem notantibus; non minus etiam Theologiae mysticae, cujus origo a Judaeorum Cabbala ac Gentilium quorundam Philosophorum doctrina dependere videtur, inter Scholasticos locus aliquis est relictus, adeo ut Albertus Magnus & Thomas Aquinas, magna illa Scholasticorum Orthodoxorum lumina, contrarias illas sectas conciliare sustinuerint. Ex reformatione Lutheri, Zwinglii aliorumque spes concipienda videbatur, fore, ut discrimen & verus luminis naturalis & supernaturalis usus, tam in Academiis, quam Ecclesiis restitueretur, sed erroris inveterati pertinacia, ac infelix Reformationum dissidium rem valde necessariam videntur impedivisse; hinc inter Protestantes etiam secta Orthodoxorum & Mysticorum effloruit ac magis magisque fuit dilatata. Initio igitur Seculi XVII miserrima & maxime morbida doctrinae de virtutibus & vitiis, de honesto & turpi, aut de Jure naturali fuit conditio, Scriptoribus Pontificiis omnia ad Papatum stabiliendum referentibus, ac Jus Naturae, Gentium, Mosaicum, Graecum, Romanum & Canonicum foede miscentibus, Protestantibus vero incaute illos sequentibus. Hoc rerum statu excitatus est Grotius, qui do-

ctrinam Juris naturæ restauraret, ac in tollenda luminis naturalis & supernaturalis confusione initium faceret. Hujus igitur dotes Excellentissimus Præfationis Autor enarrat, ac, commendata versionis Germanicæ utilitate, summatim ostendit, quantum adhuc dici posset, si ultra Grotium Juris naturalis historia continuanda foret, inter alia hoc etiam notans, quod mystica docendi ratio nostris temporibus eo impudentiæ progrediatur, ut doctrinam Juris naturalis, velut noxiam & periculofam, palam traducere & calumniari quidam non dubitent.

*OPUSCULA MEDICA DE STRUCTURA ET MOTU
Fibræ, de Nutritione animali, de Hæmorrhoidibus, de
Catameniis, edita a JO. DOMINICO SANTORINI,
Philosoph. ac Med. Prof. & in Veneto Lyceo
Publico Anatomes Incisore.*

Venetiis, apud Jo. Gabrielem Hertz, 1705, in 8,

Plagul. 12 $\frac{1}{2}$

Quot & qualia Opuscula Medica hic ab Auctore nobilissimo exhibeantur, vel ex titulo satis innotescit. In *primo* namque *Opusculo* structuram & motum fibræ methodo Geometrarum enodare ille ideo sustinet, quod apud Recentiores fibrarum oscillationis, crispationis ac motus passim mentio fiat, nusquam tamen evidenter exponatur, quid hæc significant nomina, aut quomodo motus ejusmodi perficiantur. Fibram videlicet nerveum vocat filamen, seu corpus teres, oblongum, cavum, in alia corpora cava non divisibile; per fibræ autem motum intelligit, quando hæc vel elongatur, vel abbreviatur, vel expanditur, vel coarctatur, vel quomodolibet alia intrinseca ratione, aut simplici, aut composita, aut ab externo, aut ab interno principio proveniente dummodo aut intrinsece immutetur villus, aut fluidum inclusum diversimode afficiatur. Si fibra tamen extra corpus tubulus vacuus, vel cum Bellino ex minimis quadrangularibus, in series instar laterum in muris dispositis, coagmentata, supponatur, eam minime moveri posse, quin minimæ illius partes

tes dispositionem mutant, & vel a contactu recedant, vel in majorem cohæſionem nitantur, fuſe prius oſtendit, quam fibræ in corpore actionem primariam hujusque cauſam internam declaret. Pro fibræ quippe in corpore, a cerebro enatæ ac inſtar chordæ citharæ neutiquam tenſæ, præcipua actione reputat, oſcillationem, quæ vi etymologiæ non niſi oris ſeu orificii motionem ſive apertionem denotet, criſpationem alias & contractio dicta, eatenus contingens, quatenus arteriarum diaſtole in utraque meninge, potiffimum pia, cerebrum comprimatur liquidumque contentum heterogeneum in fibras urgeatur, in extremitate propter ſenſationem, motionem & ſecretionem in glandulis cœcas potius, quam patulas, & figura conica præditas, aſferendas. Pro motibus vero fibræ ſimplicibus ſicuti reſtrictionem aut dilatationem, abbreviationem aut elongationem, & pro compositis elongationem ſimul & dilatationem, elongationem & reſtrictionem, abbreviationem & dilatationem, abbreviationem & reſtrictionem, venditat; ita a ſolo quidem ſpirituum motu fibrarum aut elongationem, aut reſtrictionem cum reliquis motibus peragi, non tamen a quocunq; ſpiritus impetu quamlibet motionem fibræ fieri, ſed & gradus impetus ejuſdemque directionem requiri, pluribus demonſtrat. In ſenſatione ſpeciatiim ab objectis non tam fibras, quam liquidum ſive ſpiritum contentum moveri, motumque hujus cerebro tunc communicari, quando tanta vi in refluxum agitur, ut quacunq; reſiſtentias poſſit ſuperare, variis rationibus non minus evincit, quam omnem ſenſibilium varietatem a modo refluxus dependere, exemplo tactus, viſus, auditus & doloris adſtruit. Oſſium econtra, corticis cerebri, partiumque mollium, a frigore in rigiditatem conjeſtarum, ſentiendi inertiam a deficiente liquidi nervorum refluxu derivat; neque nervos aliter, vel relaxari & elongari, vel tendi & abbreviari poſſe, indigitat, quam ſi ſpiritus diſtendens vel deficiat, vel abundet. Sed quid fibrarum contractio & relaxatio in motibus fluidorum valeant, quid e diverſo in fibræ tenſione & relaxatione ab aqua & ab oleo contingat, quidque ſtimulus ſit, & quomodo hic operetur, ſub finem uberius explanat.

In

In *Opusculo altero* circa nutritionem animale[m] ita occupatur, ut ante omnia reparationis necessitatem ex consumptione, etiam solidorum, hinc nutritionis materiam & modum, pro partium solidarum diversitate diversum, sistat demonstrata. Quamvis enim fluidorum motus intestinus, minimorum, quibus constant, quieti & contactui perfecto arcendis tantummodo dicatus, solidorum compagem vix solus possit solvere, veluti & partibus solidis dividendis, & earum particularum resistentiæ superandæ impar, nullus tamen dubitat, quin circularis sanguinis motus, quo hic ad vasorum latera validius appellitur, impetus momento vi cohesionis prævaleat partesque solutas, cum tenuiores per transpirationem insensibilem, tum crassiores per organa diversa, e corpore expellat. Non sola nihilominus fluida hic consumi, verum & a solidis, ipsisque ossibus, aliquid abripi ut confirmet, ad vim provocat, tum majorem, qua ossa in Lue venerea carie corrumpantur, frustulum ab osse denudato dimoveatur, & arteriarum aneurysmata excitentur, tum minorem, nunc in marmore duriori atterendo, nunc in cornu cervi e molliendo, extra corpus conspicuam. Pro nutritionis autem materia & modo diverso exactius determinando cunctæ corporis nostri partes solidæ vel ad nerveas, vel ad sanguineas, vel adiposas a Nostro reducuntur, & ad nerveas in specie ossa, cartilaginee, (utræque in primordio spectatæ) tendines, ligamenta, membranæ, tunicæ, & quæcunque albicantes, ad sanguineas muscoli, epar, lien, glandulæ, aliæque a vasis sanguineis rubore suffusæ, ad adiposas denique pinguedo, omentum & ossium medulla, referuntur. Adipis nempe nutritio ab oleosa sanguinis portione, per adiposas glandulas secernenda & intra sacculos membraneos colligenda, in tantum deducitur, in quantum sanguis ab arteriis in appensos sacculos oblongos, ceu glandulas adiposas, omnis quidem effundatur, parte tamen reliqua tenuiore per poros convenientes ad venas pergente, solæ particulæ pingues, tanquam reliquis crassiores, remaneant. Qua glandularum adiposarum structura supposita, pinguedinem ad sanguinem quoque promte regredi posse innuitur, si vel externa sacculorum compressione venarum orificia

magis

magis dilatentur, prout Malpighio in ranarum vena portæ ab adsitaram striarum adiposarum compressione olei guttulas sanguini admixtas licuit videre, vel sanguis ipse majori impetu irruens particulas adiposas magis magisque attenuet, aptasque efficiat, quæ venas ingredi atque vel spiculorum sanguinis correctioni, vel nutritioni, inservire queant, quemadmodum in animalibus, quæ per plures menses sola nutriuntur pinguedine. Partes vero nerveæ, ex nerveis fibris contextæ, instar solidarum tantum non omnium, a succo nervorum, qui cum spiritu animali simul propter summam hujus subtilitatem æque, coercendam ac fibras quasvis nutriendas in cerebri glandulis secernitur atque ex dissecto nervo optico animalis recens mactati evidenter exprimitur, tunc nutriri perhibentur, quando succus talis per nervorum non interstitia, sicuti Borello immerito visum fuit, sed foramina sive tubulos ab arteriarum diastole & cerebri compressione propulsus, spiritu quiescente minusve valide sese agitante, somni cumprimis tempore, ratione particularum superficiei planæ internis fibrarum parietibus adhæret, adhærensque per diuturnam quietem firmatur. Hinc ut augmentationis, nutritionis simplicis & decrementi ratio, tum a solido, tum a fluido, patefcatur, pueri tam ob partes fibrarum laxius cohærentes faciliusque a contactu per spiritum continuo influentem dimovendas, quam ob succum nerveum uberiolem, distractis partibus interpositum fibrasque elongantem, augeri ostenduntur, prout e diverso catulorum extensio frequenti usu externo spiritus vini rectificati, partes eorum rigidiores reddentis, soleat inhibere. In viris autem nullam porro augmentationem fieri posse, quod & succus uberior, ceu vel pororum vitio incipiente non productus, vel motuum violentia difflatus, & partium facilis distractio deficient; cum in senibus decrementum etiam accidat, quia vitio pororum alimentum desit, quod in partium consumptarum cedat locum. Partes demum sanguineæ, sanguineorum vasorum cumulum involventes, quoad oculum non alio modo dicuntur nutritæ, quam si vasa minima plurimo sanguine turgeant. Succus interim nerveus ne paucior nonnullis videatur, quam ut univer-

fale corporis nutrimentum constituat, quantum cum hoc fluidum, tum partes solidæ tempore æquali consumantur, pluribus decernitur.

In *Opusculo III* de hæmorrhoidum fluentium causis potissimum, & commodis atque incommodis differitur, Veterum præjudiciis de hæmorrhoidum a liene suctione, de lienis expulsionem, sanguinisve a liene fæculentioris per easdem excretionem, repudiatis. Talis enim sanguinis excretio dum & a fluidis, & a solidis, petitur, sanguis ipse monstratur, quomodo vel quantitate, vel qualitate, vel motu ita peccare possit, ut impetu suo vasorum resistantiam superet & arteriarum hæmorrhoidalium extrema perumpat; intestinum autem rectum pro concausa hujus fluxus habetur, si interius aut a fæcibus, sive acrioribus, sive durioribus, abradatur, aut a sanguine inter constrictionem pertinacioris congesto erodatur. Nec ratio, cur fluxus ejusmodi certam aliquando observet periodum, aliunde desumitur, quam quod certum requiratur tempus, quo sanguis vitium hæmorrhoidibus excitandis proportionatum acquirat. Sed ab hæmorrhoidum fluxu quemadmodum juvamen tunc in genere promittitur, quando sanguinis simul vitium per eundem potest tolli, ita in specie distincte exponitur, quando hæmorrhoides sanguini, vel quantitate, vel qualitate vel motu vitioso, conferant aut noceant, datisque etiam rationibus *Hippocratis Aphorismus II lib. 6 atra bile vexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides supervenientes bonum* pronuntians, corroboratur. Corollarii loco hirudinum applicatio, tanquam remedium impudicum, rejicitur, quod cum triangulari earum aculeo succus deleterius in vulnus una queat instillari, per hirudinum vero suctionem, aeris externi gravitati adscribendam, non sanguis fæculentior, sed purior, relicta portione rubicunda, veluti sanguinis terra damnata, sine omni electione elicitur, neque alio cum emolumento, quam quod vasa debilitentur, ut temporis tractu excretio naturalis cum majori fructu possit sequi.

In *Opusculo ultimo* fluxus mulierum menstruus non ab una causa, sed a pluribus simul agentibus, videlicet, a sanguinis plethora,

thora, vera vel notha sive rarefactione, a vasorum per uterum & per vaginam mira distributione, a seminalis denique materiae impetu, tam per totam spirituum systasin diffuso, quam vaginae partes praecipue stimulante, derivatur. Catumenia tamen termino adeo statuto fluere in dubium aequè vocatur, ac singularis Lunæ in foeminarum corpora influxus negatur, quia praecipua hujus in sublunaria vis, a pressione pendens, unice varia, prout majori vel minori illuminata parte nos respiciat, a *Bernardini Zendrini*, Autoris amico, in tractatu de aestu maris, docte fuerit ostensa. A sanguinis autem rarefactione & irritante stimulo excretionem talem, praeter dispositionem vasorum, dependere, exemplo peculiari mulieris, quæ a levissimo assumpto cathartico aliqualem catameniorum fluxorum statim experiatur, confirmatur.

*PRÆSAGIUM MEDICUM: OR THE PROGNO-
stick Signs of Acute Diseases.*

i. e.

SIGNA PROGNOSTICA MORBORUM ACUTORUM, Autore Jacobo Harvey, Med. D.

Londini, apud Georgium Strahan, 1706, in 8.

Constat plagul. 16.

PArtem Semioticæ Prognosticam traditurus Clarissimus Autor, Hippocratis, qui hac Medicinæ parte maximam sibi comparaverat famam, non solum insistit vestigiis, sed & recentiorum Medicorum Observationes allegat, rationes phaenomenorum ubique adjungens. In sedecim igitur Capita inclusit, quaecunque hoc de argumento dici poterant. Scilicet Cap. 1 de delirio, Cap. 2 de sensoriis, Cap. 3 de doloribus, Cap. 4 de corporis habitu & positu, Cap. 5 de pulsu, Cap. 6 de urina, Cap. 7 de somno & vigiliis, Cap. 8 de excretis per alvum & vomitum, Cap. 9 de ptyalismo & sanguinis sputo, Cap. 10 de sudore, insensibili transpiratione, hæmorrhagiis & sanguine ex vena extracto, Cap. 11 de respiratione, Cap. 12 de convulsionibus,

aponia, vocisque alterationibus, Cap. 13. de appetitu, colore faciei, genarum, linguæ, & adjacentium partium, Cap. 14. de horroribus, tremoribus & palpitationibus, Cap. 15. de abscessibus, bubonibus, ac carbunculis, & Cap. 16. de crisi diebusque criticis agit, & quæ signa prognostica ex hisce fontibus peti possint, declarat. Speciminis loco quædam ex Capite 1, quod deliria sistit, excerpta dabimus. Circa primam febrium acutarum invasionem liquor nerveus fixatus & confusus, motusque sanguinis languidus observatur, mox tamen spiritus animales & sanguis pristinum vigorem recuperant, hinc calor frigus excipit, & sanguis rarefactus suos canales vasaque adjacentia distendit & comprimit, illa imprimis cerebri, utpote magis contorta & complicata; unde necessario dolores, stagnationes fluidorum, & alia symptomata sequuntur. Qui calor si aliquandiu continuet, sanguis exhausto sero suo viscidior redditur, nervi & fibræ, cerebri potissimum, contrahuntur, & spirituum animalium motus producitur irregularis, sub quo variæ species repræsentantur, & anima ad illas advertens ad delirium disponitur; quod citius non desinit, nisi calore extincto, & sanguinis rarefactione sublata, id quod per somnum & evacuationes cujuscunque generis obtinetur. Bonum igitur signum esse dicitur, si delirantes somnum capiant; calorem enim non æqualem semper servare gradum, sed de vehementia sua remittere quandoque, hoc ipso innuitur. Contingit tamen subinde, ut post æstum, vigiliis & deliria nimis diu protracta, in somnum incidat æger; idque pro lethali habendum est signum; siquidem nervi & fibræ cerebri relaxatæ nimis sensibus tam externis quam internis vacare amplius nesciunt. Evacuationes quod attinet, hæc e. g. per hæmorrhagiam narium pro bono vulgo reputantur signo, sed in principio morbi hæc fiat, & sit copiosa, necesse est; calor enim hoc modo restinguitur, effervescentia sanguinis infringitur, & materiæ morbificæ pars eliminatur. Quod si vero guttatim exstillet sanguis, colorisque sit nigri, summam vasorum capillarium laxitatem, sanguinis aciditatem, & pertinacem ejus obstructionem innuit, ægrumque in mortis faucibus hæere docet. Risum delirantium equidem nil mali por-

portendere vulgo dicitur; eo ipso tamen, quod ille convulsioni a calore nimio ferique defectu productæ species est, omni periculo vacare non potest. Sic respiratio parva & debilis in delirantibus malum præbet omen; cum enim ad respirationis negotium magnus spirituum animalium requiratur affluxus, in hoc casu eosdem deficere, vel quia ex sanguine non elaborantur, vel quia ob obstructions influere in sufficienti quantitate nequeunt, innuitur. Denique delirium affectibus soporosis superveniens melius equidem ominari suadet, quatenus sanguinis velocitatem restaurari, visciditatem resolvi, & ad excretionem disponi, vel materiam morbificam in abscessum abiisse indicatur; quod si vero inflammatio sit magna, aut diutius duret, delirium dentium stridore, oculorum fixitate, urinæ & alvi excrementorum involuntaria excretionem, linguæ ariditate, & nigredine, sitis defectu, gangræna cerebri, & machinæ animalis dissolutione stipatur, & cum morte terminatur.

MISCELLANEA CURIOSA, BEING A COLLECTION of the principal Phænomena in Nature &c.

i. e.

COLLECTIO PRÆCIPUORUM QUORUNDAM Naturæ Phænomenorum a maximis ævi hujus Philosophis explicatorum, una cum discursibus coram Societate Regia ad promovendam Scientiam Physicam & Mathematicam instituta recitatis. Volumen II.

Londini, apud J. Wale, J. Senem & O. Price, 1706, in 8.

Constat Alph. 1 & 9 Tabb. æneis.

Institutum Collectoris horum Miscellaneorum jam mense Dec. 1705 commemoravimus, cum primum eorundem Volumen recenseremus. Quare breviter tantum indicabimus, quinam Discursus ex Transactionibus Anglicanis in secundum hoc

Volumen fuerint congesti. Mathematici plerique sunt, pauci ad scientiam naturalem spectantes occurrunt. Reperies ibi *Wal-lisii* Litteras ad *Richardum Norris* de collectione Secantium & vera divisione Meridianorum in mappis nauticis; excerpta ex Litteris ad *Richardum Wallerum* de spatiis in cycloide quadrabilibus; Cogitata de apparente magnitudine Solis & Lunæ prope Horizontem & in majore elevatione; Methodum inveniendi parallaxin stellarum fixarum respectu Orbis annui Telluris, & Litteras ad *D. Sloane* de generatione grandinis, tonitru ac fulguris; *Halleji* Methodum construendi Logarithmos; Methodum generalem extrahendi radicem ex æquatione quacunque, sine ulla prævia reductione; Dissertationem de constructione problematum solidorum; Discursum de numero radicum in æquationibus solidis & biquadraticis; Propositionem generalem de dimensione arearum in cycloidibus & epicycloidibus; Methodum de inveniundo vero momento ingressus Solis in signa Tropica; Synopsis Astronomiæ Cometicæ; Dissertationem Geometricam de Iride; *Iohannis Craigii* duo Problemata de solido minimæ resistantiæ & curva celerrimi descensus; Quadraturam Curvæ Logarithmicæ; Quadraturas curvarum Geometricè irrationalium; *Davidis Gregorii* proprietates Catenariæ; *Abrahami de Moivre* Specimina doctrinæ fluxionum; Methodum quadrandi aliquas species curvarum vel eas reducendi ad simpliciores curvas; Methodum elevandi infinitinomialium ad potentiam desideratam, vel ex infinitinomio extrahendi radicem desideratam; Methodum extrahendi radicem ex infinita æquatione; *Caswelli* Quadraturam portionis Epicycloidis; *Lowthorpii* experimentum de refractione aeris; *Wilhelmi Molyneux* demonstrationem erroris in planimetria per longum temporis intervallum commissi, a variatione seu declinatione acus Magneticæ propullulantis; Discursum de apparente magnitudine Solis & Lunæ prope Horizontem & in circulo verticali; Discursum de corporibus in menstruis specificè levioribus solutis ipsisque innatantibus; *Francisci Roberts* Paradoxum aliquod Arithmeticum sortitionem schedularum concernens: Anonymorum computum credibilitatis testimonii humani; Theorema de descensu corporis gravis ab

uno puncto dato ad alterum per arcum cycloidis; Scalam graduum caloris; denique Observationes de specifica gravitate variorum corporum. Ex his jam in Actis nostris leguntur *Wallisii* Methodus inveniendi parallaxin orbis annui Tom. III Supplem. p. 73; *Halleji* Dissertatio de constructione problematum solidorum Tom. I Supplem. p. 144; Methodus inveniendi momentum ingressus Solis in signa Tropica & Dissertatio de Iride Tom. III Supplem. p. 228 & 403; nec non ejus Synopsis Astronomiæ Cometicæ mense Majo hujus anni; *Gregoriique* Catenaria A. 1698 mense Julio. De reliquis specialiora dicere prolixum nimis foret, nec necessarium judicamus, cum multa eorum vel ex ipsis Actis nostris, vel aliunde dudum eruditis innotuerint, vel ex ipso libello facili labore haurire unicuique liceat, quæ sunt ad palatum ipsius. Methodum certe *Hallejanam* Logarithmos construendi & radicem ex quacunque æquatione extrahendi tum in Elementis Arithmeticæ numerosæ ac speciosæ *Edwardi Wels*, Oxoniæ 1698 in 8 editis ac tyronibus maximopere commendandis, tum in Synopsi Palmariorum Matheseos, mense Aprili hujus anni commendata; Schediasmata *Moivreana* in Animadversionibus in *Cheynei* Tractatum de Methodo Fluxionum inversa, de quibus mense Febr. anni præf. egimus, reperies. Paucula tantum ex schediasmatibus ad Scientiam naturalem spectantibus delibamus. — Cum *Wallisius* per observationes *Fosteri*, Professoris quondam Astronomiæ in Collegio Greshamensi, & *Caswelli* certus esset, diametrum Solis horizontalem prope Horizontem eandem per quadrantem deprehendi, quæ in ipso Meridiano observatur, utut contrarium a se & *Grimaldo* sæpius deprehensum esse fateatur *Ricciolus Part. 2 Almag. Lib. 10. Sect. 6. Cap. 1. Quest. 13 f. 644*, quibus Solis diameter in Horizonte aliquando ad integrum pene gradum, crebro ad 45' diameter Lunæ ad 38' & 40' visa est extendi, ac prope perpendicularitatem, refractionem altitudinem quidem, ast non Azimuthum sideris mutare, & quicumque tandem ejus fuerint effectus, Horizontem tamen semper circulum permanere: causam, cur diameter Solis & Lunæ major in Horizonte, quam in Meridiano appareat, in solam imaginationis deceptionem cum *Alhazeno*,

zeno, Vitellione, Keplero, Cartesio conjicit, quod scilicet imaginatio de magnitudine objectorum non modo ex angulo, sub quo videntur, sed & ex eorundem cum distantia supposita comparatione judicet. Idem *Wallisius* grandinem a congelatione vaporum per omnem descensum continuanda; tonitru & fulgur ab accensione exhalationum nitrosarum ac sulphurearum in nubibus commixtarum petit. *Molyneux* legem Hydrostaticæ, qua specificè graviora subsidere dicuntur in specificè levioribus fluidis, defectu quodam laborare, nec ad minimas corporum particulas applicari posse statuit. Causam igitur redditurus, cur corpora quædam specificè graviora in menstris specificè levioribus soluta non subsidant, sed iisdem innitent, e. gr. ferrum, in aqua forti solutum, supponit, in particulis fluidorum esse quandam ad unionem propensionem, adeoque fluida gravibus descendentibus resistere pro ratione superficialium eorundem. Jam cum superficies in dissolutione corporum decrescant in ratione duplicata, soliditatibus in triplicata decrescentibus; corporibus integris minus resisti a fluido, quam in particulas minimas dissolutis. Licet itaque integra resistentiæ fluidi separandæ sufficiant, non tamen sufficere dissoluta.

 E R R A T A.

Pag. 234 lin. 12 l. *nequicquam*: p. 272 lin. 29 l. *Lowerus*: p. 274 lin. 7 l. *rectius*: p. 277 l. 18 lin. *gelatinosum*: p. 308 lin. ult. l. *superiorem*: p. 328 lin. 30 in verbis *Cælum* & dele &: p. 329 lin. 34 l. *Yvon*: p. 384 lin. ult. pro *octogesimo sexto* l. *sexagesimo octavo*.

* * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno MDCCVII.

METAMORPHOSIS INSECTORUM SURINAMENSIVM, ad vivum naturali magnitudine picta, atque descripta a MARIA SIBYLLA MERIANA.

Amstelodami, sumtibus Autoris, 1705, in fol. ch. Regia.

Constat 16 plag. & 60 Tab. æneis.

ETiam in minimis emicare non satis mirandam Creatoris Omnipotentis gloriam, testantur abunde vel sola insecta, tum elegantissimis coloribus & structura singulari conspicua, tum mirabili transformatione præ ceteris animalibus maxime notanda. Haud vanum proinde laborem susceperunt præter Gesnerum, Aldrovandum, Jonstonium, aliosque Zoographos, qui seorsim insectorum tantum contemplationem adeo diligenter profecuti sunt, uti Moufettus, Godart, May, Lister, Swammerdam, Blanckard, omnes laudandi hoc magis, quo minus grata videri poterat animalculorum ignobilium, nobis maximam partem molestorum noxiorumque tractatio. Quis vero credat foeminam ea curiositate allici, ut manu sua insecta colligat, delineet vivis coloribus, ærique incidat, nec sumtibus parcens, nec periculum reformidans, quod navigatio in Americam, mora per biennium Surinami, & reditus æque difficilis minitabatur? Sed jam antehac celebritatem nominis non vulgarem sibi conciliarat, cum anno 1679 Partem primam, & post anno 1683 secundam Observationum de Insectis curiosissimam ederet. Nunc autem immortalitatem famæ inter

P pp

omnes,

omnes, quæ unquam vixerunt eruditæ mulieres, hoc opere, sane pulcherrimo meretur, utpote quod cum aliorum in hoc genere celeberrimorum artificum laboribus certare potest absque dubio. Quid? quod inter Botanicos etiam loco haud postremo nominabitur in posterum, siquidem plantæ peregrinæ, quas tanquam insectorum escam quasi aliud agendo simul depingit, vel hucusque prorsus incognitæ, vel minus accurate ab aliis descriptæ fuerunt, uti ex Figura 36, 39, 51, 56, 58, 60, aliisque satis apparet. Ceterum plantarum nomina, quæ ab incolis imposita iis sunt, retinuit Auctor; Latina vero, aliæque cognomina in Notis subjunxit Cl. *Casparus Commelinus*, M.D. qui & ipse descriptiones insectorum pariter & plantarum ab Autore vernacula lingua expositas in Latinum sermonem convertisse vulgo fertur. Denique notamus, Auctorem Observationes etiam in Germania collectas promittere, quas his, quæ in Frisia & Belgio observavit, augere & Latino pariter ac Belgico sermone edere constituit.

MISCELLANEOUS TRACTS.

feu

*TRACTATUS MISCELLANEI; AUCTORE
MICHAELE GEDDES.*

Volumen II.

Londini, apud A. & I. Churchill, 1705, 8.

Alph. i. pl. 5.

NON obscurum inter Anglos est Cl. *Geddesii* nomen, quippe qui & Historiam Ecclesiæ Malabaricæ (*History of the Church of Malabar*) Londini 1694 & ibidem triennio post Concilium Tridentinum nequaquam liberum (*The Council of Trent no free Assembly*.) cui libro, Epistolas imprimis, quas Vargas aliique summi ejus ætatis, qua Concilium celebratum est, viri scripserunt, complexo, elegantem Dissertationem de Conciliis præmisit, in publicum edidit. Hinc Miscellaneorum Volumen primum Londini 1702 vulgavit, quod æque ac reliqua ejus opera ad

nos

nos nondum perlatum esse dolemus. Nacti tamen sumus Miscellaneorum horum Volumen II & III, de quibus, etsi jam biennio abhinc editis, hoc minus tacere possumus, quo plura in iis occurrunt memoratu dignissima. Complectitur enim Volumen alterum, quod recensere nunc suscepimus, Dissertationes sex doctissimas, quas Auctor earundem amplissimus, ex historia Ecclesiastica maximam partem, ut & civilis, foro non sine delectu deprompsit. Prima harum Dissertationum Primatum Papæ excutit, eundemque ab Ecclesiæ Hispanicæ antiquissimæ facie admodum recedere ostendit. Altera, quibusnam artibus Papa in Lusitania ab A. 1641 ad A. 1666 auctoritatem suam & primatum stabilire callidissime annis fuerit, exponit. Tertia hallucinationes & errores quosdam enormiores in Martyrologio Romano, a Papa Gregorio XIII reformato, prodit. Quarta animadversiones quasdam perdoctas in Legendam S. Jacobi de Compostella exhibet. Quinta catastrophem tristissimam Antonii Perez, Philippo II Regi Hispaniarum a Regni secretis, e Scriptoribus Hispanis singulari industria collectam sistit. Et sexta demum appendicis ad primam de primatu Papæ dissertationem vicem adimplet. Affluunt omnes rerum ubertate jucundissima, & uti Volumen tertium proximo cuidam mensi reservamus, ita ex *Prima & Tertia* Voluminis hujus Dissertatione quædam hic speciminis loco delibare sufficiet.

Cum constans sit Auctoris nostri sententia, quod Ecclesia moderna Anglicana antiquissimæ Ecclesiæ Hispanicæ, qualis ad seculum usque VIII æræ Christianæ fuit, faciem quam exactissime referat; jam vero in nulla Ecclesia occidentali, præter Hispanicam illam, vel antiquiora vel magis authentica rerum gestarum documenta supersint: inde non inanem se Ecclesiæ suæ Anglicanæ operam navaturum confisus est Auctor, si Dissertatione Prima ex pervetustis illis documentis demonstraret, Papæ primatum primis Christianismi seculis partim usque ad seculum octavum in Hispania ignoratum fuisse, partim vero adhuc sub initium seculi octavi impugnatum. Quod ut evincat, ex historia Pontificum initio repetit, quod Papæ primatus in ipsa Ecclesia Latina non jurisdictionis & auctorita-

tis, sed ordinis tantum & dignitatis nomen primum fuerit. Quocirca Episcopum Romanum primum, Episcopum Alexandrinum secundum, Episcopum Antiochenum tertium semper primis seculis locum tenuisse, quod Roma, velut metropolis & Imperatoris sedes, primum, Alexandria secundum, & Antiochia tertium inter urbes Imperii locum obtinisset. Tametsi vero Episcopi Romani post ea tempora primatum auctoritatis sæpius, non absque æmulatione ceterorum, affectaverint, & contra Mauritius Imperator, imperio in Orientem translato, A. 595 Episcopo Cypriano Episcopi œcumenici nomen impertiverit: attamen Episcopos Romanos eum, quem hodie Papa teneret, primatum non nisi per Phocam, parricidam, obtinuisse, qui illum amplissimis juribus auctum cum Imperio Romam retulerit, quod Papa Gregorius Magnus cum successoribus suis Phocæ crimini admodum fuisset patrocinator. Huic itaque parricidæ, non autem Christo vel Petro, Ecclesiam hodie Romanam omne palladium seu primatum suum debere. Id quod ex eo etiam comprobari posse Auctor contendit, quod ejusmodi primatum Ecclesia Hispanica antiquissima, magnam tum Galliæ partem simul complexa, usque ad seculum VIII ignoraverit. Provocat idcirco præ ceteris ad antiquissimam XL Synodorum Ecclesiasticarum, quæ in Hispania ab A. 324 usque ad A. 694 celebratæ fuerunt, Collectionem, quam Garfias Loaisa, Archiepiscopus postmodum Toletanus factus, A. 1593 ex MStis, cum Notis quibusdam, Madriti edidit. De quorum documentorum fide dubitari posse tantum abesse Auctor commonet, ut nec ipse Baronius vel alius quidam auctoritatis Papalis propugnator illa unquam in dubium vocaverit, neque ea interpolata esse probabile sit, quod alioquin ipsa in Papæ ipsius damnum hujusque auctoritatis detrimentum interpolata credendum. Jam vero in his Conciliis, ad fidei doctrinam firmandam & ad disciplinam Ecclesiasticam promovendam coactis, ea se maxime contra primatum Papæ argumenta deprehendisse Auctor commonet: primo, quod nulla prædictarum Synodorum ab Episcopo Romano fuerit convocata, secundo, quod Episcopus Romanus nullum Delegatum in

rum in his Conciliis habuerit, qui ipsius personam repræsentaret, tertio, quod nulla Synodorum harum decreta ab Episcopo Romano fuerint confirmata, neque etiam ejusdem approbatio vel confirmatio unquam postulata, quarto, quod gratiarum actio, quæ sub finem plurimarum Synodorum occurrat, nullibi ad Episcopum Romanum, sed ad Deum unice & Regem, per quem Concilia illa convocata fuerint, sit directæ, & quinto demum, quod Acta hæc Synodalia universa raram admodum Episcopi Romani mentionem, absque ulla tamen auctoritatis testimonio, faciant. His argumentis illa porro accedere, quod Ecclesia Hispanica antiquissima verba, *Filioque*, absque ulla cum Papa vel Episcopo Romano consultatione prævia, Symbolo Cæptano A. 589 addiderit, imo Liturgiam habuerit a Liturgia Romana plane diversam, & quod Concilia illa Toletana semper exosa fuerint Pontificiis, ceu quidem illud ex Vargasii quadam Epistola A. 1551 tempore Concilii Tridentini ad Episcopum Atrebatensem scripta comprobari posset. Post hæc ostendit, quod Primatus Papæ, uti cum Pontifices Romani sub initium seculi VIII in Hispania quoque sibi arrogare ausi fuerant, per œcumenicum quoddam omnium Hispaniæ Episcoporum & Nobilium Concilium impugnatus fuerit & prorsus damnatus. Convocaverat hoc Concilium Rex Witiza A. 704 Toletum, atque decretum fuit in eo unanimi Episcoporum consensu: *Episcopo Romano nullam in Hispania vel in rebus Ecclesiasticis vel Civilibus potestatem competere.* Papa enim Romanus per edictum aliquod Clero etiam Hispano coelibatum injungere ausus fuerat. Cui edicto cum Witiza A. 702 aliud opponeret, quo gravissime edicebat, ut matrimonium in libera Cleri sui potestate permaneret, minabatur Papa Romanus Witizæ per literas, propter edictum hoc, Regni coronæque ablationem. Ad quas vero literas Witiza respondebat: *se prius Papam, quam illud faceret, cum armata manu Romæ visitaturum.* Et utut Baronius ex testimonio duarum literarum, quas se inter Gregorii VII literas in bibliotheca Vaticana vidisse asseveret, contenderet, Hispaniæ provincias per Eurlum de Roseio, Comitem, qui ob po-

testatem a Gregorio VII Papa sibi datam Mauros ex Hispania post magnas clades eiecerit, postea Papam factum D. Petro & sedi Apostolicæ fuisse partas; tamen Witizam Eurlu plane inscium, (utpote cujus nomen nunquam antea, quam in istis Gregorii literis, procul dubio supposititiis, fuerit auditum) Concilium omnium Episcoporum & Nobilium suorum, propter illud de cœlibatu edictum, a Papa Romano vulgatum, A. 704 convocasse; cujus vero Acta deinde, Papæ primatu etiam in Hispaniam illato, per Monachos, curiæ Romanæ parasitas, ipso Mariana teste, disperdita fuerint & penitus destructa. Mentionem nihilominus Concilii hujus magni facere scriptorem vetustissimum, Rodericum Toletanum, qui seculo XIII vixerit, quippe qui illud Toleti in suburbiis in æde D. Petri celebratum testetur. Nec etiam Loaisam, Conciliorum Toletanorum editorem, dissimulare, istud tempore Gonderici, Archiepiscopi Toletani, adeoque sub initium imperii Witizæ, fuisse coactum. Meminit hac occasione Auctor imposturæ *Don Luca de Tuyd*, qui S. Leandrum in Concilio Toletano XIII Papæ Gregorii M. Delegatum fuisse affirmaret; quem vero alter quidam scriptor Hispanus, *Ambrosius Morales*, dudum confutaverit, quod tempore Concilii istius non Gregorius, sed Gelasius II Romæ sederit, neque ulla in Actis Concilii prædicti Leandri cujusdam mentio occurrat. Cum itaque Concilia illa Toletana, & maxime illud A. 704 habitum, primatum Papæ non admittant, non mirum esse putat Geddesius, quod Concilia Tolétana omnia ab Episcopo Fanensi, *Petro Bartani*, Italo, in Concilio Tridentino pro schismaticis congregationibus fuerint declarata, vel eo nomine & merito postmodum Cardinali SS. Marcellini & Petri facta. Addit demum, Episcopos primitivos Hispanos in doctrina Conciliorum IV œcumenicorum tenacissime semper perseverasse, eamque in compendium redactam præ ceteris ex Collectione institutorum & canonum in primitivis Conciliis sancitorum, (secundo etiam Concilio Bragenfi in Collectione Conciliorum magna annexa,) addidicisse, quam S. Martinus, gente Græcus, & Episcopus primum Dumienfis, post Bragenfis, confecisset. His ita comprobatis argumenta

suo

suo asserto obstare visa solvit. Primo enim objici poterat, quod tamen Epistolæ Pontificum Decretales, a Turriano & Binnio contra Centuriatores Magdeburgenses adeo defensæ, testentur Papæ primatum non demum post A. 714, quæ Auctoris nostri sententia est, sed statim cum prima Christianismi luce in Hispania illuxisse & caput extulisse. At respondet Auctor, quod Epistolas Pontificum Decretales suppositivas esse eo minus dubitaturi sint, qui nomina Consulium in iis contra morem seculi sui omissa, & barbaras prorsus voces, seculis istis ignotas, imo unius Auctoris stylum in iisdem reperiri meminerint, neque illud ignoraverint, quod ipse Cardinalis Bona Epistolas illas sub Isidori nomine sub finem seculi VII compilatas alicubi asserat. Alterum aliquod argumentum suppeditare poterat Epistola Papæ Innocentii I, quam ad Concilium aliquod Toletanum scripsisse dicitur, id quod primum fuisse Loaisa ex eo conjicit, quoniam Concilium Toletanum secundum centum prope demum post Innocentii I mortem annis fuerit celebratum. At respondet Auctor, quod Epistolas illas omnes, quæ sub Innocentii I nomine circumferuntur, spurias esse jam ab Erasmo aliisque satis fuerit comprobatum; & quod Innocentium illum altero demum post Concilium Toletanum primum anno Episcopum Romanum electum ex historia constet. Tertio opponi poterat, quod in præfamine Regulæ Fidei, quam Loaisa Actis Concilii primi Toletani adnexuit, Episcopi se a Leone Papa jussos moneant, ut Regulam illam Fidei ad Balcomium, Gallicia Episcopum, mitterent. Ad quod argumentum inter cetera Noster respondet, mandatum istud Leonis historicae prorsus fidei repugnare, cum Leo A. 440 Papa electus, at Concilium A. 400 celebratum fuerit, adeoque hoc Leonis electionem integris quadraginta annis anticipaverit. Deinde quoque Balcomium eo tempore nondum Episcopatum in Gallicia tenuisse, cum duodecim demum annos post Concilium Toletanum primum Episcopatum illum acceperit. Præterea ipsam Regulæ Fidei fidem admodum suspectam esse, quia in ea verba expressa occurrant, quod *Spiritus S. a Patre Filioque procedat*, quæ tamen verba non nisi post

post ducentos ab hoc Concilio annos in Hispania fuissent recepta. Quartum argumentum conficere posse Auctor noster dicit, quod in præfamine Concilii primi Bragensis ejusdem jussus Leonis mentio inculcetur, idque una addatur, Leonem, quæ contra Priscillianorum hæresin scripserat, ad Gallæciæ quoddam Concilium per Theoribium, sedis Apostolicæ Notarium, misisse. At respondet Geddesius, quod præterquam quod jam ante ex temporis collatione fuerit demonstratum, Regulam Fidei non genuinam esse, id vel ex eo satis etiam posset argui, quod Notarii officium infra dignitatem Theoribii fuerit, utpote quem tum ipse Leo, tum Montanus religiosum maxime & benedictum Episcopum appellarent. Deinde vero in Concilio Toletano II extare aliquam Montani Epistolam, ad Clerum Palantiæ scriptam, qua non Leonem, sed Theoribium hæresin Priscillianorum scripto adgressum scriberet, idque se Leoni, Episcopo Romano, transmisisse. Quinto, opponi poterat prolixa admodum Leonis Epistola Decretalis, in qua ad Theoribium expressis verbis scribit, se in Hispania Concilium convocari jussisse. Cui vero Epistolæ Decretali Geddesius hæc opponit, quod in ea nullum diei, qua scriptum, Consulive indicium inveniatur; quod altum sit apud Montanum de hac Epistola silentium, quod in ea Spiritus S. a Patre Filioque procedere dicatur, quæ verba, si quidem genuina & per Leonem symbolo Hispanico addita, non capere tamen potest Geddesius, cur partim Leo illa non eodem tempore Symbolo Romano addiderit, partim vero, cur Leonis Successores ea per Episcopos Hispanos postmodum Symbolo suo addita improbaverint, quasi vero Epistolæ illius Decretalis, a Leone ad Theoribium scriptæ prorsus fuissent ignari. Sexto, objici poterat, extare tamen duas Papæ Gregorii Epistolas, unam ad Recaredum, Hispaniæ Regem, alteram ad Leandrum, Hispalensem Archiepiscopum, quibus Gregorius significaret, se Leandro pallium misisse. At respondet Geddesius, quod ipse Mariana non dissimulet, decem. demum post annos a Recaredi conversione literas hæc ad Recaredum & Leandrum fuisse perlatas, quod Recaredi Legatus, qui literas Regis Romam detulerit, & inde

Papæ

Papæ literas ad Recaredum retulerit, per turbidas maris tempestates hinc inde jactatus, & medios inter frementesque maris fluctus diu satis detentus fuerit; id quod utique Geddesius credita admodum necessarium existimat, si quidem Legatum decem prope annos in itinere intra Hispaniam & Italiam commoratum credendum. Deinde vero stylum harum Epistolarum a Gregorii stylo plane esse diversum; & præterea nullibi vel Recaredi vel Leandri ad Papam literas de pallio mittendo unquam esse repertas. Ultimo objici posse dicit Geddesius, quod tamen vel Concilium Toletanum XIII ad nutum Papæ Leonis II convocatum videatur, ubi videlicet hic decreta Concilii II CPTani ad Episcopos Hispanos transmiserat. At respondet Geddesius, ipsos Episcopos Hispanos monere, Leonem sese tantum per literas suas *invitasse*, non vero *jussisse*, ut decreta ista reciperent. Deinde vero Episcopos eosdem declarare, se non posse recipere decreta ista, nisi prius ab omnibus Hispaniæ Episcopis adprobata; id quod quidem etiam paulo post factum, ut scilicet illa adprobata & recepta fuerint, at quatenus cum Conciliorum, Nicæni, CPTani, Ephesini & Chalcedonensis decretis concordarent. Denique Concilium hoc gratiarum actionem non ad Papam, sed ad Deum & Regem, qui illud convocaverat, direxisse. Atque hæc aliaque plura doctissimus Geddesius in prima sua Dissertatione contra Papæ Primatum edidit. Tertia Dissertatio errata quædam manifesta & hallucinationes enormiores, in Martyrologio Romano, a Papa Gregorio XIII reformato & confirmato, veluti indicia fallibilitatis Pontificis Romani indubia, prodit. Scilicet postquam Gregorius XIII per Mathematicos quosdam non indoctos Calendarium emendare curaverat, Martyrologium quoque Romanum, librariorum, ut ipse agebat, typographorumque negligentia mendosum, Antiquariis quibusdam peritis corrigendum tradebat. Quo correcto A. 1584 d. 14 Jan. per Bullam quandam solennem edicebat, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi & Clerus omnis in Horis Ecclesiasticis, tam privatis quam publicis, hoc unice impostero Martyrologio uterentur, eique

nemo vel quippiam addere aut mutare vel adimere sub gravissimo anathemate præsumeret. Atvero tantum abfuisse, dicit Auctor noster, ut vel Martyrologium hoc ad historiæ fidem ubique fuerit reformatum, vel anathema Gregorii successores ejusdem ab interpolatione omni cohibuerit, ut potius errores quidam crassissimi, & putidissimi ab aliis etiam jam partem aliquam correcti, in eo deprehendantur. Atque sic primo statim Januarii die in Martyrologio Romano reformato primum Sanctum esse *S. Almachium*; quem vero Sanctum, omnibus ceteris Historicis ignotum, ex voce *Almanach*, Calendario tituli in locum præmissa, gravissima scribæ hallucinatione confictum Auctor conjicit, quod in pervetusto Martyrologio Corbejano atque Lucensi per Franciscum Mariam Florentinum edito, nec non in Martyrologio Antverpiensi, per Bollandum continuato, *S. Corona* ejus loco inveniat, cui eadem in his martyrii causa, quæ *S. Almachio* in Martyrologio Romano, adscribatur. Diei vigesimo quarto Januarii adsignatum esse in Martyrologio Romano reformato *S. Zynoriden*, martyrem Antiochiæ; quod cum neque viri ullius, neque foeminæ nomen unquam fuisse, sed idem quod *par* aut *bigam* notare, Galli quidam Critici cum Romanis postmodum deprehendissent, idcirco in Martyrologiis omnibus Latinis & maxime in Antverpiensi cum Barodii Notis A. 1589 edito, esse omissum. Inveniri tamen hunc Sanctum ignotum hodiernum in Martyrologio Lusitanico, eumque perinde ac *S. Sulpitium Severum*, Episcopum & discipulum *S. Martini*, cui dies 29 Jan. sacer esset, ab Hispanis & Lusitanis religiose adhuc coli; utut Severus a Papa Urbano VIII ex ipso Martyrologio Romano fuisset expunctus. Decimum sextum Februarii sacrum esse *S. Juliano*, Martyri in Ægypto, una cum aliis *quinque millibus*; ubi vero enormem quandam Gregorii Papæ hallucinationem Noster notat, quod *milites* tantummodo *quinque* cum *Juliano* occisos historiarum monumenta prodant; hincque vocem contractam *Mil*: pro *Milites* Gregorius *Mille* denotare forte divinerit: non secus ac die quarto Martii *nonaginta Martyrum* passionem

passionem Romæ in via Appiana, in Martyrologio suo adscripsisset, quem vero numerum Martyrologium Antverpiense ad *decem Martyres* reduceret. Decimo quarto die Martii mentionem fieri carceris *Mamertini*, in quo septem Martyres sancti per Apostolum Petrum Romæ fuissent baptizati; cujusmodi vero carcer, quod *Mamertinum* dictum fuerit, omnes urbis Romæ descriptiones, tum Græcorum tum Latinorum, ignorant. Vigesimo nono Maji Martyrologium Romanum notare passionem *mille quingentorum & viginti quinque Martyrum sanctorum*; quod vero Martyrum sanctorum agmen, sicuti nullibi amplius quam in *Actis S. Venantii*, ipsi Baronio suspectis, legatur, ita quoque in Martyrologiis, Lucensi, Corbeiano, aliisque pervetustis esse omissum. Atque eadem certitudine fideque infallibili passiones pariter *decem mille* Martyrum in monte *Ararath* die vigesimo secundo Junii, una cum passionibus *mille quadringentorum & octoginta* Sanctorum in Samaria die eodem, nec non *decem mille ducentorum & trium* Martyrum passiones die nono Julii niti. Die vigesimo quarto Julii notatum esse in Martyrologio Gregoriano *Amiterni* in Vestinis *octoginta & trium militum* martyrium: ubi vero Martyrologia vetusta insignis admodum erroris Gregorium arguerent, quod ille vocem abbreviatam *Mill*: pro *Milliaria*, in *Milites* egregio facinore commutaverit. Nam in Martyrologiis, Lucensi & Corbeiano, ut & in quodam Reginae Sueciae Martyrologio pervetusto ita legi: *in civitate Amiternum, 83 milliaria ab urbe Roma in Via salutari natalis S. Victorini*. At salvam forte rem pro Gregorio existimaturos, qui Baronium *vexillarium* quoque & *ducem* horum *militum*, quorum alteri *Florentini*, alteri vero *Felicis* nomen fuisset, confinxisse non ignoraverint. Die primo Augusti in Martyrologio illo Romano hæc legi: *Romæ passio sanctarum Virginum, Fidei, Spei & Charitatis, martyrii corona exornatarum sub Adriano Imperatore*. At cum nullibi amplius trium harum virginum, uno eodemque die, uno eodemque loco interfectarum mentio occurrat, suspicatur oculatissimus noster Geddesius, quod vel error hic ex *Calendario gentili* in Martyrologium Romanum ir-

repperit, in quo *Festum D. Spei* celebratum legatur; vel quod, cum virtutes tres cardinales, *fides, spes, & charitas*, perpetuum Romæ martyrium subeant, diem hunc, Gentibus etiam festum, virtutibus illis, veluti personis dirissimo martyrio subjectis, consecrare, Gregorius religiosum omnino duxerit. Ad diem quintum Augusti, quo in Martyrologio Romano hæc leguntur: *Augustæ Vindellicorum, Natalis S. Afræ, quæ prius Paganæ, postmodum ad Christum conversa per S. Narcissum, Episcopum*, adnotat Geddesius, quod ejus loco in Martyrologio Lucensi & Reginae Sueciæ legatur: *in civitate Augusta passio Sancti Afræ*; quæ verba Notakeri Martyrologium magis adhuc illustraret, quod habet: *in Augusta Euphratensi nativitas S. Afræ*. Binas itaque adesse in Martyrologio Romano hallucinationes, unam, quod nomen viri *S. Afræ* cum nomine foeminae *S. Afræ* sit commutatum; alteram, quod *Augusta Euphratensis* in *Augustam Vindellicorum* sit transformata. Ac utut Gregorius hunc errorem per *matrem S. Afræ* videlicet *S. Hilariam*, palliare veluti videatur, utpote cujus martyrium pari errore *Augustæ Vindellicorum* una cum trium famularum suarum, *Dignæ, Euprepia & Eunomia*, martyrio die duodecimo Augusti venerari in Martyrologio suo Reformato jusserit: at cum *S. Hilaria* non in *Germania*, sed in *Syria* martyrii coronam impetraverit, & famularum illarum nomina bellissima aliis scriptoribus ignota sint, hinc Geddesius eundem errorem ex Martyrologiis etiam pervetustis, ut alia plura, confutat.

SILVA, OR A DISCOURSE OF FOREST-TREES:

Terra, a Philosophical Essay of Earth, &c.

hoc est,

STILVA. SEU DISCURSUS DE ARBORIBUS SYLVESTRIBUS: Terra, seu tentamen Philosophicum de Terra, cui annectitur Pomona, seu Appendix de arboribus frugiferis, quatenus eorum fructus siceris parandis inserviunt, una cum variis methodis hoc potius genus conficiendi.

Item

Item Acetaria, seu Discursus de lactucis, una cum Calendario Hortensi. Autore JOHANNE EVELYN, Armigero, Regiæ Societatis Socio.

Londini, apud Rob. Scott, Rich. Chiswell, Ge. Sawbridge & Benj. Tooke, 1706, in fol.

Constat Alph. 7 plag. 15, cum aliquot Figuris æneis.

Variis jamdudum scriptis inclaruit eruditissimus *Evelyn*, quorum pleraque ob utilitatem suam plus simplici vice recusa. Debemus huic Autori *Sculpturam* seu *Historiam Chalcographiæ & incisionis in æs*, in 8; *Architecturam parallelam, ex X celebribus Architectis contextam, cum Discursu de terminis Architectonicis & Tractatu de Statuis*, in folio; *Ideam perfectionis Artis pingendi*, in 8; *Navigationem & Commmercium, utriusque originem & progressum*, in 8; *Tractatum de Munere publico vitæ solitariae preferendo*, in 8; *Fumifugium, seu invektivam vaticinam in tabaci usum*, in 4; *Numismata seu Discursum de Numismatibus*, in fol. *Hortulanum Gallicum*, in varia forma publicatum, & *Discursus hortorum atque sylvarum culturam concernentes*, qui antea separatim sæpius editi, nunc in unum Volumen congesti. Inter hos primum locum obtinet *Sylva*, seu *Discursus de arboribus sylvestribus*: in quo cum Autor de terra, semine, aere, aqua, seminariis, ac transplantatione nonnulla observatu necessaria tradidisset, speciatim de variis arborum sylvestrium generibus, quercu, ulmo, fago, carpino, fraxino, castanea, juglande, forbo, sycomoro, tilia, populo, orno, corylo, betula, alno conifera & julifera, salice, moro, platano, loto, cono, acacia, abiete, picea pinu, pinastro, cedro, junipero, cupressifera, subere, ilice, alaterno, celastro, ligustro, philyrea, myrtillo, lentisco, oliva, malo punica, arbuto, buxo aliisque, nec non de arboribus subterraneis prolixè differit. Cum cura annotat, quænam circa plantationem singularum specierum sint observanda, quodnam unicuique solum conveniat, quem item habeant usum. Exponit præterea infirmitates arborum; quomodo a superfluis purgentur, edocet; de ætate & statura earum discurret; methodos ligna cædendi, cæsa per machinas in

asseret dissectandi, colore vario tingendi describit; de materia ac ejus usu differit; aphorismos generales doctrinis suis utendi proponit; leges & statuta, quibus sylvarum incrementa promoveri possunt, expendit; historiamque arborum contexit. Notat inter alia, ligna eo in statu cædi debere, in quo maximus arborum vigor, quando scilicet ad mediam ætatem pervenerunt, quam per naturam attingere valent, e. gr. quercum cædendam esse, si ad ætatem 50 vel 60 annorum pervenerit. Affert etiam Cap. 4 Lib. 3 f. 255 & seqq. experimenta, quæ de viribus ad frangendum ligna requisitis anno 1663 & 1664 coram Societate Regia sæpius iterata. Scilicet frustum ligni abietini, cujus longitudo erat 2', crassities 1'', pondus $8\frac{1}{6}$ unciarum, non nisi per 200; simile frustum ligni robustei, cujus pondus erat $12\frac{3}{4}$ unciarum, non nisi per 250; & frustum ligni fraxinei, cujus pondus erat $10\frac{1}{4}$ unciarum, non nisi per 325 librarum vires frangi potuit. Cum longitudo esset 1' crassities $\frac{1}{2}$ ", ad lignum abietinum, cujus pondus 1 uncia, & ad lignum robusteum, cujus pondus $1\frac{1}{8}$ uncia; frangendum, $\frac{5}{8}$ centenarii; ad lignum fraxineum, cujus pondus $1\frac{3}{8}$ uncia, 100 libræ requirebantur. In Discursu de *Terra* varia ejus genera considerat & præcepta ad culturam terræ utilia proponit, non aliunde compilata, sed per certas experientias, plerumque proprias, comprobata: is anno 1675 Societati Regiæ primum exhibitus nunc tertia vice prodit. Sanguini animalium vim terram mire fecundandi tribuit, & lapillos hinc inde dispersos agris proficuos magis, quam noxios esse monet, cum terræ calorem ac porositatem conservent, subitamque exhalationem impediunt. Omnem autem terræ fecunditatem a Sale ducit. Exigui, qui *Pomona* inscribitur, Tractatus argumentum ex ipso titulo manifestum est: ipsi vero quæ annectuntur, methodi ex pomis siccis (Cider) conficiendi complures sunt variosque Autores agnoscunt. Reperias ibi, quæ de hac materia commentati sunt *Beale, Paulus Neilius, Johannes Newburgh, D. Smith, Syllas Taylor Capitaneus, Daniel Collwall, Cook, Thomas Hammer & Anonymus*, cujus summa hac in re experientia commendatur. Sub finem

Tractatus

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.




Fig. 5.



Fig. 4.





Fig. 6.



187

187-188



Tractatus describitur machina a *Roberto Hookio* inventa ad liquorem ex pomis facile exprimendum : cujus constructio ex Fig. 1 patet, ubi *a* axin denotat, quo mediante vel ab homine, vel a brutis, vel aqua, vel vento quatuor cylindri *a b c d* moventur. Duo cylindri priores *a d* poma frangunt; posteriores *b c* succum exprimunt. Illorum distantia est $\frac{1}{2}$ " ; horum minima, quæ fieri potest, ne motus impediatur. Per foramina tabulæ *bb* liquor expressus in vas *ff* destillat & receptaculi *ee* fundus inclinatus est, ut ad cylindros poma devolvantur. Reliqua figuræ adspectus edocet. Ichnographia cylindrorum *b, c, d, a*, in Fig. 2 continetur. In Acetaria omnes herbæ ac radices describuntur, quæ lactucæ vicem subire valent. Commemorantur nempe hipposelinum, carduus sativus, basilicum, melissa hortensis, beta, blitum hortense, buglossum latifolium, anagallis aquatica, cornu cervinum, buglossum augustifolium, pimpinella, gemmæ quarundam arborum & fruticum, summitates variarum plantarum, brassica, pastinaca sativa tenuifolia, chærophillum, horminum sativum, valerianella campestris inodora major, verbascum pratense odoratum, nasturtium hortense, cucumis sativus, bupthalmum, condrilla, oxylapathum, bulbocastanum, sambucus, endivia, fœniculum, flores varii, allium, porrum capitatum, capsicum, lupulus, hyssopus, alliaria, arbor Judæ, lactuca sativa, limonia, malva, melo, mentha, fungi esculenti, sinapi, urtica, cepa vulgaris, cipolini, porrum, cepa Ascalonica, artiplex, malus Aurantia, pastinaca, sium majus latifolium, lapathum hortense sativum, pisum, petroselinum vulgare, portulaca hortensis, raphanus, rapunculus, eruca sativa, rosmarinus, salvia, crithmum marinum, cochlearia major rotundifolia, apium Italicum, sifarum sativum, acetosa, sonchus, asparogus, spinachia seu lapathum hortense, vermicularis insipida, cichorium sylvestre, tanacetum, dracunculus hortensis, carduus Mariæ, thymus, rapum vulgare, vitis, viperaria, trifolium acetosum. De omnium usu ac efficacia adduntur observationes non contemnendæ, & sub finem catalogi comparent regulæ generales de præparatione lactucarum, una

TAB. IX.

Fig. 1.

Fig. 2.

cuna

TAB. IX.
Fig. 3.

Fig. 4.
Fig. 5.

Fig. 6.

cum Tabula, in qua singulis mensibus suæ species assignantur: quibus absolutis de illarum plantatione prolixè agitur. Denique in Calendario hortensi, cujus hæc est decima editio, exponitur, quænam in agrorum & hortorum cultura singulis mensibus fieri debeant. Extat sub finem nova ratio extruendi ædes, in quibus arbores exoticæ per hiemem conduntur, hac prærogativa gaudentes, ut per eas continuo aer recens ac temperatus circuletur. Manifesta fit ex Fig. 3, in qua A repræsentat tectum, B parietem versus septentrionem directum, C aream interiorem, D fornacem; 1 aperturam, per quam cineres expurgantur; 2 focum; 3 extremitates tuborum, per quos aer in ædes defertur; 4 caminum, per quem fumus & aer ex ædibus expulsus ascendit; 5 canalem, per quem aer expellitur; 6 aperturam, per quam in istum canalem aeri via patet; 7 thermometrum ad caloris gradus examinandos. In Fig. 4 E exhibet situm trachearum in fornace, *aa* sectionem muri, *bb* tracheas, *cc* orificia trachearum. In Fig. 5 F designat integram fornacem: *a* aperturam ad cineres expurgandos; *b* focum; *cc* projectionem trachearum; *dd* tracheas ipsas; *e* caminum; *ff* murum, ad quem fornax extructa & per quem tracheæ in ædes transeunt. In Fig. 6 denique G pars fornacis cineres excipiens; *a* apertura, *bb* extremitas canalis aerem ex ædibus in fornacem vehens; *dd* focus; *e* obturaculum.

GRÜNDELZEHEN BERZEHE
von vielen Monarchien.

seu

HISTORIA MULTARUM MONARCHIARUM,
quæ in Oriente a Nimrode usque ad Cyrum florue-
runt; Autore CASPARE

ABELO.

Frankofurti, apud Christ. Genschium, 1705, in folio.
Alphabet. 1.

VEterem Historiam innumeris fabulis tantum non obsitam cum deprehenderet Cl. Autor, ad eam illustrandam omnes ingenii

ingenii sui nervos intendere decrevit, hancque primam Partem majori Operi præmisit, ut de reliquis quoque hinc judicium ferri possit. Rem autem ab ovo, ut ajunt, orsurus, statim Cap. I vanam illam & historiæ damnosam de Quatuor grandibus Monarchiis persuasionem, quæ insedisse jam & inveterasse in plurimorum animis videtur, non uno argumento, e sacris profanisque depromto literis, refellere atque adeo eradicare nititur. Hinc C. II antiquissimum omnium perquirens Regnum, Nimrodem invenit primum, incertum tamen quo speciatim seculo post diluvium, in planitie Sinear, ingentem istam Turrim molitum, quæ Phari usum obtinere debuerit, ne rudes & timidi mortales cum gregibus suis in vicina Arabiæ deserta aut alias remotiores oras aberrarent. Hoc vero cum non successisset, ipsum in eadem regione fundamenta asserit novi Regni jecisse; nec tamen eum ideo pro conditore Assyriaci aut Chaldaici Imperii habet, sed Arabibus potius annumerat, multoque minus Kedorlaomerem, Elamitarum, & Cuschanem, Mesopotamiæ Reges, in longam istam fictorum Monarcharum seriem intrudit. Nihil quoque C. III varias Ægyptiorum Dynastias moratur, quæ, ut Mosis jam ævo in unum Regni corpus coaluerint, neminem tamen ante Sesochrin, s. Sisacum titulo Monarchæ dignum judicat, quippe qui primus, tota pene Asia perdomita, hanc sibi suisque gloriam acquisiverit, mox tamen a filio suo Rhamse neglectam, & a Memnone Filio Auroræ Sufiano (לרר הכושי. 2. Par. 14) infeliciter repetitam; sub cujus deinde genero Proteo πολυκοιρανίη denuo in Ægypto radices egerit, quam Sabacon quidem Rex Æthiopum suppresserit, eo vero post necem filii Thearconis in patriam refugiente, δωδεκάρχια repullularit, a Psammeticho tandem plane sublata, altero quasi Monarchiæ instauratore, quæ tamen paulo post a Chaldæis valde labefactata, a Persis vero funditus everfa fuerit. Ceterum C. IV Israelitis, quos olim quoque nomine Syrorum, Assyriorum, Æthiopum, Indorumque interdum ab Ethnicis designatos fuisse docet, Dynastiam Pastorum in Ægypto vindicat, ex Josepho, primum eorum Regem Salathin, (שלש. Genes. 42. 6) reliquos vero ex posteris ejus, aut

agnatis, formatos fuisse conjiciens. At Misphragmuthosin, Ægypti Superioris, seu Thebaidos Regem, Regno Tanitico destructo, ultimoque ejus Rege Phoronæo Danao, i. e. Pharaone Tanios, in Græciam abire coacto, ipsis se admodum difficilem præbuisse, cujus tamen successore Thamo, seu Amose in Mari Rubro submerso, Israelitæ in Palæstinam reduces, Theocrati- am primo, mox Reges potentissimos, Davidem & Salomonem habuerint, quorum hic navigationes in Ophir (Indiam) & Tharsis (Hispaniam, quæ non minus ac Iberia Asiatica nomen suum Ebræis debeat,) magno cum fructu instituerit, Assyriis tamen æque ac Hadadus, Haseel, & reliqui Syriæ Damasce- næ Reges, (de quibus C. V agit) falso attributi fuerint. Hos e- nim non ante tempora Puli, seu Tiglath Pilefari, rerum in A- sia potitos, & hunc cum posteris suis, Salmanasare, Senache- rimo, & Asarhadone, ex Sacro Codice notissimis, eos esse, qui Græcis & Latinis Belus, Ninus, Semiramis, & Sardanapalus vocentur, Holofernem vero, seu Osnapharem (Esr. IV, 10) hu- jus ducem bellicum fuisse, C. VI multis, nec sane ficulneis probatum it rationibus. Porro C. VII Chaldæorum excutit antiquitates, quos ipsi demum videtur Cuschanes Mesopota- miæ Rex (aliis Evechous, unde forte Græcorum Bacchus) A- rabibus expulsis in Terram Sinear introduxisse, Belus vero, seu Ninus, illos Assyriis subjecisse, a quibus sub Semiramide defece- rint, a Sardanapalo rursus in ordinem redacti, cujus tamen ex- tremam mollemque senectam Gubernator Babylonix Nabop- olassar despiciens, eum ad mortem adegerit, filiumque Ne- bucadnezarem Judæorum Ægyptiorumque domitorem fa- mosissimum habuerit. Huic Evilmerodacum, s. Belsazarem & isti Neriglifarem, s. Darium Medum successisse, cujus filii La- bosfordaci necem Cyrus Persa ulturus Nabonidum ultimum Chaldæorum Regem de throno deturbarit. Eadem fere Me- dorum fata fuisse C. IIX memorat, Cyaxarem præ ceteris il- lorum Regibus meritis evehens laudibus, cujus quidem patrem Phraortem Assyrii, & fratrem Cyrum Medum, s. Artibarnam Sacæ conciderint, ipse tamen nihilo secius ope Chaldæorum Niniven solo æquaverit, & paulo post mortem obiturus, Astya- gem fi-

gem filio suo Dario Medo tutorem constituerit, quem ducta ipsius vidua Aryeni Regnum invadentem Cyrus Persa, (Cyaxaris ex filia nepos, tandem eo spoliaverit. Inde C. IX ad Lydos progreditur, & præcipue res gestas Regum tertiæ Mermnadarum familiæ exponit, Assyrios ipsis non secus Cimmericos, ac Medis Sacas immisisse persuasum habens. Denique C. X Historiam quoque aliorum minorum gentium in Arabia, Phœnicia & Asia succincta brevitate subnectit, obiter quoque nonnulla ad Græcos Germanosque spectantia attingit, quorum nempe majores in Asia Minore; & istorum quidem ad Mare Ægæum & Hellespontum, horum vero ad Pontum Axenon, s. Euxinum sedes suas primitus habuisse, inde vero paulatim, nec uno tempore, in Europam transisse; istis vero primum Ægyptios, deinde Phœnices, permistos fuisse, & hinc varia bella subnata, existimat; quorum tamen omnium uberiores tractationem secundæ Parti reservat.

*MANICHÆISMUS ANTE MANICHÆOS, ET IN
Christianismo redivivus. Auctore M. JO.
CHRISTOPHERO WOLFIO.*

Hamburgi, sumptibus Christiani Libzeiti, 1707, 8.

Constat Alfab. 1 & 10 plagulis.

Communis quidem mortalium omnium labes est de rebus judicare minus perceptis, quæ judicii humani temeritas unica est & nota satis errorum quorumcunque scaturigo: ast sæpius eousque partem hominum maximam progredi, ut opiniones, quæ ne speciem quidem veritatis præ se ferunt, communi quadam consensione ac sine hæsitatione affirmant, id indubium forte quis vocaret, nisi constanti rerum gestarum memoria & usu vitæ quotidiano res esset certissima & in aperto posita. Eruditus dissertationis præsentis Auctor, cujus nomen jam bis in Acta Eruditorum haut abs laude retulimus, utpote A. 1705 pag. 301 & A. 1706 p. 405 exempli loco in medium adfert duplicem a veritate aberrationem adeo crassam, ut mentis caliginem vel manibus palpare queas, quæ nihilominus utraque

p. 4.

10.

13.

15.


20.

24.

omni hominum ætate, omni terrarum loco innumeros invenerit adstipulatores. Altera Secta asserere audet, ipsam Dei essentiam esse materiam, ex qua, quæcunque totum hoc, quæqua patet, universum ambitu suo complectitur, facta sint omnia. Altera duo comminiscitur principia diversæ plane indolis, bonum alterum, alterum malum, quibus creaturæ quælibet suos debeant natales. De priori quidem errore plenior nobis pollicetur tractationem, qua grandem eorum multitudinem, qui in falsissimæ hujus doctrinæ caput consenserint, est commemoraturus, posteriorem autem, famosi Manichæismi titulo non abs re insignitum, præsentis commentatione persequitur. Dissilit vero Tractatus hic Historico-Philosophicus in tres Sectiones.

Sectione I investigatur origo falsæ de duobus principiis sibi contrariis sententiæ, quam heic adscriptam videmus partim fraudibus callidissimi Satanæ, partim turpi hominum incuriæ. Satanam vult Cl. Auctor arborem vetitam Gen. III, 3 seq. nomine scientiæ boni & mali insignivisse, secutus, uti testatur, bigam Theologorum inclutam, D. Seb. Schmidium & Summe Reverendum D. Neumannum, idque fecisse Cacodæmonem, ut Protoplastis persuaderet, non ad se, sed ad materiam mali originem esse referendam. Incuria hominum depravatam esse ac susque deq; habitam veterem cum de mundi creatione traditionem, gentilibus ceterum non omnino ignotam, tum de Angelorum hominumque lapsu narrationem. Postquam enim in oblivionem abiit, ac ferme negata omnino est vera rerum creatarum origo, æqualem Deo & materiæ tribuisse homines corruptæ rationi relictos ætatem, famoso illi & pervulgato axiomati: *ex nihilo nihil fit*, tanquam immotæ basi penitus innixos. Similiter cum & lapsus primi hominis memoriam omnem tolli funditus ac deleri ex animo suo passi essent propria culpa, plurimis tamen totum hoc universum malis scaterere cernerent, necesse putarunt, aliud præter Deum, omnis boni auctorem, comminisci principium, quod in se malum malos quosvis effectus produceret.

Sectione II erudite demonstrat, tam late sese diffudisse erroris hujus scaturiginem, ut omnes ubivis terrarum infecerit sectas, gentilium Philosophorum non solum, sed & illorum, qui

qui Christi nomen profitentur. Inter *Hebraeos*, a quibus initium facit, quam plurimos  seu malorum geniorum cultui, ne sibi damno essent, indulgisse, quin recentiores eorum Philosophos ex materia mali originem derivasse. *Chaldaeos* in eodem hæsisse luto, effici posse existimat, non solum ex binis illorum sectis, *Orchenis* scilicet & *Borsippenis*, sed etiam exemplo *Zoratae* summi Philosophiæ Chaldaicæ Magistri, qui duo sibi adversa admiserit principia. Ab hisce *Persas*, *Zoroastro* duce, didicisse *Hormisda* & *Arimanium* divina profèqui veneratione, & lucem illi, huic tenebras adscripsisse. *Persas* excipiunt *Ægyptii*, qui coluerint & *Osiridem* ceu boni omnis auctorem, nunc *Amunis*, nunc *Knephi*, nunc *Pbiba*, nunc aliis nominibus insignitum; & *Typhonem* fratrem quidem *Osiridis* sed maxime adversum & in contraria prorsus studia nitentem. Inde accedit ad *Zabios*, qui teste *Maimonide* partem cultus divini retulerint ad *Solem*, *Deorum* summum ac *Boni* *Dominum* illis vocatum, partem ad *Sammaelem* *Cacodæmonum* suorum principem. Sequuntur moderni *Orientis* incolæ, *Calecutenses* videlicet in *India Orientali*, qui *Temeranem* & *Deumum* adorent, *Gurdi* & *Tapujarum* seu *Tapajonum* gens duplex itidem numen venerantes, *Siamenses* *Sommonacodomi* & *Theucetati* cultores, *Japonenses* item & *Chinenses* pari jure in *Duitarum* numerum referendi. Europæos quoque veteres *Cacodæmonem*, ne sibi noceret, sacrificiis placasse, æque ac *Deos* sibi benignos coluerint, vel *Tybelini* Germanice *Teuffel*, *Zernebochi*, *Zutti-beri* & alia *Deastrorum* nomina satis efficere. Inde pedem promovet ad *Græcos*, atque primum ex veteribus *Poetis*, dein ex secta *Jonica*, porro ex *Pythagoricis*, tum ex *Eleatica* & *Epicuri* schola, ulterius ex *Platonicis*, tandem ex *Peripateticis*, denique ex *Stoicis* producit testes, qui vel duo sibi invicem adversa principia, vel materiam *Deo* coæternam a suis statui, aperte fateantur. *Chorum* gentilium claudunt *Latini*, qui teste *Gellio*, *Dijovem*, ut juvaret, *Vejevem*, ne obesset, adorarint. Gentilismo ita relicto ingreditur castra sub duce *Christo* militantium, atque & inter illos reperit hoc duplicis rerum principii veneno infectos. Antesignanum agit *Simon Magus*, fe-

p. 35.

43.

47. sq.

59.

76.

89.

92. sq.

101. sq.

169. sq.

175. sq.

quuntur Menander, Nicolaitæ, Saturninus, Carpocrates, Adami-
 tæ, Cainiani, Ophiani, Valentiniani, Bardesanes, Cerdoniani,
 Marcionitæ, tota Gnosticorum soboles, Docetæ quadantenus,
 Tatiani quoque, Hermogenes, & præcipue Manichæi, qui tanto
 conatu ornandum defendendumque susceperunt hunc errorem,
 p. 215. sq. ut inde vulgo dicatur Manichæismus. Quamobrem diutius pau-
 lulum immoratur historiæ Manetis doctis observationibus col-
 lustrandæ & a strophis, quod ait, Arnoldi liberandæ. Postea
 237. sq. inquit diligenter in Manichæorum affeclas, non veteres
 solum, utpote Seleucianos, Messalianos, Paulinianistas, Bogo-
 milos, Albigenses, quoque secundum nonnullorum, a quibus ta-
 259. sq. men dissentit, sententiam; verum etiam recentiores, quos in-
 ter & cœtus nostri Deo devoti socios retulerit Balthasar Be-
 ckerus, ast plane abs re, cum in Flacio Illytico, & Eilhardo
 Lubino Manichæismus publica Ecclesiæ nostræ auctoritate re-
 266. sq. jectus atque damnatus sit. Majori autem jure inter Manichæ-
 os neotericos primum sibi vindicat locum fanaticorum co-
 hors, Weigelius præsertim, Böhmius ejusque, uti Cl. Autor vult,
 discipulus, non magister, Robertus Fluddus, Quackerorum item
 colluvies, & recentiores quidam, quorum placita, si non o-
 296. mnia, præcipua tamen ex Manichæorum fonte profluere, plu-
 ribus argumentis demonstrat. Ultimo loco etiam Pontificio-
 rum, Calvinianorum & Socinianorum dogmata, quousque ad
 Manichæismum accedant, examinat.

305. *Sectione III* complectitur argumenta gentilium testimo-
 niis collustrata, quibus sententiæ de duobus principiis coæter-
 nis vanitatem demonstrat. Scilicet repugnare docet infinitæ
 Dei perfectioni omnes res reliquas bonitate superandi, existere
 aliquid a Deo diversum, quod ipse non excedat, sed sibi sit æ-
 307. quale. Non absolutam fore summi Numinis potentiam, si
 patiatur, se inter & aliud, cui in mala potestas relinquatur, di-
 313. vidi imperium. Periclitari summam Dei felicitatem, si æqua-
 lem ei adjungeres adversæ plane indolis, metu, quem ei incu-
 314. teret. Adversari justitiæ pariter ac sapientiæ divinæ, quod
 creaverit animas ab omni scelere puras, easque vel obtulerit ipse,
 319. vel invitus permiserit malo principio vitiandas. Tolli omnem
 actionum

actionum humanarum & bonitatem & malitiam, cum quod male agant, non ipsis, sed malo principio sit adscribendum. Denique neque, quem cernimus, perpetuum & eundem in gubernandis hujus universi rebus ordinem duos admittere Deos, potestate pares, studiis autem ita a se invicem sejunctos, ut in unum nunquam conspirare possint. Hisce postquam Cl. Auctor adversarios oppugnavit argumentis, convertit se ad alia, quibus ipsimet errorem suum asserere conantur, illaque examini submittit. Quæ cum Bælius in Dictionario suo collegerit, proque virili & ornaverit & nervum probandi intenderit, hunc unum instar omnium elegit, adversus quem tela sua dirigat. Ipse quidem Bælius Manichæorum numero adscribi non vult, id maximo tamen studio evincere contendit: seposita Sacri Codicis auctoritate, solam hominis rationem nimis imbecillum esse ad dogma de duobus principiis convellendum. Plures autem hac sententia in se concitavit antagonistas, præsertim *Jo. Clericum, Guil. King* Anglicum Episcopum, *Isaacum Jaquetotum*, uti vel ex Actis nostris p. 440 anni 1705 patet, *Jurieuum, Jacobum Bernardum* & alios, qui non Scepticismi solum, sed plane Atheismi dicam ei scripserint. Quid singulis responderit, instituti brevitate dicere prohibemur, summa autem argumentorum eo redit: originem mali a Manichæorum adversariis in ipsum hominem rejici, voluntate sua libera, qua se ad bonum æque ac malum determinare poterat, male usum. Cum autem Deus hominis lapsum præviderit, incubuisse ei per bonitatem suam, aut obstaculis omnibus liberi arbitrii impedire abusum, aut hoc libertatis dono non beare hominem; quod quoniam non fecerit, sed labi hominem permiserit, coram rationis sibi relictæ judicio ab ortu mali vindicari non posse, ac proinde a Philosopho gentili rectius duo coæterna admitti principia. Varia quidem responsi loco ab Auctore in medium adferuntur, in eo autem argumentorum, quæ subministravit, nervus præcipuus nobis situs videtur. Placuisse summo Numini in gloriæ suæ augmentum producere hominem, hoc est, creaturam in eo ab omnibus ceteris diversam, ut non animo solum constaret ac corpore, sed etiam spontaneo voluntatis

p. 323.

329.

333. sq.

369. sq.

399. sq.

luntatis motu in Creatorem suum, maximo propriæ suæ felicitatis incremento. Prævidisse quidem liberi arbitrii abusum, noluisse tamen propterea consilium immutare tam sapiens, tam sanctum tamque salutare, cum hominem instruxerit sufficientibus lapsus evitandi viribus, & serio ipsum, ut sibi caveret, præmonuerit. Iis autem omnibus ab homine turpiter neglectis, permisisse & lapsum, ne libertatem semel ipsi donatam vi irresistibili iterum adimeret, permisisse etiam mala ex lapsu in inobedientem resultantia, ut justitiæ suæ fieret satis, in primis cum Deo haud deessent sapientissima damnum hoc instaurandi media. Cujus argumenti robur ubi Bælius advertit, mutavit aciem & liberum arbitrium in homine plane sustulit atque negavit. Non integrum nobis est brevitas studio referre, quæ in utramque partem sunt disputata, id tamen præteriri nequit, inter sententiæ Bælii oppugnatores celeberrimum Angliæ Episcopum Kingium eoque progredi, ut libertatem homini vindicaturus non a coactione solum, sed & necessitate, plane neget voluntatem perfectissimam sequi judicium de placitis & displicitis, sed suapte sponte, non habito ad objecti bonitatem & malitiam respectu, se determinare. Perinde ac Deum, cui nihil externum bonum aut malum sit ante electionem, cujusque sola voluntas causa bonitatis in rebus creatis existat. Novam hanc Kingii hypothesin Clariss. Auctor ad examen revocat, atque demonstrat, iisdem & adhuc majoribus, quam Kingius communi de libero arbitrio sententiæ objicit, illam premi difficultatibus; intellectus humani officium ita tolli plane vel imminui; neque Deum aliquid unquam fecisse absque prævio hoc sapientissimo consilio; an quæ essent producenda, opera sanctitati, bonitati ac sapientiæ ejus respondeant? Deum per indolem suam non posse velle, ut res bonæ sint, quæ sanctitati ipsius adversantur, ac proinde non minus bonitati & sapientiæ divinæ tribuendum esse, quam voluntati, quod sint, res tales, quales sunt nempe bonæ. Plura alia addi possent tum ad controversiam cum Kingio facientia, tum historiam Philosophiæ atque hæreticorum collustrantia, cum tractatus noster digressionibus sane eruditis sit refertus, sed filum abrumpimus.

MENSIS NOVEMBRIS A. M DCC VII. 505
REPONSES AUX QUESTIONS D'UN
PROVINCIAL.

i. e.

RESPONSIONES AD QUÆSITA CUJUSDAM
Provincialis.

Volumen III.

Roterodami, apud Reinerium Leers, 1706, 12.

Alph. 1 plag. 7.

Pergit P. Bælius varii argumenti materias, Historicas, Philo-
sophicas, Polemicas, uno volumine junctas palam exponere,
eo consilio, ut & suppleri inde Dictionarium ejus Historico-Cri-
ticum possit, & quæ contra hunc aliosque ejus libros scripta
a doctissimis Viris sunt, refellantur. Ac in principio quidem
hujus Tomi Germanicos Historiarum scriptores, maxime Cu-
spinianum & C. Matthiam, castigat, quod Annam Britannicam
sponso suo Maximiliano Imp. a Carolo VIII Gallia Rege vi,
& velut plagio, ereptam scribant, cum artibus saltem licitis res
ista tentata sit atque perfecta. Consimiliter peccare eos, &
suspiciones suas commiscere cum gestis historicis ait, qui Fran-
ciscum I Gallia Regem jusjurandum blasphemis refertum
præstitisse narrant, cum fœdus cum Solimanno Turcorum
Imperatore iniret. Maximam hujus libri partem absolvit re-
futatio libri, quem J. Jaquelotus de concordia rationis & fidei
contra Bælianas hypotheses edidit. Noster omnes ingenii ner-
vos intendit, ut probet, mysteria religionis Christianæ cum
axiomatibus Philosophicis conciliari omnino non posse, sed ad
meram Dei auctoritatem hic recurrendum esse; et si interdum,
inflexo paulisper styli rigore, mysteria saltem videri con-
traria rationi, interdum de exigua saltem rationis, quæ
nobis data est, portiuncula, non de ratione universali se loqui
dicat. Igitur doctrinas de permissione peccati, libero arbitrio &
prædestinatione ita pertractat, ut Jaquelotum Arminianis favere,
coryphæorum Ecclesiæ Reformatæ vestigia spernere & ad ra-
tionalem Theologiam, Ecclesiæ dudum exosam, non tam in-
clinare, quam ruere credat. Quo loco Rationales, quos vocat,

S s s

Theolo-

Theologos in scenam producit, eosque Concilii Dordracenⁱ decretis parum favere suspicatur, atque cum P. Jurieo committit. Libertati hominis infensorem omnino se præbet, eoque nomine Jaquelotum acriter impugnat, tandemque veri Christiani indolem exposcere dicit, ut pugnam fidei & rationis agnoscat, nihilominus tamen, eadem agnita, Deo fidem habeat. In hac cum Jaqueleto concertatione interspergit passim alia, v. gr. judicium Auctorum Diarii Erudit. Parisiensis de Kingii libro de Origine mali, refutationem responsionis, quam Diroisius in Præjudiciis pro religione Christiana ad dubium de origine mali dederat, quamque libertati divinæ contrariam esse judicat, nec non alterius, quam Regisius in Systemate Philosophico ejusdem dubii solvendi gratia attulerat, nec non unam & alteram Malebranchii doctrinam examinatam. Præterea cum Vallonio auctore Apologiæ Reformat. circa Prædestinationis dogma disceptat, quem de absoluto decreto durissime loqui & amorem Dei versus res creatas ac benignitatem tantum non tollere observat. Porro Reformatos tuetur contra Schlüsselburgium aliosque, quod Deum peccati causam faciant, ipsis exprobrantes, qua de lite p. 1115 seq. nec non p. 1135 seq. prolixè disquirat, atque simul ostendere nititur, mitiores, quos dicunt, Reformatos re ipsa a rigidis & antiquioribus non discrepare. Altera hic Bælio concertatio est cum Jo. Clerico, qui in Parrhasianis & alibi Bæliana tradita de dubiis rationis nostræ circa unitatem Dei & originem mali confutaverat, atque inter alia Origenianam hypothesin Manichaicæ prætulera. Hic & vindicat sua Bælius, & Origenianum Clerici graviter persequitur, atque de præscientia Dei, decretis, libertate & æternis pœnis ultro citroque cum eo sententias confert. Hinc de defuncti Primatis Anglici Tillotsoni propensione ad Origenianam de fine pœnarum infernalium doctrinam agit, controversiam, quæ acta est inter Nicolium & Jurieum, num Romanæ Ecclesiæ doctrina de damnatione infantum non baptizatorum crudelior sit & durior dogmate Reformatorum de absoluto decreto? sub censuram vocat, neutri disputantium parcens. Adoritur post hæc Cudworthi naturas plasticas, quas & repugnare aliquot

sanæ

sanæ rationis notionibus, & ad excludendum e cursu rerum naturalium Deum tendere existimat, Clericoque earum Apologetæ fuse respondet. Post hæc iterum peculiari Capite ostendit, recentiores Reformatos, qui mitius videantur loqui, dogmata veterum duriora constanter retinere, & enumeratis genuinis auctoribus quorundam anonymorum ac pseudonymorum scriptorum hanc operis sui partem claudit. Nos inde sequentia excerpemus: Auctorem Cautionis criminalis sive processus contra sagas, de quo dictum est in Diario Basnagii (*Histoire des Ouvrages des Savans*) A. 1696 p. 131, esse N. Spee Jesuitam; Commentarium in Epistolam Gentiani Herveti ad apostatas sub Nicol. Jomlæcelæ nomine a Phil. Marnixio scriptam esse; reliqua ex Causa Quesnelliana, nobis memorata, hausta sunt.

C. WOLFII SOLUTIO NONNULLARUM DIFFICULTATUM CIRCA MENTEM HUMANAM OBVIARUM, UBI SIMUL AGITUR DE ORIGINE NOTIONUM & FACULTATE RATIOCINANDI.

PRincipia Metaphysica nondum rite esse constituta, vel exinde liquet, quia effectuum mentis non prompte ex iis redditur ratio. Relatum est in his ipsis Actis A. 1706, p. 366, quod juvenis quidam rusticus, a nativitate surdus ac mutus, quamdiu auditu privatus sermonis usu carebat, solis perceptionibus impulsus, omnia egerit, nulla facta ad perceptiones & actiones suas reflexione, multo minus idearum compositione aut disjunctione. Similiter *Bernhardus Connor* auctor est in *Evangelio Medici* p. m. 133 & 134, cum anno 1694 in aula *Johannis Sobiesci* Regis Poloniæ versaretur, in nemoribus ad *Lithuania* & *Russia* confinia sitis a venantibus sylvicolis inter gregem urforum captum fuisse juvenem, 10 circiter annos natum, adspectu horridum & pilis hirsutum, neque rationis, neque loquelæ, neque vocis humanæ usu gaudentem, qui post longum tempus cicuratus cum rauca & inhumana voce verba quædam proferre incepisset, de sylvestris vitæ cursu non magis recordabatur,

quam nos eorum meminimus, quæ acta sunt, quando in incunabilis vagivimus. Mirum igitur plerosque habet, cur nativitate surdus ad nullum perveniat rationis usum, nisi a surditate liberetur? cur inter bestias educato rationis usus nullus concedatur? cur rationis usu prorsus destituantur infantes? ad tempus orbemur omnes dormientes? cur denique rationis usu concessio nullius recordemur, quod, dum eo privaremur, cogitavimus?

2. Nodi hi hactenus pro insolubilibus habiti, non quod tales ex natura sua existant, sed quia de anima perperam huc usque philosophatum. Nos igitur certam eorundem solutionem afferemus, atque eo ipso monstrabimus, quænam in similibus adhiberi debeat philosophandi methodus: quod præstitisse iis forsitan non displicebit, quos veritatis incrementum juvat. Cum autem difficultates recensitæ omnes circa rationem versentur; in ejus naturam cum cura nobis inquirendum. Et quoniam mentis definitio realis adhuc desideratur, ratio vero sit aliqua vis ipsius; a priori eam eruere non datur. Investiganda igitur a posteriori, reflectendo scilicet super rationibus perfectis, qualia in Geometria occurrunt.

3. Cogitationibus nostris attenti docemur, nos *res singulares* percipere. Jam si contingat, mentem in perceptione totali multas partiales distinguere a se invicem posse, *notionem* acquirit *distinctam*: in casu opposito *confusam*. E. gr. si Triangulum percipio, latera tria, angulos tres; sique fuerit Scalenum, laterum & angulorum inæqualitatem percipio. Latera ab angulis, immo tum illa, tum hos invicem quantitate distinguo. Jam cum omnimoda determinatio eorum, quæ in perceptione totali distinguuntur, *principium individuationis* constituat; si ab ea abstrahimus, utpote per sensum non accurate determinanda, *notionem* habemus *Speciei*. E. g. in nostro casu determinata laterum & angulorum ad se invicem est ratio, non mutanda, nisi individualitate Trianguli destructa. Ab ea vero si abstrahimus, relinquitur notio omnibus Triangulis Scalenis communis. Obiter vero hic moneo, (ne quis hactenus dicta exceptiones admittere arbitretur,) me a plani, in quo

quo Triangulum descriptum, & a materia, qua in lateribus ejus docendis usi fuimus, mentione consulto abstinuisse, utut ad individualitatem Trianguli suo quodam modo aliquid conferre non negaverim. Enimvero quæ in notione communi Trianguli Scaleni distinguuntur, aliquo adhuc modo determinata sunt: relinquitur enim & laterum, & angulorum inæqualitas, adeo licet inæqualitatis nulla determinatio adsit, in eo tamen determinatio quædam jam continetur, quod requiritur, & latera & angulos æqualia esse debere. Quod si igitur ab hac determinatione abstrahamus, remanebit notio generalis omnium Triangulorum, quod nempe sit spatium tribus lineis comprehensum. Hæc ipsa vero quandam adhuc determinationem admittit, nempe laterum numerum ternarium; quæ si abjiciatur, prodibit notio spatii lineis terminati, h. e. Figuræ.

4. Ex jam dictis apparet, quomodo occasione nostrarum perceptionum formentur notiones. Quæ autem hac ratione formantur, de earum realitate dubitandum non est, cum nihil contineant, nisi quod esse indubitato experimur. Et si omnes notiones hac ratione formarentur, dici quodammodo posset, nihil esse in intellectu, quod non fuerit in sensu. At multarum rerum formantur notiones non per *abstractionem*, super perceptionibus reflectendo, sed per *arbitrariam combinationem*, ad quam faciendam per determinationem quandam in notione aliqua animadvertam mens determinatur. E. gr. si in notione Trianguli ternarium laterum numerum expendit mens, ternario substituit quaternarium, denarium, millenarium, indefinitum numerum &c. quo facto, oriuntur notiones figurarum quadrilaterarum, decangularum, millelaterarum, multilaterarum &c. Similiter si in notione Trianguli laterum inæqualitatem perpendit, inæqualitati substituit æqualitatem, vel trium, vel duorum laterum, proditque in casu primo notio Trianguli æquilateri; in posteriori notio Trianguli æquicruri. Similiter in Geometria sublimiori proposita æquatione ad *Parabolam Apollonianam* $ax=y^2$, æquationes similes, quas infinitarum Curvarum notio-

nes exprimere notissimum est, $a^{m-1}x=y^m$, $ax^{m-1}=y^m$, $a^m x^n=y^{m+n}$ statim formantur. Ex his exemplis apparet, mentem, fundamento differentiarum notionum animadverso, per determinationes arbitrarias multa rationum genera comminisci. Ex ipso autem modo, quo notiones istae formantur, colligitur, earum realitatem demum comprobendam esse vel a priori, ut nexus necessarius cum aliis, de quarum realitate nullum superest dubium, demonstretur, aut modus formationis plene intelligatur, (ad quod requiritur, tum ut constet, talia possibile esse, quae ad formationem concurrere ponuntur, tum ab iis ea proficisci posse, quae ipsis attribuuntur:) vel a posteriori, ubi talia in rebus extra nos percipimus, qualia notiones formatae involvunt. Hinc liquet, multa esse in intellectu, quae non fuerunt in sensu.

5. Quoniam vero notiones generum & specierum omnimodam determinationem non admittunt, qualem requirunt singularia, quae percipiuntur per *Art. 3 & 4*; ut percipiantur, fieri nequit. Quamobrem ea, quae in notionibus distinguuntur, per characteres seu signa perceptibilia representari debent. Talia signa sunt voces, notae numericae & characteres Algebraici. Totum adeo ratiocinandi artificium ad duo capita revocatur, nempe ad *partem characteristicam* seu constitutionem signorum, & *partem combinatoriam* seu combinationem signorum. Pars prima arbitrium ratiocinantis fundamenti loco supponit, non tamen prorsus indifferens, sed per leges sapientiae limitatum, quibus applicatis regulae necessariae *Artis characteristicae* enascuntur, demonstrationibus adeo firmandae. Exempla specialia in *Analyse Mathematicorum* & ipsa *Arithmetica* vulgari habemus. Signorum combinatio arbitraria non est, cum per eam nexus rerum possibilium necessarius representetur. Certas igitur admittit leges, quoad veritates Mathematicas in *Analyse* explicatas.

6. Nimirum ratiocinari in *Mathesi* est substituere aequalia pro aequalibus, hoc est, ratione vel quantitate eadem pro iisdem ratione aut quantitate. Atque ideo in ratiociniis Mathematicis non potest non conservari evidentia summa. Haec vero substitu-

substitutio fit vel per *arbitrariam valorum assumptionem*, quæ per omnem Analysis usum habet amplissimum; vel per *necessarias valorum mutationes & explicationes* juxta axiomata evidentia & theoremata demonstrata factas. Tot sunt probationes, quot in Mathesi demonstrationes, quot exempla calculi Algebraici. Et in genere ex definitione seu notione data alia deducere est eorundem signorum ulteriorem explicationem per plurium pro singulis substitutionem afferre. E. gr. ponamus $6 = 5 + 1$, cum etiam sit $2 + 2 + 2 = 6$, $2 \times 3 = 6$, $2 \times 2 + 1 = 6$, $3 + 3 = 6$, $2 + 1 + 2 + 1 = 6$, $2 + 2 \times 2 = 6$, $4 + 2 = 6$ &c. erit quoque $5 + 1 = 2 + 2 + 2$, $5 + 1 = 2 \times 3$, $5 + 1 = 2 \times 2 + 1$, $5 + 1 = 3 + 3$, $5 + 1 = 2 + 1 + 2 + 1$, $5 + 1 = 2 + 2 \times 2$, $5 + 1 = 4 + 2$; item $2 + 2 + 2 = 2 \times 3$, $2 + 2 + 2 = 2 \times 2 + 1$, $2 + 2 + 2 = 3 + 3$, $2 + 2 + 2 = 2 + 1 + 2 + 1$, $2 + 2 + 2 = 2 + 2 \times 2$, $2 + 2 + 2 = 4 + 2$; similiter $2 \times 3 = 2 \times 2 + 1$, $2 \times 3 = 3 + 3$, $2 \times 3 = 2 + 1 + 2 + 1$, $2 \times 3 = 2 + 2 \times 2$, $2 \times 3 = 4 + 2$ &c. Ecce tibi plures senarii notiones ex notionum antecedentium numerorum legitima combinatione factas, quarum combinationes totidem producant theoremata varias senarii proprietates manifestantia.

7. Ut idem extra Mathesin quoque valere intelligatur, exemplo ex Physica desumpto dictis fidem facere libet. Afferamus e. gr. propositionem per experientiam nobis innotuisse sequentem: *Ignis liquefacit plumbum*. Ut optime intelligatur, qua ratione id fiat, non opus est, nisi ut explicentur notiones ignis, liquefactionis, & plumbi, quod hic saltem consideratur tanquam massa consistens. Hoc enim facto, obtinebimus propositionem aliam loco primum propositæ, quæ hujus tenoris: *Ignis particulæ subtilissimæ dum sese insinuant in poros plumbi, partes cohærentes a se invicem divellunt*. Ut explicatio notionum per substitutionem facta rite intelligatur, integram mentis operationem hic exprimere libet.

(1) Ignis	(1) liquefacit	(1) plumbum.
(2) Corpus fluidum, subtilissimum, corpora quævis penetrans	(2) fluidum reddit	(2) massa consistens
		(3) cor-

(3) corpus habens partes a se invicem separatas & poris aliorum corporum sese insinuant

(3) convertit in massam, cujus partes dissolutæ

(3) massa, cujus partes sunt coherentes.

(4) divellit a se invicem partes, quæ coherent

Ignis particulæ subtilissimæ, si sese insinuant in poros plumbi, partes ejus coherentes a se invicem divellunt.

Has successive in singulis propositionis partibus factas substitutiones si legitime combinemus, propositionis primum propositæ enascitur demonstratio. Quod si notiones insinuationis & divulsionis ulterius explicare libuerit, natura ignis plenius manifestabitur, atque modus cohesionis partium in plumbo patefiet. Verum his immorari nostrum non est.

8. Id adhuc annotamus, ex *Artic. 6 & 7* manifestum fieri, in **notionum** explicatione non utendum esse nisi Signis jam antea satis explicatis, quorum valorem in mentem nobis revocare possumus, quotiescunque libuerit. Patet etiam ratio, cur in ratiocinando, non violata ratiocinii evidentia, cognitione symbolica contenti esse possimus, qua scilicet nos mente referimus ad notionis explicationem vel propositionis demonstrationem alibi factam. E. gr. si constet esse $3+3=6$ & $2 \times \overline{2+1}=6$, atque recordemur, notionem senarii alio tempore nobis fuisse satis expensam & identitatem inter ipsam ac factum ex binario in binarium & unitatem, itemque summam ex duobus ternariis sufficienter animadvertam; nullam amplius rationem habemus notionis senarii atque demonstrationis, per quam identitas prædicta nobis innotuit; sed de utroque securi inferimus: $3+3=2 \times \overline{2+1}$. Confidimus nimirum veritate axiomatis ratiocinandi fundamentalis: quæ sunt eadem cum eodem tertio, ea sunt eadem inter se. Denique liquet, demonstrationes non esse nisi combinationem serierum substitutionum nobis memoratarum.

9. Cum adeo tum ad notiones firmandas, tum ad eas combinandas signis opus habeamus per *Art. 5* sintque talia voces, per *Art. cit.* ut ante sermonis usum vel negato verborum usu ratiocinemur, fieri non potest. A nativitate igitur surdus, inter bruta educatus atque infans rationis usu destituitur. Ut vero etiam intelligatur, cur dormientes rationis usu ad tempus orbemur; tenendum est, postquam materiam notionum voces constituimus adeoque sine vocum usu rationari nequimus, signa ista menti percipienda representari debere, dum ratiocinari aut distincte quidpiam cognoscere conamur. Quare utut non loquamur, clauso tamen ore submissa quam maxime voce inter meditandum nobismet ipsis loquimur. Unde cum per expirationem aeris ex pulmonibus per tracheam prorumpentis voces formare conemur, alio tempore deduxi, cogitationes nobis ex corde procedere videri. Jam cum inter dormiendum cessent perceptiones ab impressionibus in sensuum organa profectæ, vocum quoque formandarum conatus abest, consequenter & usus rationis. Somnia tamen excipiuntur, in quibus quemadmodum aliis perceptionibus conceditur locus, ita & conatus formandi voces non prorsus abest, quem me sæpius percepisse, quodque conatus clamandi eluderetur, indignatum fuisse probe memini. Denique quoniam ea facillime oblivioni tradimus, super quibus nulla fit reflexio, reflexio autem fit distinguendo a se invicem, quæ perceptio totalis involvit, formandoque notiones distinctas rerum perceptarum, id quod sine sermonis aut aliorum signorum usu fieri haud potest: ut eorum recordemur, quæ ante sermonis usum percipimus aut fecimus, utque ante sermonis usum deliberato quidpiam agamus, concipi nequit. Quamobrem & inter dormiendum anima se ipsam percipit, nihil rerum externarum, omnisque abest ab illa immediata sui perceptione reflexio. Non igitur mirum, quod evigilantes nullius cogitationis recordemur.

10. Ad hæc scribenda me impulerunt, quæ in his Actis anno præsentis de anima passim leguntur. Vellem enim, ut in immaterialitatem animæ inquisituri ejus ante vires accurate co-

gnoscerent, (cujus cognitionis aliquod specimen in antecedentibus exhibui;) quam arduum hoc opus aggredierentur, ita enim futurum arbitror, ut nec cum Cartesianis paralogismum pro demonstratione venditent, nec cum aliis, quia nodos a nobis solutos & alios ipsis similes non statim capiunt, mentem pro potentia ex combinatione organorum corporeorum resultante habeant, utque in principio actionum brutorum definiendo solidiora proferant.

STILLOGE EPISTOLARUM B. D. POLYCARPI LYSERI, Senioris, ex MSS. eruta a Pronepote τῆς Μανασίου & POLYCARPO LYSERO, S. Theol. D. Potentiss. Electori Brunsvico-Lunenburgico a Consiliis Ecclesiasticis, Capituli Wunstorpiensis Præsule, & Ecclesiarum per Ducatum Calenberg. Ephoro Generali.

Lipsiæ, apud Heredes Friderici Lanckisii, 1706, 8.

Alphab. 1 plag. 7.

Felicitatem, qua de gloriari haud cuivis licet, expertus est Venerandus D. Lyserus, dum in instructissimam suppellectilem ipsius librariam Epistolæ ab Illustrissimis Electoribus, Ducibus & Principibus, Foeminis item e stemmate Regio, Electorali, Ducali atque Principali originem ducentibus, Comitibus porro & Baronibus utriusque sexus, Viris dein nobilibus & eruditis, aliisque ad neutrum censum referendis, quin & ab integris Collegiis scriptæ, tanto confluerunt numero, ut earum centurias quinquaginta & amplius se possidere testetur. Harum plurimas & præstantissimas impostero luci publicæ exponere decrevit, quippe cum probe observarit, etiamsi his deliciis fere onerentur atque obruantur doctiores, famem tamen vere sacram nondum valuisse restringere tot ac tam varios codices Epistolicos huc usque vulgatos, ut delitescentes potius adhuc passim Epistolas ἀντογράφως eadem plane aviditate optent illi atque expetant. Sed dum in eo est, istas prius usui
communi

communi permittendas censuit, quas B. ipsius Proavus, *Poly-
carpus Lyserus*, Gollerstorpü primum in Austria Ecclesiæ Mini-
ster, dein ab Electore Saxone, Augusto, A. 1576 Wittebergam
evocatus Professor Theologiæ, Pastor Ecclesiæ primarius & per
Circulum Electoralem Superintendens Generalis, porro Eccle-
siæ Brunsvicensis Coadjutor & paulo post Superintendens A.
1587 & sequentibus, deinceps A. 1593 inde Wittebergam ad fun-
gendum officii pristinis revocatus, ast a Brunsvicensibus non-
nisi ad biennium certis conditionibus utrinque comprobatis
dimissus, tandem vero ab A. 1594 usque ad A. 1610, quem fa-
talem habuit, Serenissimæ domui Electorali in aula Dresdensi a
Consiliis sacris, Confessionibus & Concionibus primariis, Theo-
logus per universam Ecclesiam longe celeberrimus, aut ad ali-
os ipse scripsit, aut scriptas ad se ab aliis accepit. Harum
centurias circiter viginti superstites habere se Lyserus noster
innuit, & singulas sane nunquam hætenus impressas vulgatas-
que. Sed harum tamen longe plures exaratas olim fuisse, uti
nullus dubitat, sic eos, in quorum istæ hærent manibus, roga-
tos cupit enixissime, ut ad ipsum illas mittere haud dedignen-
tur. Etenim, quæ nunc eduntur, prodromi tantum alicujus
vicem sustinent, aliasque imposteriorum numerum præsentium
haud parum superaturas comites nanciscentur. Isto etenim
pacto præclare mereri cupit Editor Summe Reverendus de
piis manibus sui hujus Proavi, quem insuper & post integri-
re Seculi decursum Ecclesiæ orthodoxæ redivivum velut siste-
re constituit, selecturus indefesso studio, quæcunque a Biographis,
quorum non pauci in describenda ejus vita occupati jam fuerunt,
vel nondum notata, vel brevius, atque rerum postulaverat ratio, e-
narrata, vel ob defectum documentorum fide dignorum non satis
vere relata fuerunt. Cujus quidem laboris specimen egregium e-
didit & in Epistola hujus Sylloges dedicatoria, in qua famam
B. Theologi contra Nonneminem e Reformatis vindicat, & in
tractatu peculiari, qui eodem, quo hæ Epistolæ prodierunt,
tempore in apricum processit, sub titulo *Officii pietatis*, quod
Noster Proavo suo exsolvit per scriptum apologeticum, iis
oppositum inculpationibus, quibus illum impetivit in Historiis
suis

suis Godofredus Arnoldus. Varia in hoc reperias, quæ ad dilucidandam Crypto-Calvinismi, Huberianismi & Controversiæ Hofmannianæ historiam faciunt, ac quæ præterea religionem atque exitum vitæ Matthiæ Wesebecii, celeberrimi Jcti, respiciunt, cetera ut taceamus. Subjungitur apologiæ huic alia Epistolarum ad Lyserum Sylloge, in qua scriptarum a Davide Chytræo XXXII, a Caspate Hirschio V, a Johanne Linsnero II & a Nicolao Blumio X continentur, e quibus fere singulæ quid conferunt ad demonstrandam Lyseri innocentiam iis in capitibus, in quibus sinistrum de ipso ferre judicium Arnoldo placuit. Nec silentio præterire fas est, quæ apologiæ ipsi leguntur intermixtæ, Samuelis scilicet Huberi VI, Marci Gerstenbergii II, Andreæ Jodoci I, Lucæ Backmeisteri I, Andreæ Ponchenii I, & quasdam adhuc alias. In præsentive-ro Sylloge Epistolarum occurrunt haud pauca memoratu digna, quorum aliqua delibare lubet. Memorabilis est Epistola ad Theodosium Fabricium p. 7 seqq. quæ demonstrat, uxorem ulcerosam ac leprosam ob morbum hunc contagiosum a marito deserere non posse, ab ea tamen durante morbo esse abstinendum. In Epistola ad Christophorum Fischerum p. 74 seqq. docet, quomodo Viro cuidam Nobili, dubitanti hanc phrasin admittere, quod ore corporis in usu S. Cœnæ comedamus sacrosanctum Christi corpus, & bibamus pretiosum ejus sanguinem, nisi ex perspicuis Institutionis verbis tanquam hujus doctrinæ sede unica & propria id commonstretur, queat satisfieri. Ad Johannem Velium de quæstione: num liceat defuncti sponsi fratri in uxorem ducere relictam sponsam? p. 92 seqq. Lyserus scribit. Collegio Theologiæ Jenensi p. 220 seqq. prolixè ostendit, editionem Bibliorum Germanicorum versionis Lutheri novam ibidem typis cœptam exscribi multis modis a vera & vere Luthero asserenda discrepare, adducens exempla plura glossarum, quæ Lutherum auctorem non habent, sed Synergistas, Adiaphoristas & alios illorum temporum schismaticos, indicans simul editiones Seculi XVI quasdam, quæ tuto tanquam genuini foetus Lutheri queant suscipi. Jacobum Andreæ de rebus ad Ecclesias Austriacas, & ad

& ad Johannem Fridericum Coelestinum & Josuam Opitium, turbatores pacis Ecclesiasticæ, pertinentibus p. 237 seqq. informat. Ad Andream Dudithium, filium, de Horehowicza binæ spectant, ast mutilæ, Epistolæ, quibus orthodoxum sensum loci Paulini Phil. II, 6. 7. cum cura investigat & ad dubia Dudithii, Reformatae religioni addicti, respondet pag. 255 seqq. Censura scripti cujusdam, confessionem fidei D. Georgii Kleinii, Reipublicæ Goslariensis Syndici, complexi, habetur p. 297 sqq. Viro cuidam Generoso ad Quæstiones: an sub Tyranno libertatem religionis indulgente nec adversus patriæ Dominum belligerante, vel etiam sub heterodoxo Principe, militare liceat? an fas sit militem inquirere causas bellorum Domini sui, & num eas scire teneatur? num subditi Magistratui violenter vel in causa religionis, vel in aliis agenti salva conscientia queant obniti, ac vim vi repellere? utri belligerantium, an Magistratui, an subditis, in tali casu concessum sit officia sua addicere? p. 321 seqq. prolixè respondet. Plura decerpere supersedemus, cum ipse Lector benevolus sit observaturus, epistolarum non nisi paucissimas familiariter esse scriptas, & plerasque e contra de rebus gravissimis illa ætate disceptatis differere, vel aliis consulentibus consilia prudentiæ & veritatis plena suggerere. Dubium proinde nullum est, quin avide expectaturi sint Eru- diti novam Syllogen Epistolarum & autographorum B. Lyseri aliorum, quam Noster meditatatur, qui etiam *Praelectiones* illius in *Prophetas minores* prælo jamtum submissas post paucos menses usui communi exhibebit.

*DE NOTANDA ÆQUALITATE NATURÆ INTER
curvas citissimorum descensuum & curvaturas continua-
rum refractionum per diversa Media planis super-
ficiebus parallelis contigua.*

Excerptum ex Epist. F. D. C. Abb. Vall.

ENnovum scientiæ Mathematicæ specimen, ab eodem Auctore, cui mense Martio superiori p. 133 seq. communicata debemus, e Gallia nobis transmissum, cujus tamen partem tantum

dimidiam hic exhibemus, reliquam proximo mensi reservantes, ne nauseandi causam inveniant Matheseos imperiti. Quare Auctorem, quicumque is sit, publico nomine compellamus, ut, si quid habeat, quod per nos communicari Eruditis velit, brevitate utatur. Neque enim diffitemur, ante aliquot menses eadem via Adnotationem super animadversione in difficultatem Hughenianæ de centro oscillationis demonstrationi oppositam ad nos perlatam esse, sed prolixior, quam ut in tanta inprimis librorum utilissimorum, quorum recensio nobis incumbit, copia inseri Actis nostris potuerit.

TAB. X.
Fig. I.

Norunt Mathematici, quam præstantissimus Geometra Bernoullius excogitavit, brachystochronamque nominavit curvam, talis esse naturæ, ut Gravis eam percurrens, a puncto ad punctum ipsius descenderet breviori tempore, quam per aliam quamcunque curvaturam ambo eadem puncta connectentem. Esto autem quævis hujusmodi curva ACB (Fig. 1) supra quam cogitatu designa, ubicunque libuerit, duo puncta proxima A & B, vel C & D, terminantia utrumque latus indefinite parvum certi anguli ACB, vel CBD, curvaturam illam constituentis. Voca dr , ds , dt , tria continue subsequencia descensus secundum eandem curvaturam instantia. Scis hic requiri, ut a termino A ad terminum B temporis intervallum $dr + ds$, nec non a termino C ad terminum D intervallum temporis $ds + dt$ fiat brevissimum. Ad istas ergo temporis expressiones regulam de Maximis & Minimis applica; obtinebis 1^o. $ddr + dds = 0$, & $ddr = -dds$; 2^o. $dds + ddt = 0$ & $dds = -ddt$. Ambas igitur binorum continuorum, quorumlibet illorum instantium expressiones differentiari, & earum differentiales sub signis contrariis æquari inter se proposita quæstio exigit.

Jam in Mathesi vulgatissimum est singula temporis consumpti dum a Gravi descendente curva percurritur momenta exprimi per $V \frac{dy.^2 + dx.^2}{v}$. At quænam ejus expressio-

nis differentiatio respectu quantitatum dy , dx & v pertineat, ex sequentibus patebit.

1^o. Efficit, quæ cogitatu determinatur punctorum propinquissi-



pinquissimorum A & B. aut C & D &c. positio, ut recta y (ordinata verticalis NC vel MB ad interjectas curvaturas aut ACB, AZB, &c. aut CBD, CRD, &c.) tanquam data consideranda sit: unde hic convenit differentiolam dy (AF, CH, BI, &c.) constantem ponere, dum coordinata ipsi differentiola dx (FC, FZ, aut HB, HR, &c) variabilis intelligitur; crescente versus K aut G, vel decrecente versus F aut H curvaturæ angulo AZB aut CRD.

2°. Quoniam intra rectas horizontales binas MA, KF, particula AF lineæ verticalis ad punctum C vel Z &c. ordinatim applicatæ constat ubique eadem; consequens est velocitatem qualemcunque v lapsu ex A per AC vel AZ &c. acquisitam (parallelis nempe Gravium directionibus) non variari, adeoque in expressione communi omnibus momentis, quibus hi descensus peragerentur, non esse differentiabilem. Quod idem intellige de velocitatibus ad puncta reliquarum GE, DL, &c. referendis.

3°. Eadem punctorum A & B, aut C & D, &c. determinatio in causa est, cur recta verticalis AE, CL, &c. horizontalisque EB, LD, &c. tanquam positione datæ spectandæ sunt. Appellatis itaque EB, p ; aut LD, q ; & FC, dx ; aut HB, dz ; propter infinita numero aut puncta C, Z, inter K & F; aut puncta B, R, inter G & H; palam fit $HB = EB - FC$ sive dz exprimi posse per $p - dx$, aut $DI = DL - BH$ sive de esse $q - dz$, &c. respectu curvarum omnium inter A & B aut C & D, &c: quare differentiando habebitur semper eadem aut ddx aut ddz (signis contrariis affecta) in æqualibus differentiolis aut ddr , & $-dds$, aut dds & $-ddt$ expressionum binorum instantium proxime consequentium, quibus curva ACBD percurrenda supponitur.

His igitur de causis ad differentiandam quantitatem

$$\sqrt{\frac{dy^2}{v} + dx^2}, \text{ neque } v \text{ neque } dy, \text{ sed } dx \text{ duntaxat dif-}$$

ferentari quæstio postulat: quod in hunc modum
 $dx ddx$

$$\frac{dx ddx}{VxV \sqrt{dy.^2 + dx.^2}} \text{ executus adæquabis simili}$$

$$\frac{-dz d dz}{VxV \sqrt{dy.^2 + dz.^2}} \text{ seu } \frac{dz d dx}{VxV \sqrt{dy.^2 + dz.^2}}, \text{ ob } d dz$$

$$= -d d x : \text{ Pariter faceres } \frac{dz d dz}{VxV \sqrt{dy.^2 + dz.^2}}$$

$$\frac{-dedde}{UxV \sqrt{di.^2 + de.^2}} \text{ seu } \frac{ded dz}{UxV \sqrt{di.^2 + de.^2}} \text{ ob}$$

$dde = -ddz$. Dividens itaque hæc bina æqualia per idem, ipsis commune ddx aut ddz obtineres tres quotientes æquales; quandoquidem in eorum medio, qui bis sese offerret, neque V , neque dy , neque dz , utpote quæ ad idem punctum B curvæ quæsitæ in utraque comparatione pertinent, variantur. Atque ita de reliquis inter se collatis. Vides ergo omnibus ejusmodi differentiis instantium divisio per alias, quas continent, differentiolas, prodire quantitates inter se ac proinde eidem homogeneæ æquales. Tandem igitur fit hic in genere

$$\frac{dx x^i}{VxV \sqrt{dy.^2 + dx.^2}} = i : \quad \text{Unde colligitur}$$

$\frac{i}{v} dx = V \sqrt{dy.^2 + dx.^2}$ (I) æquatio differentialis ad curvas omnes, quæ parallelas ordinatas (intra concavitatem suam & rectam horizonti inferius posito æquidistantem) habent; quasque sic ostenditur fieri brachystochronismi capaces secundum certas proprias velocitatum a Gravi libere cadente acquirendarum hypotheses. Qua quidem solutione pars Propositionis nostræ prima absolvitur. Altera porro facili negotio demonstratur, ut sequitur.

Compertum est experientia radium laminis DB (Fig. 1) qui ex

qui ex aliquo Medio diaphano GBID in aliud densius CKHB, vebut ex aere in vitrum, oblique transit, non recta tendere, sed inflexum, ad rectam IK communi Mediorum diaphanorum superficiei HBG perpendicularem inclinari. Estque receptum in Dioptrica (descripto circa punctum incidentiæ & refractionis B circulo, qui radium incidentem BD æqualem refracto BC abscindat) rationem, quam servant inter se sinus recti DI & CK angulorum intra hos radios & perpendicularem IK comprehensorum, eam esse, quæ refractiones mensurat. In Mathematica porro imaginari licet Medium cujuslibet profunditatis DLAP, magis ac magis quomodocunque densum, hoc est, innumeram seriem infinite exilium Mediorum GI, KH, NF, &c. superficiibus inter se parallelis comprehensorum, cum densitatis varietate refractivorum secundum variabilem qualemcunque rationem; adeo, ut transmissus per ea luminis radius DB continue detorqueretur, certamque lineam curvam DBCA efformaret, quam continuarum refractionum curvaturam appellamus. Superficies autem omnes, ista refractiva Media ab invicem dividentes, supponimus planas; quandoquidem cunctas rectas ad radium sic incurvatum ordinatim applicatas Propositio nostra parallelas requirit.

Ad cognoscendam autem hujusce curvæ naturam attendamus, æqualia ipsius elementa sive æquales Tangentium particulas curvaturam constituentes AC, CB, BD, &c. $(\sqrt{dy.^2 + dx.^2})$ certam aliquam habere rationem ad correspondentes sinus AN vel FC, CK vel HB, BG vel ID (dx) quibus refractiones continuæ mensurantur, & qui coordinantur differentiis (dy) rectarum NC, MB, PD, superficiebus refringentibus KF, GH, perpendicularium ordinatimque ad curvam applicatarum. Adeoque faciamus ID seu BG ad CK, id est $\sqrt{dy.^2 + dx.^2}$ ad dx , sicut i ad r : unde concluditur $\frac{i}{r} dx = \sqrt{dy.^2 + dx.^2}$ (II)

æquatio differentialis, quam dico pertinere ad curvaturam radii transmissi per Media continue refractiva secundum rationem

certo modo variabilem ipsius dx ad sui similem dx proxime sequentem, cujus utique proprium est $\frac{i}{r} dx = V \sqrt{\frac{dy.^2}{dy.^2} + \frac{dx.^2}{dx.^2}}$:

Etenim ex proprietate refractionis sumitur $V \sqrt{\frac{dy.^2}{dy.^2} + \frac{dx.^2}{dx.^2}}$
 $= V \sqrt{\frac{dy.^2}{dy.^2} + \frac{dx.^2}{dx.^2}}$, & fit consequenter $\frac{i}{r} dx = \frac{i}{r} dx$, ac

tandem dx ad dx sicut $\frac{r}{i}$ ad $\frac{r}{i}$ similem proximam, atque ita
 semper.

Jam vero conferatur hæc secunda æquatio cum prima

$\frac{i}{s} dx = V \sqrt{\frac{dy.^2}{dy.^2} + \frac{dx.^2}{dx.^2}}$. Apparet evidenter curvas omnes,

quarum naturam ista prima exprimit, per secundam quoque exprimi, sed facta circa immotam basin AP conversione in-

versas: siquidem nihil impedit, quo minus sit $\frac{i}{r} = \frac{i}{s}$ sive $v = \frac{r}{i}$

(curvatura in partes æquales minimas cogitatu divisa) contrarioque ordine velocitas Gravis descendens, & refractionis Radii incurvescentis augeri concipiantur. Ubi advertas, velim, quas curvæ particulas in descensu citissimo velocitates majores conficerent, eas in spatio continue refractivo Media rariora detorto luminis radio efformarent.

Aliquot Exempla:

I Pro curva ABD (Eig. 1.) proponatur Semiparabola horizontem versus convexa; cujus sit axis AP, parameter = a, ordinata verticalis NC = y, & coordinata horizonti parallela AN = x; quæratque velocitatum a Gravi deorsum acquirendarum hypothesis, quæ ipsam redderet brachystochronam. Ex æquatione integrali ejus propria $ax = yy$ elicio differentialem $\frac{adx}{2y} = dy$, atque inde elementum curvaturæ $\frac{dx V \sqrt{aa + 4yy}}{2y}$,
 quod

quod in prima æquatione generali Problematis superius notata (I) affectum quantitati $\sqrt{\frac{dy}{dx}^2 + dx^2}$, adæquatumque quan-

titati $\frac{z}{6} dx$, mihi præstat per reductionem $v = \frac{zy}{\sqrt{aa + 4yy}}$

hypothesein velocitatum huic brachystochronismo convenientem. Nunc posita analogia: sicut i ad r ita $\sqrt{aa + 4yy}$

ad zy ; eaque subrogata in secunda æquatione generali supra affecta indice (II) utrinque quadro; multiplico per $4yy$; deleo $4y^2 dx^2$; extraho radicem quadratam; tandemque integratis differentialibus $zydy = adx$, invenio pro curva continuæ refractionis ratione quantitatis zy , divisæ per $\sqrt{aa + 4yy}$ ad si-

milem proximam zy divisam per $\sqrt{aa + 4yy}$ $\left(\frac{r}{i} \text{ ad } \frac{r}{i} \right)$

mensuratæ, æquationem $y^2 = ax$, quæ pertinet ad eandem semiparabolam a radio luminis incurvescente sic delineatam, ut ipsius vertex in superficiem Medii ultimi omniumque densissimi normaliter incideret.

2. Esto, secundum naturalem motus Gravium cadentium accelerationem, $v = \sqrt{y}$ & $i = \sqrt{a}$ in prima problematis æquatione. Dein utrobique quadretur; multiplicetur per y , transpositoque $\frac{y}{dx}^2$, radix quadrata extrahatur; tandem facta per

\sqrt{y} multiplicatione, reperietur $dx \sqrt{ay - yy} = ydy$ æquatio semicycloidis vulgaris ABD ad suam basin AP, vertice D deorsum spectante, relatæ; cujus sunt a axis, y ordinatim applicata, & $\sqrt{ay - yy}$ subnormalis. Sic habes celeberrimam subtilis-

simi Geometræ Bernoullii brachystochronam. Accipe nunc quoque notabilem radii luminis, qui parallelas aeris diversè condensati regiones (videlicet sensibiliter planas) trajicit, continue inflexi curvaturam a doctissimo Astronomo Philippo de la Hire, ope veteris Geometrarum methodi, adinventam. Fac

ii ad *rr* ut *a* ad *y*. Hinc per secundam problematis æquationem, utroque membro in se ducto, habebis $\frac{a}{ydx}^2 = \overline{dy}^2 + \overline{dx}^2$

& deinde $dx\sqrt{a-y} = dy\sqrt{y}$ ad ipsam semicycloidem, sed ex

parte horizontis concavam; statuendo (quod eximius ille Geometra Dn. de la Hire in Collect. Mathem. Reg. Scient. Acad. A. 1702, pag. 52, physico-mathematice ostendit) sinus, quorum a-

nalogia (eadem nimirum, quæ $\frac{r}{i} = \sqrt{y}$ ad $\frac{r}{i} = \sqrt{y}$ seu \sqrt{y}
 \sqrt{a} \sqrt{a}

ad similem) refractiones Atmosphæræ magis ac magis Terram versus condensatæ metitur, esse inter se in subduplicata ratione intervallorum *y* a basi sensibilibus plana in superficie terrestri ad puncta refractionum in aere. In qua sinuum refractionum hypothese nullam necessario involvente quantitatem cognitam in æquatione curvæ datam, Medium continue refractivum totam admitteret Cycloidum vulgarium speciem, pro varia Tangentium seu Radiorum incidentium inclinatione ad singulam superficiem refringentem. Quandoquidem, mensuris refractionum constantibus, similes semicycloides aliæ aliis suffici possent;

quarum axes Vd (Fig. 1) semper forent $\frac{tly}{tt-\sigma\sigma}$ & bases AP

$\frac{11}{7}$ $\frac{11}{7}$ Vd (expressis, superficiei refringentis altitudine Vg per

$\frac{7}{7}$ *y*, sinu totali bT per *t*, & incidentiæ sinu TS per σ) ob singulam chordam db tangenti cycloidicæ parallelam, ac inter Vd & Vd—Vg mediam proportionalem. Supposita itaque *y*

circiter $\frac{1}{2}$ leucarum, 2000 hexapedas continentium; & σ

quasi evanescente propter radium luminis maxime inclinatum; ita ut

ita ut semicycloidis axem $\frac{tty}{tt-0}$ sive y adæquaret maxima At-

mosphæræ altitudo ; basis $\frac{11}{7}y$ esset leucarum circiter 10, hoc

est, pars circumferentiæ terrestris fere millesima ; quæ haud sensibiliter recta in superficie non plana radios siderum per Atmosphæram transmissos non in hanc curvaturæ speciem detorqueri satis arguit.

Quodsi præterea quæras naturam omnium in infinitum curvarum tam continuæ refractionis, quam citissimi descensus, in hypothefibus constituentibus spatia verticalia y directe proportionalia potestatibus vel n celeritatum acquirendarum, vel m temporum consumendorum a Gravi ipsa deorsum per-

currente. Ponito e esse vel $\frac{m}{n}$ vel $= \frac{m-1}{m-1}$ qui numerus po-

sitivus sit ; & facito sive v sive $\frac{r}{a^{\frac{1}{e}}}$; Problema dabit

$dx \sqrt{\frac{a^2}{e} - y^{\frac{2}{e}}} = y^{\frac{1}{e}} dy$ æquationem infinite generalem requisitam,

quam quidem complete integrabis, quoties $\frac{e+1}{2}$ est ali-

quis numerus naturalis, si integrata dx sola in uno membro, velis pro altero hinc fractionario iterare tot integrationes,

quot unitates hic numerus continet. Verbi causa, $\frac{e+1}{2} = 1$ &

$\frac{e+1}{2} = 2$ ostendunt dari una integratione perfecta regressum a $dx \sqrt{a^2 - y^2} = y dy$ ad $xx + yy = aa$, in quadrante circuli ra-

dio a descripti sinumque rectum y & subnormalem x habentis :

Uuu 3,

tis :

tis : qui quadrans per hypothesin velocitatum $v = \frac{y}{a}$ (crescentibus

Ordinatis) evaderet brachystochronus, & per hypothesin

sinuum refractionalium $\frac{r}{z} = v$ (decreascentibus Ordinatis) re-

fractionatus. Simili modo, indicant $e = \frac{1}{2}$ ac $e = \frac{4}{3}$ i-

deoque $n = \frac{3}{2}$ & $m = \frac{3}{2}$ reditum a differentiali $dx \sqrt{\frac{2}{a} - \frac{y^2}{a^2}}$
 $y \frac{dy}{y^3}$ ad integralem $x^2 + y^2 = 4a^2 - 3y \sqrt{4a^2 - 3y}$ duabus integratio-

nibus absolutis. Idem est de multis in infinitum ejusmodi cur-
 vis Geometricis (numero e variato juxta numerorum impari-
 um seriem) cum brachystochronismi, tum refractionismi capa-
 cibus, supponendo tam sinus refractionum decreascentes, quam
 velocitates crescentes, esse ad invicem in ratione potestatum

$\frac{1}{e}$ a rectis ordinatim applicatis y .

e
 His illam famosam eruditissimi Geometrae Leibnitzii a-
 nalogochronam subjungere satis superque est. Talem autem
 se habet, ut Grave secus ipsam cum velocitate naturaliter cre-
 scente decidens, tempora quibuslibet segmentis AF, AE,
 (Fig. 1) in Tangente verticali AQ, a puncto contactus A inter-
 ceptis analogis, arcus correspondentes AC, AB conficiendo,
 impenderet. Hinc æquabilis descensus proprietatem in hypo-
 thesi Galileana sibi sola vindicat; nec tamen alia ipsi
 deest propria hypothesis, qua supposita, non minus conti-
 nuæ refractionis, quam citissimi descensus privilegio sola quo-
 que potiretur. Quod sic breviter ostendimus: ex æquatio-
 ne ejus vulgari $y^3 = a'x^2$ colligitur $dx \sqrt{\frac{4a}{3} + 9y} =$

$$\sqrt{\frac{dy^2}{v^2} + \frac{dx^2}{r^2}} = \frac{i}{v} dx = \frac{i}{r} dx \text{ per problema. Ergo ex hypo-}$$

thesi propria $v = \sqrt{\frac{9y}{4a + 9y}} = \frac{r}{i}$ tam pro illius curvæ

ad horizontem convexæ brachystochronismo, quam pro ejusdem ad planam Medii perpetuum refractivi basin concavæ refractionismo.

Atque hæc tyronibus Mathematicis explicata funto: quos obiter monitos velim, lineas curvas, secundum quas radii luminis Media diverse densa, sed superficiebus sphericis concentricis separata, penetrantes incurvarentur, non ad primam, sed ad secundam solutionis præcedentis partem revocari posse. Rectæ siquidem y perpendiculares ad illas superficies concentricas, & applicatæ ad istas curvas refractionatas, in commune centrum tendunt, efficiuntque, ut lineolæ differentioli dy coordinatæ, non accipiendæ sint ut supra æquales aliis differentioli dx respectu basis positione datæ, sed tantum proportionales in ratione distantiarum, v. g. $b+y$ & b , a communi centro: uti solo Figuræ secundæ intuitu manifestum est.

T A B. X
Fig. 2.

Quare posita $\frac{b}{b+y} dx = du$, & cæteris immutatis, æquatio problematis secunda superius inventa migrat in $\frac{i}{r} du =$

$\sqrt{\frac{dy^2}{v^2} + \frac{du^2}{r^2}}$ (III) aut ad exprimendam naturam ejusmodi curvarum, aut ad inveniendam refractionum mensuram,

$\left(\frac{r}{i}\right)$ utraque illarum cognita: unde concluditur $du \mid dy$
 $\mid \mid r \mid \sqrt{\frac{ii - rr}{i^2}}$ (IV).

i. e.

*BIBLIOTHECÆ VOLANTIS PLUTEUS XVI. AUCTORE
JOANNE CINELLI CALVOLI, Patritio Florentino
& Foroliviensi.*

Venetis, apud Hieronymum Albrizzi, 1706, 8.
Plag. 5.

Quem anno superiori p. 67 jam tum XV Bibliothecæ suæ Pluteum complevisse scripsimus, institutum strenue profequitur doctissimus *Cinellus*, publicato quippe nuper Pluteo XVI, unde nunc vel paucissima delibabimus. Ubi *Lepidi Comici veteris Philodoxios Fabulam ex antiquitate erutam ab Aldo Manutio* Lucæ 1583 in 8, memorat, notat, Manutium se decipi passum a Leone Baptista Alberti, qui ipse veteres astute imitatus, Fabulam hanc composuerit. Libri *La Visiera Alzata*, qui sub Jo. Petri Jacobi Villani nomine prodiit, verum auctorem esse Angelicum Aprosium Ventimiglia testatur. Cum deinde Antonium Mongitore brevi editurum nuntiat *Bibliothecam Siculam, sive de Scriptoribus Siculis, qui tum vetera, tum recentiora secula illustrarunt, Notitias locupletissimas*, queritur iterum, Scriptores suos Florentinos, quorum quatuor mille quingentos collegerit, Typographum invenire nondum potuisse. Denique moderni forte Pontificis mentionem injiciens, exemplo carere ait *Noster*, quod is integro triduo oblatam dignitatem Pontificiam recusaverit.

LE PARFAIT GÉOGRAPHE.

hoc est,

GEOGRAPHUS PERFECTUS, SEU ARS FACILE ADDISCENDI Geographiam & Historiam, per questiones & responsiones, una cum Tractatu de Sphæra. Auctore LE COQ.

Paris, prostat Amstelod. apud Joh. Ludovicum de Lorme, 1707, 12.
Alph. 1 plag. 17 & Tabb. æn. 17.

Tertia jam vice prodit libellus, in quo tyronibus potissimum ac iis consulitur, quibus multa ac vasta volumina evolvere non vacat. Multa autem novæ huic editioni accesserunt de moribus, religione & regimine nationis uniuscujusque, quæ in reliquis editionibus non habentur. Accessere etiam mappæ Geographiæ, nempe universi Globi Terraquei, Europæ, Galliæ, Hispaniæ, Belgii foederati, Helvetiæ, Italiæ, Germaniæ, Poloniæ, Moscoviæ, Hungariæ, Insularum Britannicarum, Asiæ, Africae, Americae Septentrionalis & Americae Meridionalis. In descriptionibus urbium & Regnorum maxime notabilia, quæ scire interest, nervose traduntur.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno MDCCVII.

ONOMASTICON URBIUM ET LOCORUM
Sacrae Scripturae: seu liber de Locis Hebraicis Græce pri-
mum ab EUSEBIO Casariensi, deinde Latine scriptus
ab HIERONYMO, notisque illustratus a JACOBO
BONFRERIO. Recensuit & Animadversionibus
suis auxit JO. CLERICUS.

Amstelædami, apud Franc. Halmam, 1707, in fol. ch. aug.
Constat Alphab. 2 & duabus Tabb. Geograph.

Cum in his Actis A. 1705 mense Decembri Geographiam
Sacram Sansonii recenseremus, futurum una diximus,
ut operi isti non nimis spisso adderetur Eusebii *de Locis
Hebraicis* liber. Stetit ergo promissis Bibliopola, quemadmodum
hoc ipso quoque anno mense Junio p. 264 nunciavimus, jam-
que denuo librum illum Orbi Erudito exhibuit, non Græcum
modo, prout primum ab *Eusebio Casariensi* scriptus est, sed Lati-
num etiam, quo in idiomate repræsentavit ipsum *Hieronymus*,
non omissis insuper additamentis, a *Jacobo Bonfrerio*, Jesuita,
olim adjunctis. Ubique strenuam huic Editioni operam na-
navit *Jo. Clericus*. Cum enim cognosceret ex collatione Operum
Hieronymi, Lutetiæ a *Jo. Martiano* A. 1690 inchoata, *Bon-
frerianam* editionem satis esse mendosam, ex posteriori supple-
vit atque emendavit, quæ deerant aut vitiata erant in priore.
Sed & notulas nonnullas addidit, in quibus varia, quæ indigna
scitu non videbantur, in *Eusebium* & *Hieronymum* monuit, ad
calcem plerumque singularum paginarum, post notas *Bonfre-
rianas*.

rianas. Neque tamen de locis ipsis Terræ Sanctæ, variisque Eruditorum sententiis de eorum situ, agere heic constituit, sed tantum Eusebium atque Hieronymum quam emendatissimum dare. Ad calcem addidit etiam *Descriptionem Terræ Sanctæ* Brocardi Monachi, de qua in Præfatione ad Sansonium dixit, desumptum ex novo orbe Simonis Grynæi Basileæ A. 1655 edito.

*DECAS EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM
de vera pronuntiatione Nominis Jehova, cum Præfatione
HADRIANI RELANDI.*

Trajecti ad Rhenum, apud Joannem Costerum, 1707, in 8.
Alph. 1. plag. 13.

Quo fine Celeberrimus Relandus hanc Dissertationum Decadem typis iterum descriptam in lucem ediderit, in Præfatione eidem præmissa ipse nobis aperit, asserens, non eo scopo id factum fuisse, ut bella litteraria de vera nominis Jehova pronuntiatione in Belgio summa animi contentione agitata producerentur, aut propagarentur ad posteros, sed ut, sententiis utriusque partis æqua lance libratis, unusquisque, quod sibi videtur, eligeret, & illa, quæ non nisi magnis sumtibus comparari poterant, & per multa eaque ingentia volumina sparsa jacebant, in una quasi tabella Lectori offerrentur. In Decade ipsa priores quinque Exercitationes, quæ Drusio, Amamæ, Cappello, Buxtorffio, Altingio natales debent, lectionem Jehova impugnant: posteriores autem quinque, quarum una Füllerum, altera Gatakerum, tres Leusdenium autores agnoscunt, lectionem nominis Jehova tuentur. Clarissimus Editor in Præfatione laudata fatetur, se cum illis facere, qui propugnant puncta nominis יהוה genuina non esse, recte tamen æstumat, ferendos esse æquo animo, qui ab hac sententia abeunt, nec indignandum, si quis tum pro concione, tum alias, nomen illud Jehova efferat, quia plerique homines illiterati huic pronuntiationi adsuevere; nec tempestivum esse, quotiescunque nomen יהוה indicare sermone nostro volumus, hanc controversiam tangere, imprimis coram rudi harum rerum populo: verum
hoc

hoc vicissim sibi expetit, ne qui se aliosve, in lectionibus Academicis, exemplo veterum Christianorum pro יהוה legentes ארני audiunt, vel credant vel dicant, superstitionem id Judaicam redolere, aut studio novitatis se aliosve eo permoveri. Sub finem Præfationis monetur, potuisse quidem multo plures Virorum eruditorum Dissertationes colligi & huic fasciculo inseri, intra hos tamen fines subsistere visum fuisse, tum quod illa, quæ hoc libello comprehensa sunt, abunde satisfactura sint desiderio Lectorum, qui rationes utriusque partis in hac controversia sub examinis incudem revocare volent, tum quod vastum alias & frequenti earundem rerum repetitione molestum volumen hinc natum fuisset. Post Præfationem rationes præcipuæ tum contra pronunciationem nominis Jehova, tum pro lectione ejusdem nominis facientes ex ipsis Exercitationibus debito studio collectæ exhibentur.

REPONSES AUX QUESTIONS &c.

i. e.

RESPONSIONES AD QUÆSITA CUJUSDAM Provincialis. Tomus IV.

Roterodami, apud Reinier Leers, 1707, in 12.

1 Alph. ch. aug.

Quarta hæc Pars est Responsionum Bælianarum, & quod auguramur, ultima, cum ante complures menses e vivis Celeberrimus Auctor excesserit. Complectitur eadem Capita XXIX, & partim sententias Bælii contra J. Bernardum & Clericum vindicat, partim memorabilia quædam ex Historiæ penu in medium affert. Initium facit a natalibus Michaelis Radzievii, Cardinalis & Primatis nuper Polonici, ostenditque contra quosdam, illum omnino patre Hieronymo Radzievio, Vice-Cancellario Polonico, satum esse, qui turbas in Polonia maximas dederit & A. 1654 obierit. Hinc Annæ Jagelloniæ, Polonorum Reginæ, mores, vita & serum conjugium, commemoratis (ut Auctor solet) singularibus & notatu perdignis circumstantiis, exponuntur, nec non Mariæ Ludovicæ Gonzagæ, quæ eadem dignitate functa est, res gestæ, fama etiam ejus contra

malevolos defensa. Conversus Auctor ad relationes publicas, quas vulgo Novellas vocant, istud cumprimis earundem vitium castigat, quod de futuris sæpe ratiocinentur, ut plurimum vero turpiter se dent: quo loco sigillatim scriptorem hujus farinae Gallum, qui sub Helvetii cujusdam nomine Fœderatos contra Gallia Regem sæpe traducere solet, dignis modis excipit. Differit porro non perfunctorie ex Hieronymo de maledicentia probatissimæ interdum vitæ homines vexante, nec non de falso credito per aliquod tempus Caroli Gustavi, Regis Suedici, & Maximiliani Emanuelis Bavari obitu.

His præmissis, defensionem sui contra Cl. Bernardum suscipit, Jurieum quoque interdum tangens, multoque studio depugnat, Idololatrias pejores esse Atheis, magisque inclinare ad vitia, nec habere, quod flagitiorum in iis cursum remoretur: sine fundamento omni doceri, quod Pagani turpissimas de Deastris suis fabulas mystico quodam sensu explicaverint, quin potius eosdem adulteria, litigia atque alia Deorum suorum scelera ita credidisse ait, ut & imitatione exprimenda statuerent. Multos porro Atheos theoreticos, eosque proprie tales dari, contra Voetium & Bernardum contendit, adductisque recentiorum permultis testimoniis, conatur ostendere, non solum Sinenses Philosophos, sed & integras gentes Casrorum, Insularum Marianarum, & quæ vicinæ iisdem nuper detectæ sunt, Atheismo laborare: itemque, thesin hanc, dari Deum, non evidentem facilemque captu, sed perdifficilem omnino esse: attributa Dei, præsertim immaterilitatem, innumeris dubiis obsita esse, adeo, ut vix naturæ viribus investigari ea posse credat. Quo loco, præsertim p. 220 sq. Jo. Lockium refutat, docentem, quod naturæ substantiarum, tam corporum, quam spirituum, nobis omnino sint incognitæ, quodque extensio & cogitatio ad eorum essentiam non spectent, sed affectiones sint, quæ ab illis separari possint.

Pergit Bælius, & contendit, Atheismum Rebuspublicis omnino perniciosum non esse, sed imperandi parendique leges ipsumque societatis politicæ vinculum inter Atheos optime servari posse; & contrario idololatriam non uno modo politiis

litiis incommodam esse. Quo loco *p. 324 sq.* multa differuntur de Paganorum tam Philosophorum, quam Poetarum & Sacerdotum, doctrinis circa pœnas demortuorum, auctoribus classicis non perfunctorie perquisitis. Ipsam quoque Christianam religionem non æquissime Vir doctus tractare videtur, quando & docet, Rempublicam ex Christianis saltem veris, moralesque Servatoris regulas accurate servantibus constantem, inter vicinos, quales nunc dentur, populos conservari non posse, sed propediem callapsuram esse, & vim ejus in reprimendis vitiis omnem ferme enervat ac circumscribit, ea super re cum Bernardo contrarium tuente decertans. Græcorum vero, Romanorum aliorumque Paganorum religionem mere mercenariam fuisse iterum iterumque docet, & de interioribus ac fevioribus Christianorum officiis, (v. g. amore erga inimicos, & honoribus non quærendis) non tam leniter, ac fieri solet, explicandis, & restringendis, prolixè ratiocinatur: Bernardum enim ultra, quam permitti possit, ea extenuare notat, idemque Clerico exprobratum esse, *p. 416* observat.

Appendix hujus Tomi continet Responsionem Bælianam ad ea, quæ Clericus in Bibliotheca Universali Bælio objecerat, & præsertim ad Atheismi crimen illi intentatum. Hic Noster pari reddere gestiens, malum adversario animum tribuit, qui ficto veritatis & honoris divini studio pallietur. Haberi eundem passim pro Crypto-Sociniano, neque eum se ista hæctenus suspicione liberare potuisse, itidem inculcat, ejusque Origenismum & Rationalismum passim perstringit, nonnihil etiam de formis plasticis disputans contra Cudworthi defensionem a Cl. Clerico sententiam, quem credit, si viveret, sponte causa cessurum. Tandem Clerico arbitros controversiæ offert Theologos Lugdunenses in Batavis, Ultrajectinos, Franequeranos & Groningenses, quorum judicio causam se submissurum esse pollicetur.

Evangelischer Lieder-Schatz, 2c.

h. e.

HYMNORUM ECCLESIAE EVANGELICÆ,

Xxx 3

a Lu-

*a Luthero reformatæ, thesaurus expositus a JO. CHRIS-
TOPHERO OLEARIO, Eccles. Arnstadiens. Diacono,
& Bibliothecario, Scholæ item ejus loci Inspectori.*

Volumina IV.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielkium, 1707, 8.

Alph. I. pl. 20.

Anni sunt quinque, ex quo Reverendus *Olearius* Bibliothe-
cam Canticorum publicæ luci exposuit, quam anno 1705
Clariss. Tenzelius Bibl. Cur. Repos. 2do, Loculo primo, accura-
te satis & prolixè excerpfit. Ibi cum de Autoribus solum &
Commentatoribus cantionum disseruisset, operæ pretium se
facturum putabat, si & alia ad eorundem explicationem faci-
entia ederet. Quem igitur de variis Ecclesiæ nostræ cantio-
nibus collegerat Thesaurum, non apud se *ἑστυρίσσειν*, sed
cum aliis quoque communicare maluit. Universum opus quatuor
absolvitur partibus, quarum priores duæ A. 1705, tertia 1706,
P. I. Præf. quarta hoc demum anno prodire. Facta hæc divisio pro an-
ni Ecclesiastici temporibus, & cuique, seu Festa sit, seu Dominica
die, proprium Auctor assignat canticum. Detegit &, antequam
ad alia digrediatur, autorem, sæpe satis incertum. Testimonia
dein varia de singulari cujusvis cantici pretio affert in medium,
vires etiam divinas ex effectuum exemplis confirmat, usum &
abusum cum variis corruptionibus explicat, difficilia illustrat.
Denique ex Commentatoribus, quos in Bibliotheca prætermi-
serat, addit, Dispositionemque subjungit Homileticam. Dicta
Scripturæ ad quodvis canticum facientia allegare se tantum
voluisse ipse profitetur, quæ tamen ut plurimum ex textu, cu-
jus occasione ex suggestu explicavit cantiones, sunt desumptæ.
P. II. Age vero subjungamus horum aliquod specimen ex Parte se-
cunda. Ibi in cantico: *GDG der Vater wohn uns bey* &c.
non, ut vulgo fit, mit *Waffen* *GDtes* uns rüsten, canendum
esse docet, verum cum Luthero retinendum: mit *Waffen* *GDt-*
40. *tes* uns fristen. Canticum: *Nun laßt uns* *GDt* dem *HEr-*
ren &c. ab aliis Selneccero, ab aliis Saxonix Duci Johanni Fri-
derico II adscriptum, Helmboldo Mülhusano Superintendenti
vindicat.

vindicat. Occasione cantionis : Nun freut euch lieben Christi-
 sten g'mein, &c. narrat, seculo superiore Ludimoderatorem Ge- p. 70.
 mundensem, oppidi in Austria superiore siti, ad Pontificios a
 Lutheranis, uxore nequicquam dehortante, descivisse. Paulo
 post morbo correptum, cum nullo Pontificiorum solatio eri-
 geretur, dictum canticum una cum uxore recitasse, cum vero
 ad illa perveniret verba : zur Hölleu must ich sincken, efflasse
 animam. Quo num non Deus docere humanum genus vo- 97.
 luerit, ea sancta credere, quæ ab hoc erant violata, ii viderint,
 quorum est, hæc scrutari. Sed redeundum, unde sumus di-
 gressi. In cantico Paschali viriliter verba : und speisen die Seel'
 allein, contra Reformatorum Theologos defendit, qui nobis-
 cum eo utentes, ex his ipsis verbis patrocinium se suo circa
 S. Coenam errori invenisse putant, ostenditque, Lutherum ibi
 voculam allein non ad animam retulisse, sed Christum,
 qui solus animam nutrire sibi reservavit. Rhythmicam preca- 134.
 tionis Dominicæ versionem, a B. Luthero confectam, nobisque
 cani in publicis Ecclesiæ cœtibus solitam, non minus inter Ponti-
 ficios etiam atque Reformatos usurpari refert, hosque miratur in
 precatone septima retinuisse verba : Von allem Ubel uns erlöß,
 alias dicere svtos : Von allem Bösen, &c. maxime cum ab ini-
 tio statim canant : Unser Vater im Himmelreich. Proprio 152.
 Pontificios ense jugulat, qui nobis ex cantione : Nun bitten
 wir den Heiligen Geist, um den rechten Glauben allermeist,
 objiciunt, fidem nostram minime esse veram, quippe qui illam
 his verbis expetere soleamus. Demonstrat enim, hunc pri-
 mum cantici istius versum antiquissimum, & ante Lutheri con-
 tinuationem jamdum in usu Pontificiis fuisse. Plura excer-
 pere super sedemus, his jam sufficientibus, ut ex paucis, quanta
 totius Tractatus sit dignitas, colligi queat. Hoc tamen præ-
 terire neutiquam possumus, quod Parte tertia, priusquam ad P. III.
 sua digrediatur, integram D. Finckii, Superintendentis olim Co-
 burgensis, Præfationem, quam suo Cantionali anno 1622 edito
 apposuerat, præfigat. Fecit id, ne consilii, quod Summe Reveren-
 dus Goetzius, Superintendens Lubecensis ipsi dederat, de colli-
 gendis Virorum pietate insignium ad Cantionalia Præfationibus
 vide-

videretur immemor. Meditatur autem Autor Reverendus auctiorem Bibliothecæ suæ Cantionalis editionem, Hymnarium item & varia ad patriam Historiam facientia, quæ Catalogo hucusque a se editorum, Parti quartæ addito, subnectit. Quod reliquum est, nobis interpretibus, etiam atque etiam Viros pios, doctos, & rerum Ecclesiasticarum peritos orat atque obtestatur, ut, si quæ ad cantionum materiam spectantia ipsis ad manum sint, sua ipsum suppellectile juvare, totamque adeo Ecclesiam sibi devincire non dedignentur.

CONTINUATIO EXCERPTI EX EPISTOLA

F. D. C. Abb. Vall. superiori Mense p. 517
inserti.

EX. gr. proponantur duo infiniti Spiralium ordines, ad Archimedeam utpote omnium simplicissimam reducibiles, expressisque duabus Analogiis $y.m | b.m | | k.n | c.n$ & $y.m | k.m | | b.n | c.n$; in quibus significant, c peripheriam circuli dati; b radium ejus; k arcum ab extremo hujusce radii puncto circulante cum certa velocitate descriptum; y applicatam ad curvas, e centro communi eductam, atque a puncto lineante super radium b cum certa celeritate decursam; m & n indices potestatum infinite generales, permutatione variatos. In priore harum Analogiarum, quando k adæquat c tunc y adæquat b : nam

y fit $= b \times \frac{k^m}{c^n}$: In posteriore idem non evenit, quum

numerus m differt a numero n ; etenim y est $= b^{\frac{n}{m}} \times \frac{k^n}{c^n}$.

Jam vero ex natura primi ordinis colligitur 1°. $k =$

$\frac{c^n y^{\frac{m}{n}}}{b^{\frac{m}{n}}}$; 2°. $dk = \frac{m' c^n y^{\frac{m-n}{n}} dy}{n' b^{\frac{m}{n}}}$; 3°. propter circumferen-

tias concentricas $b \mid y \parallel dk \mid \frac{y dk}{b} = (\text{per } 2^\circ.) \frac{m' c' y^{\frac{m}{n}} dy}{n' b^{\frac{m+n}{n}}}$

quod denominatum du ponatur in æquatione problematis superius notata (III). Unde, utrobique dividendo per dy , mul-

tiplicando per $r' n' b^{\frac{m+n}{n}}$, & in proportionem resolvendo

obtinebitur i ad r sicut $\sqrt[n]{\frac{n^2 b^{2m+2n} + m^2 c^2 y^{2m}}{n}} \text{ ad } \frac{m' c' y^m}{n}$:

Unde $\frac{r}{i}$ communis expressio sive hypothesis sinuum, quo-

rum ratio continuas metiretur refractiones Radiorum secundum has primas spirales in plano verticali usque ad centrum sphericis superficiebus refractivis commune incurvescentium.

Porro ex natura alterius ordinis datur $1^\circ. k = \frac{n' c' y^{\frac{n}{m}}}{n' b^{\frac{n}{m}}}$;

$2^\circ.$ (ob similes sectores) $b \mid k \parallel y \mid \frac{ky}{b} = (\text{per } 1^\circ. \text{ hujus})$

$\frac{c^m y^{\frac{2}{m}}}{b^{\frac{m+n}{m}}}$, quo supposito $= \frac{2}{1} u$ (ubi fractio $\frac{2}{1}$ denotat

rationem inter exponentes 2 & 1 ipsius y in $\frac{ky}{b}$ & in k) ac postea

postea differentiato, ex differentiali $z du$ fiet $du = \frac{c^{\frac{n}{m}} y^{\frac{n}{m}} dy}{m+n}$

præstans beneficio æquationis (III) supra, nec non divisionis per dy & multiplicationis per $r^{\frac{m+n}{m}}$ hanc proportionem

$$i \mid r \parallel \sqrt[{\frac{m+n}{m}}]{b^{2m+2n} + c^{\frac{2n}{m}} y^2} \mid c^{\frac{n}{m}} y^{\frac{n}{m}}, \text{ qua innotescit}$$

— ad cuius hypothesein secundus iste spiralium ordo curvatu-

ras suas quatenus refractione formandas refert. Hinc utrovis modo, patet esse i ad r sicut $\sqrt[{\frac{m+n}{m}}]{b^2 + c^2 y^2}$ ad cy seu

$$\sqrt[{\frac{m+n}{m}}]{b^2 + c^2 y^2} \text{ ad } \frac{cy}{b} \text{ pro simplicissima spirali in qua } m \text{ evadit}$$

n : Adeo ut refractionismi sui hypothesein habeat expressam

fractione $\frac{r}{i}$ constante ex numeratore & denominatore quo-

rum quadrata sunt inter se ut quadratum ex peripheria refra-

ctiva $\frac{cy}{b}$ est ad summam quadratorum ex semidiametro b cir-

culi dati & ex eadem peripheria concentrica. In tali autem refractionismo id notatu dignum videtur, quod pro diversa Radiorum luminis incidentium inclinatione supra eandem superficiem non curvæ curva similis succederet: Proprium est enim

Helicis

Helicis Archimedæ sic esse dy ad du ut est b ad $\frac{cy}{b}$; ac per

consequens constante tam ipsa y quam b constare ipsam du , nec in eodem Medii hujusce puncto inclinationem tangentis immutata curvaturæ formandæ natura variari posse. Quare continua refractione sub aliis angulis in iisdem superficiebus sphericis mutaret spiralem illam in aliam satis dissimilem æquatione

$$ne\ haud\ integrabili\ cdy = \frac{de}{b} \sqrt{\frac{pp}{-b^2} + \frac{pp-qq}{qq} c^2 y^2}$$

expressam; & dependentem tum a ratione peripheriæ c ad suam diametrum $2b$, tum quoties p major est quam q ab Hy-

perbola æquilatera, cujus sunt $\frac{2bpp}{c\sqrt{pp-qq}}$ diameter transversa

& y ordinatim ad axem applicatæ; per hanc scilicet analogiam perpetuam: Sicut Abscissa inter centrum & Applicatam hujusce hyperbolæ se habet ad differentiolum dy ejusdem applicatæ æqualem particulæ super semidiametro data b sumen-

dæ, ita recta $\frac{qb}{\sqrt{pp-qq}}$ est ad arculum de super peripheria

c accipiendum. In cujus spiraliformis æquatione, $\frac{p}{q}$ desi-

gnat rationem, quam sinus anguli intra tangentem Helicis & rectam superficiæ refractivæ perpendicularem contenti habet ad sinum alius intra Radium incidentem eandemque perpendicularem anguli. Quod si p esset minor quam q ; semihyperbola æquilatera commutaretur in quadrantem circuli diametrum

$\frac{2pb}{c\sqrt{qq-pp}}$

habentis, & spiraliformis in aliam absimilem,

$$c\sqrt{qq-pp}$$

pro varia ratione $\frac{q}{p}$ in specie sua variabilem, cujus Tangens Yyy in-

insisteret ad angulos rectos ordinatæ y , quum foret $y =$

$$\frac{pbb}{\sqrt{qq - pp}}, \text{ id est } \frac{\sqrt{b^2 + c^2 y^2}}{cy} \text{ seu } \frac{i}{r} = \frac{q}{p}; \text{ un-}$$

de fieret $\frac{q}{r} = 1$ & consequenter, uti mox patebit, $de =$

$\sqrt{\frac{dy^2}{dy^2} + \frac{de^2}{de^2}}$ indicans particulam curvæ refractionatæ secundariæ cadere in sinum inclinationis, hoc est Radium luminis coincidentem cum Tangente sublimi hujusce curvæ tunc fore

maxime inclinatum, rationemque $\frac{q}{p}$ in superioribus curvæ primariæ punctis non amplius eandem dari per radiorum incidentium inclinationem.

Exigit hic Spiralis Archimedææ cum Parabola primi generis affinitas, ut in Medio secundum illius parabolæ Tangentes refractivo ideoque planis superficiebus contento naturam curvæ sub aliis angulis ex eodem puncto refractionatæ ostendamus. Inventum est supra pro tali Medio $r = 2y$ & $i =$

$$\sqrt{aa + 4yy}; \text{ Unde } \frac{pp^2}{qq} \text{ evaderet } \frac{pp^2}{qq} + \frac{4pp - 4qq}{qq} y^2$$

& æquatio, infra demonstranda, $rdy = de \sqrt{\frac{pp^2}{i^2} + \frac{qq}{r^2}}$

ad curvam quæsitam migraret in $2y dy = de \sqrt{\frac{pp^2}{aa + 4yy} + \frac{4pp - 4qq}{qq} y^2}$: Cujus integratio præstat

$$\frac{pp^2}{aa + 4yy} + \frac{4pp - 4qq}{qq} y^2 = \frac{+pp + qq}{qq} e^2 \text{ vel ad inversam}$$

semi-

semihyperbolam, a Radio luminis minus inclinato, quam si parabolam tangeret, & continue refracto formandam quoties q minor esset quam p ; vel ad quadrantem ellipseos a Radio luminis magis obliquo quam tangens parabolæ inclinata foret, & continue incurvescente describendum quoties q major esset quam p . In qua Hyperbola haberentur axis transversus

$$= \frac{pq}{pp-qq}a, \text{ conjugatus} = \frac{p}{\sqrt{pp-qq}}a, \text{ rectæ ad axem}$$

in fundo Medii positum applicatæ = y , & harum applicatarum a centro distantia = e . In qua autem Ellipsi forent

$$\text{axis transversus} = \frac{p}{\sqrt{qq-pp}}a, \text{ conjugatus in fundo Medii}$$

$$\text{positus} = \frac{pq}{qq-pp}a, \text{ Applicatæ ad axem fundo Medii}$$

$$\text{parallelæ} = e \text{ \& singulæ centri ab Applicatis distantia} = y:$$

Maxima porro Radiorum luminis inclinatio pro singula $\frac{q}{p}$,

$$\text{præstaret } \frac{\sqrt{\frac{dy^2}{de^2} + \frac{de^2}{de^2}}}{de} = 1 = \frac{pi}{qr}, \text{ \& hinc } \frac{q}{p} = \frac{i}{r} =$$

$$\frac{\sqrt{aa + 4yy}}{2y}, \text{ tandemque } y = \frac{pa}{2\sqrt{qq - pp}} \text{ maximam}$$

hujus quadrantis elliptici refractionati a fundo Medii distantiam semiaxi æqualem; quemadmodum refractionismi naturæ competit.

In genere, significantur totalis sinus per t , & particulares variorum incidentiæ angulorum sinus per s & σ : Facile

$$\text{probabitur quantitates } \sqrt{tt-ss} \text{ \& } \sqrt{tt-\sigma\sigma} \text{ (brevitatis causa}$$

causa p & q) esse ad invicem ut duo sinus inclinationum in eodem Medio refringente sub æqualibus rectorum curvas refractionatas tangentium partibus. Quorum igitur sinuum ea-

dem esset, ex dictis, ratio, quæ quantitatis $\frac{r}{i}$ ad quantitatem

$\frac{qr}{pi}$; quapropter in æquationibus supra notatis (II) & (III)

loco $\frac{pi}{r}$ scribatur $\frac{pi}{qr}$ & loco dx aut du ponatur de aut

de respectu superficierum Medii planarum aut sphericarum,

inde emanabit $r dy = \left\{ \frac{de}{de} \right\} \sqrt{\frac{pp^2}{i^2} - \frac{r^2}{r^2}}$ (V) ad infi-

nitatis continuæ refractionis curvaturas *secundarias* intra eandem Mediorum parallelis superficiebus aut planis aut sphericis contentorum seriem a radiis luminis diverse inclinatis formandas.

Etenim quum dx aut du $\left(\frac{y dx}{b} \right)$ curvæ refractionatæ primariæ sit ad de aut de $\left(\frac{y de}{b} \right)$ secundariæ ut est p ad

q ; fit $de = \frac{q}{b} dx$ supposito $\sqrt{\frac{dy^2}{dy^2} + \frac{dx^2}{dx^2}}$ primariæ =

$\sqrt{\frac{dz^2}{dz^2} + \frac{de^2}{de^2}}$ secundariæ ex ipsis refractionum legibus; &

sic de alio casu simili. At quoniam $\sqrt{\frac{dy^2}{dy^2} + \frac{dx^2}{dx^2}}$ est ad

dx sicut i ad r ; consequitur $\sqrt{\frac{dy^2}{dy^2} + \frac{dx^2}{dx^2}}$ sive ipsi æqualem

$\sqrt{\frac{dz^2}{dz^2} + \frac{de^2}{de^2}}$ esse ad $\frac{q}{p} dx$ sive ipsi æqualem de sicut

i ad

i ad $\frac{q}{p} r$. Ergo pro curva secundaria obtinetur $\frac{p i}{q r} de =$

$\sqrt{\frac{dz^2}{p^2} + \frac{de^2}{q^2}}$; Unde (utrinque quadrando, multiplicando per r^2 , transponendo $r^2 \overline{de^2}$, & radicem quadratam ex-

trahendo) provenit $de = \frac{p p}{q q} \frac{r^2}{r^2} \frac{dz}{r} = r dz$, ubi dz ex-

primi potest in genere per dy ; quandoquidem æquales essent z ad curvam refractionatam secundariam Applicatæ & y ad primariam Ordinatæ, quatenus in iisdem superficiebus refracti-
vis sibi responderent: Pro de autem scribi posset $d\epsilon$ significans

$\frac{y}{b} de$ vel $\frac{b+y}{b} de$ quum superficies illæ supponuntur sphæ-

ricæ: Quod erat ostendendum.

Satis porro patebit has curvas continuæ refractionis secundarias primariam, cujus locum pro varia Radiorum incidentium inclinatione supplerent, propria speciei suæ æquatio-

ne excludere, quoties ipsi $\frac{p i}{q}$ inest quantitas variabilis quam

sinuum refractionalium hypothesis necessario includit. Non ita est de curvis quarum æquatio solam continet quantitatem

$\frac{p i}{q}$ quæ constans sit & in hypothesis sinuum refractionalium

non includatur: Sunt quippe omnes ipsi primariæ similes, eandemque cum illa speciem eadem æquatione expressam constituunt.

His annumeramus istam curvarum centricarum speciem,

quæ propria continuæ refractionis mensura $\left(\frac{r}{i} = \frac{V y}{V a} \right)$ id est
simpli-

simpliciter \sqrt{y} ob communem divisorem \sqrt{a} , rectis y interpuncta refractionum & basim circula rem normaliter applicatis) naturalem motus Graviorum accelerationem retrogrado ordine exprimit. In Analogia superius notata (IV) si loco i & r

scribamus \sqrt{a} & \sqrt{y} ; quod inde resultat, nempe $du \left(\frac{b+y}{b} dx \right)$

ita se habere ad dy sicut \sqrt{y} ad $\sqrt{a-y}$ seu y ad $\sqrt{ay-yy}$, istarum curvarum, quatenus a Radio luminis per sphaericas superficies continue refractio formatarum, proprietatem nobis exhibet. Quam quidem specificam, communi aequatione expressam, dicimus; quoniam \sqrt{a} , dum ad libitum, immutata sinuum refractionalium hypothese, assumi potest, idem est atque

p^i

— aequationis (V) supra, ad curvas refractionatas secunda-

q

rias pertinentis.

TAB. X.

Fig. 2.

Imaginemur centrum Terrae esse Q (Fig. 2.); semidiametrum ejus, QP vel QN ; portionem circumferentiae Terrestris, ANR , concentricam peripheriae aereae in Atmosphaera partem, ILK ; punctum in hac peripheria refractivum, C ; verticale illius ad Terram intervallum, CN ; simile infinite propinquum, BM ; continua refractionis curvaturam, $dBCA$; lineolas quarum ratio hanc refractionem metitur, Bg , CK , &c. Ponamusque, quod jam pro Cycloide observavimus, istam refractionis mensuram in exiguis continue superimpositis massaere mediocriter compressae voluminibus (gdB , BKC , &c.) non differre a ratione, quae inter radices quadratas intervallorum BM , CN , &c. consistit. Liquet ex supra demonstratis lineam dBC , secundum quam radii luminis per Atmosphaeram transmissi detorquentur curvam esse centricam ejus naturae, quae hic modo explicata est. Concipiantur itaque circulus $PFDE$ qui diametrum PD habeat aequalem maximae (a) omnium Applicatarum CN (y) & tangat circumferentiam ANM in P : Assumptoque diametri segmento PL aequali ipsi NC agatur sinus rectus LE , ac jungatur chorda EP : Ex proprietate

cur-

curvarum hujusce refractionismi capacium triangulum rectan-
gulum ELP in circulo, & exiguum CKB sub curva similia
sunt; quandoquidem sicut PL (y) se habet ad LE ($\sqrt{ay - yy}$)

ita CK ($\frac{b+y}{b}dx$) ad KB (dy); unde necessario consequi-

tur, angulos lateribus homologis oppositos PEL & CBK esse
æquales. Hinc palam fit, ejusmodi curvas non adscribendas
esse earum numero, quæ originem ducunt a motu puncti fixi
in circumferentia circuli super alium circulum circumvoluti,
dicunturque Epicycloides primariæ. Nam si punctum tangens
 P & punctum describens C connecterentur, recta in circulo
genitore subtensa PC perpendiculariter Epicycloidi genitæ oc-
curreret: angulo igitur PCB existente recto, ac proinde
æquali duobus simul sumptis KCB & KBC supra basin par-
vi trianguli rectanguli CKB ; demptoque communi KCB ;
reliqui PKC & KBC æquales essent. At propter refractioni-
simum positum æquatur angulus PEL ipsi KBC ; ergo &
æquaretur ipsi PKC : Quod manifestissime repugnat, quum
ille PEL & iste PKC pro cruribus haberent tam chordas PE
& PC ab eodem puncto P ad diversa E & C ejusdem peri-
pheriæ ductas, quam tangentes LE & GC actas per diver-
sa puncta L & C ejusdem arcus basi circulari concentrici CI
dictam peripheriam in C diametrumque in L secantis; sicque
arcubus inæqualibus PF , PG fulti necessario inæquales forent.
Attamen circulari basi ANR in rectam expansa, non ad Cy-
cloidem secundariam sive contractam sive protractam, sed ad
primariam seu vulgarem a puncto in peripheria circuli circum-
voluti descriptam id genus curvarum continuæ refractionis in
Atmosphæra reducitur. Perspicuum est enim, ipso Figuræ 2
aspectu, arcum basi circulari parallelum LC sic extensum, ut
diametro PD circuli genitoris PED ad angulos rectos insi-
stat in L , coincidere cum tangente sua LE ; punctum lineans
 C transferri in E ; tangents CG extremum G cadere in F pro-
pinquum extremum alterius tangents LE ; chordam PC cir-
culi circumrotati, punctum lineans deferentis, occurrentem

(suo quo potest puncto) normaliter Cycloidi genitæ, chordamque PE circuli genitoris terminatam ad sinum rectum $LE = \sqrt{ay - yy}$ aut simul coalescere, quum circulus circumrotatus idem est qui genitor, aut sese decussare in E , quum circulus genitor vel major est, vel minor, quam circumrotatus; adeoque dictos angulos PK & PEL congruere, hoc est evidenter fieri æquales, in semicycloide primaria, non item in duabus secundariis. Inter ergo speciem curvarum centricarum, quas Radii luminis, Atmosphæram transeuntes, continua refractione efformant, ex hypothese quod punctorum refractivorum altitudines sunt ad invicem in duplicata sinuum refractionalium ratione; inter, inquam, curvarum hujusmodi speciem & Epicycloidum primariarum naturam non parvum esse, discrimen ex dictis liquido constat.

Ceterum non ab re forsan erit hic subjungere modum ducendi lineas rectas, quæ curvas istas ad angulos rectos secent.

- 1°. E centro Q (Fig. 2) ad quodlibet punctum P baseos circularis ANR agatur recta QP , & sic producat, ut pars PD adæquet maximam curvæ positione datæ applicatam.
- 2°. Circa diametrum PD describatur circulus $DEPD$.
- 3°. Ducto per quodcunque hujusce curvæ punctum C arcu basi ejus concentrico, donec circuli $DEPD$ peripheriam secet in C , & diametrum in L ; connexisque sectionum punctis cum puncto Q , erigantur in C & in L super QC & QL duæ perpendiculares, quæ ipsi peripheriæ $DEPD$ occurrant in G & in F .
- 4°. Eiusdem arcus CLI sumatur pars CL , curva tenus, æqualis parti LC intra circulum; & connectantur L, Q , prope curvam.
- 5°. In circumferentia $DEPD$ assumpto arcu $P2$ æquali arcui GF , describatur centro Q , intervallo $Q2$, portio peripheriæ occurrens in 3 rectæ connectenti puncta Q & L curvam versus. Denique prope ab eadem curva sumatur arcus 32 æqualis arcui 23 intra circulum; jungaturque $2C$; ipsa erit normalis ad curvam propositam quæsitæ. Nam (ex constructione) angulus $2CG$ æqualis fiet angulo PEL , & idcirco (ex proprietate explicata) angulo CBK . Atqui in parvo triangulo rectangulo BKC sub curva ACB , anguli basi adjacentes

centes CBK & BCK æquantur simul uni recto: Ergo idem BCK & idem 2 CG simul sumpti unum rectum BC2 ad ipsam curvam ACB constituerent. Quod requirebatur.

*MARCI ANTONII SABELLI, JCTI MUTI-
lianensis, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Curie Crimi-
nalis Auditoris, Summa diversorum Tractatum ac
Resolutiones, cum Indice generali.*

Tomi VI.

Coloniæ, sumtibus Wilhelmi Metternich, 1707, in fol.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium.

Alphab. 29.

Vastissimi hujus Operis externum habitum si breviter repræ-
sentaverimus, nostro fortassis satisfacimus officio, impri-
mis cum pleraque hic contenta bis ante hac edita fuerint
Venetiis. Summa diversorum Tractatum, quæ vocatur, qua-
tuor Tomis, Libros novendecim complexis, absolvitur, in eaque
doctissimus Autor varii generis materias ordine alphabetico
recensuit, atque ita, per singula literarum elementa, a quibus
aliquid materiæ expectari potuit, eundo, amplissimos locos
communes adornavit, in quibus, docente Operis titulo, omni-
genæ universi Juris selectiores, methodicæ, practicæ ac deci-
sivæ Conclusiones, circa Judicia, contractus, ultimas voluntates
& delicta, ad forum Seculare, Ecclesiasticum & Conscientiæ
spectantes, ad instar uberrimi Repertorii, habentur, & a proba-
tissimis hujus ætatis neotericis Auctoribus, ac quarumvis ma-
teriarum decisionibus, præcipue Sacræ Romanæ Rotæ, Urbis &
Orbis Areopagi confirmatæ, cum locis, ubi materiæ distinctæ
crudite & copiosissime pertractantur. Toti Operi præmissum
est Compendium Judicis perfecti, sive Discursus de munerum
& precum datione ac receptione, Judicibus cæterisque Officia-
libus publicis prohibita, Autoris vero Filius, Guidus Antonius
Sabellus, Jctus & in sacra atque illustrissima D. Stephani, Se-
renissimi Magni Etruriæ Ducis, religione Eques, teste eodem o-
peris titulo, innumeras accessiones locis propriis inseruit, ac in-

super tribus Tomis prioribus, diversorum Juris Præcerum allegationes & Decisiones, varia Juris argumenta concernentes, separatim in calce adjecit. Tomus Quintus Sabelli Patris centum Resolutiones, in quibus, ut verbis Rubricæ iterum utamur, quamplures quæstiones forenses, quotidie occurrentes, perstrictè & summatim, juxta veriores & approbatas Doctorum sententias, ac præcipue juxta solidissimas Rotæ Romanæ opiniones, deciduntur, exhibet. Quibus omnibus Sabellus Filius Indicem generalem copiosissimum ac in quatuor alphabeta crescentem in Tomo Sexto subjunxit, quo, ut ipse ait, velut clave, omnes materiæ, tam Summæ Sabellæ, quam Resolutionum, nec non Praxis Criminalis ac novissimarum additionum, quæ in Voluminibus Coloniensis hujus impressionis continentur, facile aperiantur. De cetero uti doctissimi Sabelli, Pater & Filius, summam laboris & diligentiae laudem hoc opere sunt promeriti, ita dubitandum etiam non est, quin tam operosa collectio omnibus jura tractantibus, inprimis vero iis, qui in foro vel causas orant, vel consulentibus de jure respondent, ac variis allegationibus non raro indigent, maximo futura sit usui.

POLITICA E RELIGIONE &c.

h. e.

POLITICA ET RELIGIO, IN PERSONA, DICTIS, & FACTIS JESU CHRISTI, secundum Evangelium S. Johannis demonstrata a Comite JOANNE BAPTISTA COMAZZI.

Tomus primus.

Nicopoli, apud Evasium Folgori, 1706, in 8.

Alph. 1.

PRudentiæ civilis & Religionis suave consortium ostendit hoc libro, atque JOSEPHO I Imperatori invictissimo subjectissime commendat Illustrissimus *Comatius*, de cujus Operibus aliis cum abunde dictum sit. in Actis anni 1706 pag. 478, sq. hoc

sq. hoc unum hic addimus, quod in revidendo nunc LEOPOLDO, historia scilicet *Leopoldi Imp.* Latine scripta occupatus sit, & præterea prelo paratos habeat libellos sequentes: *Li Gradi al Dradimento: Il piacere della Corte: Historia della Flotta Cesarea sul Danubio: La Coscienza Illuminata.* Præmissa est libro huic, quem nunc exhibemus, Introductio, in qua post explicationem notionum, Politicæ & Religionis, utramque necessariam esse ostendit Imperanti, exemplis Tiberii Imp. Rom. & Mosis usus, quorum illum absque Religione, hunc absque Politica fuisse dicit infelicem; & hoc acriori meditatione dignum, addit: si eodem tempore, quo Moses cum Deo colloquebatur, alius Minister politicus, aliis quidem in locis Manna distribuisset, in aliis vero verbera his, qui tumultuum fuerant autores, tum demum feliciter procedere potuisse civile imperium Israeliticum, neque opus fuisse XL annis & XI mensibus ad hebdomadam paucarum iter absolvendum. Porro libri ipsius Capitibus singulis singula S. Johannis Evangelistæ loca ingeniose explicat, ad Cap. usque IV, vers. 6. Joh. hoc Tomo I progressus; ex iisque tum monitum religiosum, tum politicum aliquod argute elicit. Ex. gr. Capite X sumit hoc Joh. II, 4 exponendum: *Quid mihi & tibi est, mulier?* Ubi (§. i. n. i. sqq.) considerat, quod B. Maria, cum audivisset illud Christi, quod durum & incivile videri poterat: *Quid mihi &c.* ipsa dixerit tamen servis: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Unde hoc colligit: Imperantes alia quidem lingua loqui solere ad nos, alia vero, qua sese ipsi inter se intelligant. Inter Christum & Mariam fuisse *intelligentiam* de præstando beneficio, sed *verba* aliter sonare debuisse propter duo arcana, politicum alterum, alterum sacrum, illud: *Non convenire scilicet feminis, immiscere se imperio, vivo imperante:* sacrum vero hoc: *ut conciliaretur attentio rebus sacris.* Miraculum nempe hoc spectasse S. Cœnam, mutationemque vini in sanguinem Christi futuram. Parandæ igitur attentioni, quæ primo huic miraculo debebatur, Christum insolito prorsus more allocutum fuisse matrem. Quo loco quod mutationem hanc aquæ in vinum cum illa in S. Cœna credita transubstantiatione confert, id quidem aliis dijudicandum

dum relinquimus, & ad monitum politicum progredimur, quod (§. 2. n. 7. sqq.) sic infert Illustrissimus Autor: Mariam fuisse haut dubie foeminis omnibus superiorem. Cujus factum ne traheretur in exemplum a foeminis, neque illæ se ingererent rebus civilibus, vivo & præfente Domino, ideo Christum eam h. l. *mulierem* appellasse, non matrem. Persequitur autem (n. 8.) hoc monitum politicum isthoc modo: in Religione, s. statu gratiæ, DEUM extulisse conditionem foeminarum, in persona Virginis, supra Seraphinos cœlestesque omnes Intelligentias, atque ostendisse, quod possit foemina coram DEO ad quemvis gradum aspirare perfectionis: verum in statu politico, in quo maneat foeminarum conditio naturalis, aliter illas esse respiciendas: *Quid mihi & tibi, mulier?* Confirmat Autor hoc monitum (n. 9.) ex statu hominis primævo. Cum DEUS conferret Adamo principatum, juberetque coram illo apparere omnia animalia, ut verum ab ipso nomen referrent, Evam nondum fuisse in mundo: *Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus*, Gen. II, 20; nempe ut Principes hinc intelligerent, in rebus imperii, cum maritus regnat, non debere foeminam sibi quicquam deposcere autoritatis; quandoquidem Adam fuerit Princeps constitutus tum, cum esset solus, sine uxore, & sine liberis, h. e. cum foeminæ nondum existerent: & si in dominio animantium foeminæ partem non habeant, multo minus sibi regnum posse in homines mares deposcere, ubi illi vivunt & imperant. Addit, (n. 10.) quod foemina ex Adami dormientis costa vel osse, non vigilantis & ratione utentis sanguine vel cerebro, vel parte alia, qua sedes esset spirituum & sublimis animæ, creata sit: atque, etiamsi dixerit DEUS: *Erunt duo in carne una*; bene tamen dixerit: *in carne*; non in mente, in qua est vis regnatix, virtus & character dominii. Etiam hoc considerat, (n. 11.) quod dictum sit Gen. I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit*. Quod de Adamo exponit, deque similitudine imperandi, cum DEUS corpus non habeat, cui similis esse potuerit homo: ideoque hæc connectit: *Ad similitudinem nostram & præsit*. Evam autem similem tantum Adamo fuisse conditam, nec cum illo

illo addito: *Et praesit*; ne, si Eva omni modo similis fuisset Adamo, etiam DEO assimilaretur, secundum illud: *Quae sunt aequalia uni tertio, sunt aequalia inter se.* Ideoque Adamum, visa Eva, nihil aliud dixisse, quam hoc: *Os de ossibus meis, caro de carne mea*; h. e. hæc similis est mihi secundum ossa & carnem, non secundum mentem meam & dominium meum. Illud quoque (n. 12.) annectit, quod Gen. I, 27 scribatur: *Creavit DEUS hominem ad imaginem suam*; & statim addatur in singulari: *Ad imaginem DEI creavit illum*; postea vero in plurali hoc tantum: *Masculum & foeminam creavit eos*; unde clarius etiam atque etiam eluceat, similitudinem foeminæ & maris positam fuisse in humanitate, non in principatu. Ex quibus (n. 13.) concludit: siquidem creata non sit a DEO foemina ad orbis dominium, nihil mirum esse, si male illa gubernet. Semiramidem Assyriis imperasse, Tomyrin Sarmatis, Annam Anglis, alias aliis, sed Regibus deficientibus, supplente Providentia & virtutes foeminis viriles largiente: aut mere accidentia fuisse hæc, quæ instar regulæ haberi non debeant. Certe constare divino ex Oraculo, imperia non esse foeminis concessa, ut sint felices populi: *Mulieres dominatae sunt eis, Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt*, Es. III, 19. Adjicit (n. 14.) omnes orbis populos, civiles & barbaros, consentire in eo, quod foeminas a magistratibus semotas teneant: & si quibus Senatium Foeminarum instituere placuisset, ut Eleogabalo Romæ, durare illud institutum non potuisse; atque Eleogabalum Imp. pro stolido habitum non modo in Urbe sed in universo orbe atque apud omnes posteros fuisse. Laudat denique Autor (n. 15.) consilium Senecæ, qui cum Agrippina, mater Neronis, una cum ipso Filio publice audire Legatos Armeniæ decrevisset, eaque de causa jam in locum palatii destinatum processisset, suaserit Neroni, obviam iret matri, quasi ex observantia, auditionem vero Legatorum aliam in diem differret: *Ita, specie pietatis, obviam itum dedecori*, apud Tac. Ann. L. XIII. c. 6. Ultimo loco (n. 16.) commemorat factum Mahometis Turcarum dominatoris, qui foeminam pulcherrimam, cum qua omnia consilia communicare dicebatur, ex improvviso in palatium

introducendam, aspectantibus Ministris, suo ipse gladio capite mulctaverit; clauditque hoc caput X eodem dicto, quo inchoaverat: *Quid mihi & tibi est, mulier?* Ex cujus unius argumento copiosiore facile est intelligere, quo pacto egregia sua cogitata proferat Autor genere idem & doctrina illustrissimus, cujus & secundum operis hujus Volumen, quod jam prodiisse accepimus, brevi exspectamus, quod tertium quoque & quartum mox excipient.

**Johann Paschens Beschreibung wahrer
Tanz = Kunst.**

i. e.

**JOHANNIS PASCHII DESCRIPTIO GENUINE
Artis Saltatorie.**

Francofurti, apud Wolfgangum Michahelles & Johannem
Adolph, 1707, in 8.

Constat 1 Alphab. 9 plag.

Postquam Autor hujus libri notissimus multos annos Lipsiæ Artem Saltatoriam magna cum laude alios docuit, eam in systema quoddam redactam, quod hac quidem ratione a nemine antea tentatum, publice hic exhibet. Quatuor autem membris argumentum hoc suavissimum absolvit, ostendens, artem hanc esse quidem naturalem, rationalem ac utilem, sed & vario abufui obnoxiam. Naturalem eam esse, inde deducit, quod gaudium ex anima ortum omnia in homine extendat, hacque ratione spiritus animales ad vehementiorem quandam motum instiget. Dum, quod rationalis illa ars sit, demonstrat, duabus eandem principaliter & effective constare partibus asserit, Ethica nimirum, seu aptitudine corporis, & Representationibus Theatralibus gestuum atque actionum. In utraque harum sequentia consideranda putat, Scopum finalem, Materiam, Inventionem, Ordinationem, Decorationem & Executionem. De saltationum nominibus parte prima agens dicit, eorum quædam esse propria, ut *Courante, Bourrée, Menuet,*

Sa-

Sarabande, Gigue &c. quædam Appellativa, petita a locis, ubi p. 39.
 saltationes nonnullæ primum exercitæ, ut *Bourrée de Versailles*;
 a personis, in quarum honorem eadem inventæ, ut *Courante*
du Roy; a casibus fortuitis, ut *Gavotte de Retour*; ab Operis, e
 quibus illæ desumptæ, ut *Gavotte de Flore*; a magistris artis sal-
 tatoriæ, ut *Courante de Beauchamp, Bourrée de Pecour.* Parte 64.
 secunda de Repræsentatione agente multa dicuntur de magistri
 saltationum persona & requisitis, nempe cognitione Poeseos,
 Geometriæ, Musicæ, Philosophiæ &c. Ab eodem, juxta Au- 76.
 toris mentem, porro requiritur, ut saltanda secundum artis re-
 gulas componat, composita apte exequatur, aliosque solide do-
 ceat. Quo autem id commode fiat, opus habet ejusmodi 86.
 magister dono docendi, visu acuto & prudenti, nec non auri-
 bus Musica bene excultis. Usus hujus artis sese exerit in tem- 100.
 perandis affectibus, imprimis timore, melancholia, ira & gau-
 dio; præterea exercitia saltatoria actiones Oratorum, publicas 107.
 ceremonias, exercitia militaria promovent & infantes robu-
 stos, aptos atque civiles reddunt. Circa abusus hujus tam 117.
 gratæ artis notatur præcipue ita dictus Pedantismus, qui que
 eidem hoc in exercitio sint dediti, distinctis allegantur nume-
 ris. His ita pertractatis, expenduntur Judicia J. C. L. P. P. G. 138.
 de saltationibus hodie usitatis, variaque monentur, tum circa
 titulum, tum circa tractationem ipsam, ac denique decem hanc
 artem concernentes Quæstiones formantur & deciduntur.

NOUVEAUX MEMOIRES DE MR. NODOT &c.

h. c.

NOVI COMMENTARII, SIVE OBSERVA-
 tiones in itinere Italico congestæ circa monumenta vete-
 ris & novæ Romæ, &c. Auctore NODOT.

Tomii II.

Amstelædami, apud Zachariam Chastelain, 1706, in 12.

Const. Alph. 1 & aliquot Tabb. æn.

NOvorum licet Commentariorum titulo liber hicce insigni-
 tus sit, non ex omni tamen, sed aliqua tantum sui parte

novitatis gratia se commendat. Secundus enim Tomus scriptum, Gallica quoque lingua de *Curia Romana* a Nodotio, Petronii editione satis celebri, aliquot abhinc annis editum, omnino exhibet, nisi quod in iterata hac illius editione quædam demta, quædam vero addita fuisse deprehendantur. Quæ scilicet ibi ad *Lionneum* exaratae conspiciabantur epistolæ, quibus Romanæ Curiaæ imago, qualis Clementis IX tempore fuit, delineatur, hic non comparent; quæ contra hic de viis publicis, aquæ ductibus, fontibus atque cloacis Romanorum commemorantur, ibi frustra quæsieris; ut naumachiarum, circorum, amphitheatrorum, mausoleorum, obeliscorum imagines aliasque tabulas, quibus hæc editio fuit exornata, taceamus. Primus vero libri Tomus jam primum in lucem publicam emissus est, in quo descriptis, quæ Christianorum cultui ac usui Romæ hodie consecrata sunt, templis atque ædificiis, quorum præstantissima ære quoque expressa sunt, illud imprimis Autor egit, ut, quæ ratione veri Numinis cultus de Gentilium superstitione triumphum quasi egerit, clarissime ostenderet. A primis igitur religionis Christianæ incunabulis rem exorsus, incrementa, quæ in Romana urbe subinde cepit, breviter enarrat ad Constantini M. usque tempora, cujus dum pietatem ac in rem Christianam merita collaudat, *Observationum selectarum ad rem litterariam spectantium Autores* notat, qui Tomo primo, Zosimi imprimis autoritate inducti, virtutes, quas Eusebius, Socrates alique gravissimi scriptores Constantino tribuerint, dubias ipsi reddere audeant. Hinc expositis variis nominibus, quibus loca cultui divino destinata veteres insigniverunt, non modo primaria illa templa, in quibus certæ, quas vocant, stationes ad impetrandas indulgentias fieri solent, sed alia quoque describit, & ita quidem, ut illorum originem, structuram, ornamenta, reliquias Sanctorum ibi adservatas, ceteraque memoratu digna diligenter exponat. Attingit quoque aliquando sepulcralia monumenta, ipsorumque inscriptiones, quæ vel ob defunctorum celebritatem, vel aliis de causis notabiles ipsi fuerunt visæ. Ita de templo differens, quod vulgo *la Madonna del Popolo* appellari solet, epitaphii cujusdam mentionem injicit, quod ho-

mini, infelici felis morfu extincto, hunc in modum scriptum legitur:

Hospes, disce novum mortis genus; improba felis
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Denique cœmeteriorum & cryptarum, quæ priscorum Christianorum, Romam incolentium, usui inservierunt, brevis descriptionem subjungit, illa maxime secutus, quæ Bosius, Severanus, Aringhius, Pancirollus & Baronius de iis prolixius commentati sunt.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

A	<i>Nonymi Scripta Varia, ad subscriptionem Formulæ a Clemente XI Papa imperatam pertinentia.</i>	173
- - -	<i>Discursus, concernens certitudinem status futuri & immortalis.</i>	183
- - -	<i>Narratio eorum, quæ ad pacem Ecclesiæ sub Clemente IX sancitam spectant, cum Epistolis, Actis publicis &c.</i>	244
	<i>Athanasii Opuscula quedam, ex recensione Bern. de Montfaucon.</i>	438
	<i>Basnagii (Jacobi) Historia & Religio Judæorum. Tomi V.</i>	447
	<i>Bonfrerii (Jacobi) Note in Eusebii Onomasticon.</i>	529
	<i>Checi (Joannis) Tractatus de Superstitione.</i>	188
	<i>Clarke (Samuelis) Epistola ad Dodwellum perscripta.</i>	212
	<i>Cocceji (Joannis) Opera &véndola Theologica & Philologica.</i>	285
	<i>Comazzi (Jo. Baptiste) Politica & Religio in persona, dictis & factis Jesu Christi demonstrata.</i>	548
	<i>Cosmæ Aegyptii Topographia Christiana & alia.</i>	434

- Couet du Vivier (*Abrahami*) *Nova Harmonia quatuor Evangelistarum.* 15
- Cowardus, *vide W. G. M. D.*
- Dannhaveri (*Jo. Conradi*) *Disputationes Theologicae collectae a M. Christiano Mislero.* 186
- Dithmari (*Justi Christophori*) *Notae ad Mosis Maimonidis Constitutiones de Jurejurando.* 265
- Dodwelli (*Henrici*) *Discursus Epistolaris, probans, quod Anima sit principium naturaliter mortale, sed immortale reddendum, &c.* 207
- Eleutherii (*Theodori*) *Historia Controversiarum de Divina Gratiae Auxiliis.* 366. 388
- Erasmi (*Desiderii*) *Operum omnium Tomus III. VIII. IX. X.* 280
- Eusebii *Cesariensis Commentarius in Psalmos & Jesaiam, ex recensione Bernardi de Montfaucon.* 434
- - *liber de Locis Hebraicis.* 529
- Frassen (*Claudii*) *Disquisitiones Biblicae in universum Pentateuchum.* 413
- Geddes (*Michaelis*) *Miscellaneorum Volumen II.* 482
- Gertmanni (*Davidis*) *Exercitatio Anti-Tilliana.* 347
- Goetzii (*Georgii Heinrici*) *Meletemata Annabergensia.* 11
- Gravinæ (*Jo. Vincentii*) *Acta Consistorialia Creationis Cardinalium a Clemente XI instituta.* 19
- Herold (*Adami*) *Palladium Reformatorum in sua sede destruetum.* 73
- Hilleri (*Matthæi*) *Onomasticon Sacrum.* 262
- Van der Hooght* (*Everhardi*) *Biblia Hebraica.* 215
- Hunnii (*Ægidii*) *Thesaurus Evangelicus.* 205
- Jenichen (*Gottlob Friderici*) *Historia Spinozismi Leenhofiani.* 328
- Inet (*Joannis*) *Origines Anglicanae, seu Historia Ecclesiae Anglicanae.* 169
- a S. Josepho* (*Cherubini*) *Bibliotheca Critica Sacra circa omnes fere Sacrorum Librorum difficultates. Volumina IV.* 249
- Ittigii (*Thomæ*) *de Bibliothecis & Catenis Patrum variisque veterum Scriptorum Ecclesiasticorum Collectionibus Tractatus.* 440

Lyseri (Polycarpi) Epistolarum Sylloge.	514
Maimonidis (Mosis) Constitutiones de Jurejurando, ex versione Justi Christopheri Dithmari.	265
Mel (Conradi) Antiquarius Sacer.	397
de Mey (Joannis) Opera omnia, tum Theologica, tum Physica.	261
de Montfaucon (Bernardi) Collectio Nova Patrum & Scriptorum Græcorum.	434
Nerreteri (Davidis) Theatrum militantis, sed invincibilis Eccle- siae.	23
Olearii (Jo. Christoph.) Thesaurus Hymnorum Eccl. Evangelicæ.	533
Pagi (Antonii) Critica in Annales Baronii. Tomus IV.	61
Paltritii (Joannis) Patenæ argenteæ mysticæ Descriptio & Expli- catio.	300
du Vivier (Abrahami Couet) Nova Harmonia quatuor Evangeli- starum.	15
W. C. M. D. Scrutinium exactum, seu inquisitio seria in modernas animæ notiones.	351
Whitby (Danielis) de Necessitate ac Usu Revelationis Christianæ.	358
Witty (Joannis) Vindicatio Expositionis vulgaris Historiæ Mosai- cæ de Creatione Mundi.	161
Wolfii (Christiani) Methodus demonstrandi veritatem religionis Christianæ.	166
- (Christopheri) Manichæismus ante Manichæos, & in Chri- stianismo redivivus.	499

II. Libri Juridici.

B arbeyrac (Joannes) vide Pufendorf.	
Grotii (Hugonis) Libri tres de Jure Belli & Pacis, Germanice translati a P. B. S. nato Schützio.	467
Hamelii (Henningii) Repetitio ad solennem Titulum Institutio- num Justinianearum de Actionibus.	377
Hochsteteri (Andree Adami) Tractatio Synoptica Moralis de Jure Pœnarum.	38
Huberi (Zachariæ) Dissertationes Juridicæ & Philologicæ. Pars altera.	267

- Lauterbachii (W. A.) Collegii Theoretico-Practici Pars II. 37
- Maimonidis (Mosis) Constitutiones de Jurejurando ex versione
Justi Christopheri Dithmari. 265
- Martini (Davidis) Biblia Sacra, ex versione Gallica. Tomi II. 241
- Mülleri (Jo. Joachimi) Jus dispensandi in prohibitis conjugis E-
lectorum & Statuum. 76
- Noodt (Gerhardi) Observationum Libri duo. 239
- L. B. de Pufendorf Jus Naturæ & Gentium, Gallice translatum,
cum Notis Jo. Barbeyrac. 25
- Sabelli (Marci Antonii) Summa diversorum Tractatum, ac Reso-
lutiones. Tomi VI. 547
- Schützi P. B. S. Versio Librorum Hugonis Grotii de Jure belli &
pacis. 467
- Willerdingii (Justi Christopheri) Fundamenta Juris Canonici, in
nucleo exhibitæ. 378

III. Libri Medici & Physici.

- A** Nelli (Dominici) Ars fugendi vulnera absque oris humani
ope. 380
- Anonymi Relatio de affectu soporoso extraordinario, Stolvici obser-
vato. 278
- - - Miscellanea Curiosa. Volumen II. 477
- Baglivi (Georgii) Opera omnia Medico-Practica & Anatomica. 407
- - - Opuscula duo. 410
- Batei Dispensatorium, Anglice redditum, studio Guilielmi Salmo-
nis. 181
- Dale (Samuelis) Pharmacologia, seu Manuductionis ad Materiam
Medicam Supplementum. 126
- Desnoues (G.) aliorumque Eruditorum Epistolæ, de variis inven-
tis novis. 415
- Evelyn (Joannis) Sylva, Terra, Pomona, Acetaria & Calenda-
rium Hortense. 492
- Douglas (Jacobi) Observatio de Tumore magno in anteriori col-
li parte. 82
- Fontenellii Historia Academiae Regiæ Scientiarum anni 1705. 303

- Fuller (Francisci) *Medicina Gymnastica.* 274
- Grœnevelt (Joannis) *Tractatus de tuto Cantbaridum in Medicina usu interno.* 182
- Guglielmini *aliorumque Eruditorum Epistolæ de variis Inventis novis.* 415
- Harris (Gualteri) *de Morbis acutis infantum.* 79
- Hartscœker (Nicolai) *Conjecturæ Physicæ.* 316
- Harvey (Jacobi) *Præsagium Medicum, seu signa prognostica Morborum acutorum.* 475
- Hofmanni (Friderici) *Idea fundamentalis universæ Medicinæ ex sanguinis Mechanismo, &c.* 127
- Hooke (Roberti) *Opera Posthuma.* 149
- van Horne (Joannis) *Opuscula Anatomico-Chirurgica, cum Annotationibus Jo. Guilielmi Pauli.* 271
- Liger (Ludovici) *Cultura universalis florum, arborum, fructuum, & suffruticum.* 381
- Matthæi (Petri) *Consentini, Animadversiones Physico-Medicæ.* 405
- Merian (Mariæ Sibyllæ) *Metamorphosis Insectorum Surinamensium.* 481
- Papini (Dionysii) *Ars nova ad aquam ignis adminiculo efficacissime elevandam.* 420
- Pauli (Jo. Guilielmi) *Annotationes ad Joannis van Horne Opuscula Anatomico-Chirurgica.* 271
- Plumier (Caroli) *Tractatus de Filicibus Americanis.* 324
- Purshal (Conyers) *Tentamen de Mechanismo Macrocosmi.* 360
- Ruyschii (Friderici) *Thesaurus Anatomicus Septimus.* 322
- Salmonis (Guilielmi) *Pharmacopœa Bateana.* 181
- Santorini (Dominici) *Opuscula Medica.* 470
- Ström (Christiani) *Ratiociniorum Mechanicorum in Medicina usus vindicatus.* 234
- - - *Nova Theoria motuum reciprocorum machine animalis, ex partium organicarum structura & proprietatibus deducta.* 423
- Witty (Joannis) *Vindicatio Expositionis vulgaris Historiæ Mosaicæ de Creatione Mundi.* 161

IV. Libri Mathematici.

- A** Nonymi *Elementa Geometriae Serenissimi Principis Ducis Burgundiae.* 92
- Apollonii Pergæi *de Sectione Rationis Libri II &c. opera Edmundi Halley.* 103
- Beveregii (Guilielmi) *Institutiones Chronologicae.* 402
- Cheynæi (Georgii) *Rudimentorum Methodi Fluxionum inversa specimina.* 87
- Clerici (Sebastiani) *novum Systema mundi.* 89
- Ditton (Humfredi) *Theorema Spherico-Catoptricum.* 139
- F. D. C. *de Curva Descensus Ex-Accelerato-Retardati.* 133
- - - *de notanda equalitate Naturæ inter curvas &c.* 417. 533
- Fontenellii *Historia Academiae Regiae Scientiarum Anni 1705.* 303
- Halley (Edmundi) *Astronomiæ Cometica Synopsis.* 218
- Hooke (Roberti) *Opera posthuma.* 149
- Jones (Wilhelmi) *Synopsis Palmariorum Matheseos.* 175
- de Moivre (Abrahami) *Animadversiones in G. Cheynæi Tractatum de Fluxionum methodo inversa.* 85
- Pergæi (Apollonii) *de Sectione Rationis Libri II, &c. opera Edmundi Halley.* 103
- le Poivre *Tractatus de Sectionibus cylindri & conii in solido & plano consideratis.* 132
- Wolfii (Christiani) *Schediasma de inveniendis sinu anguli multipli ex dato sinu simpli.* 313

V. Libri Historici, Geographici, &c.

- A** Beli (Casspari) *Historia multarum Monarchiarum, quæ in Oriente a Nimrode usque ad Cyrum floruerunt.* 496
- Anonymi *Deliciae Hispaniæ & Portugalliæ, figuris illustratæ a Jo. Alvaro de Colmenar.* 97
- - *Decreta Statuum Hollandiæ Frisiæque Occid. notatu digniora &c.* 106
- - *Historia Virginiae.* 333
- Anonymi

- Anonymi Sylloge Itinerum, quæ mercatorum Fœderati Belgii ad Indos Orientales navigantium Societati fundamenta atque emolumenta præbuerunt.* 337
- Argensola Historia Expugnationis Insularum Moluccarum.* 342
- Arndii (Caroli) Bibliotheca Aulico-Politica.* 191
- Auriæ (Vincentii) de Rebus Siculis primum repertis Liber.* 465
- Barbærius (Jof.) de Miseria Poetarum Græcorum.* 42
- Beveregii (Guilielmi) Institutiones Chronologica.* 402
- Burchard (Jacobi) Epistola ad Burchardum Gotthelf Struvium de Christophori Cellarii obitu.* 382
- Cinelli (Joannis) Calvoli Bibliotheca Volantis Pluteus XVI.* 528
- le Coq Geographus Perfectus, &c.* 528
- Felibien (Michaelis) Historia Abbatia Regalis S. Dionysii in Gallia.* 193
- Germon (Barthol.) de Veteribus Regum Francorum diplomatibus Disceptatio II.* 290
- Gravinæ (J. Vincentii) Acta Consistorialia Creationis Cardinalium a Clemente XI instituta.* 19
- Inett (Joannis) Origines Anglicana, seu Historia Ecclesie Anglicana.* 169
- Leibnitii (Godofredi Gulielmi) Scriptores Rerum Brunsvicensium.* 460
- Maffei (Pauli Alexandri) Explicatio Statuarum a Dominico de Rossi publicatarum.* 385
- a Melle (Jacobi) Notitia Majorum, plurimas Lubecensium aliorumque clarorum Virorum Vitas comprehendens.* 217
- Menckenii (Jo. Burchardi) Analec̃ta de Calamitate Litteratorum.* 42
- - - - Vita & res gestæ LEOPOLDI I Imperatoris.* 344
- Mongitore (Antonii) Animadversiones ad Vinc. Aurie librum de Rebus a Siculis primum repertis.* 465
- Pagi (Antonii) Critica Historico-Chronologica in Annales Baronii. Tomus IV.* 61
- Paschii (Georgii) Introductio in Rem Litemriam Moralem veterum sapientia Antistitum.* 327

- Pippingii (Henrici) *Trias Decadum, Memoriam Theologorum, nostræ ætatis clarissimorum renovatam exhibens.* 282
- Rossi (Dominici) *Collectio Statuarum explicationibus P. A. Maffei illustrata.* 385
- le Roy (Jacobi) *Brabantia illustrata.* 288
- Smithi (Thomæ) *Vite quorundam eruditissimorum & illustrium Virorum.* 145
- Spanhemii (Ezechielis) *Lib. Bar. & Legati Reg. Dissertationes de Prestantia & Usu Numismatum. Tomus I.* 49. 227
- Strabonis *Rerum Geographicarum Libri XVII, cura Th. Jansf. ab Almeloveen.* 433
- Strype (Joannis) *Vita Joannis Checi.* 188
- Thomas (Friderici) *Analecta Güstroviensia.* 236
- Tollius (Cornelius) *de Infelicitate Litteratorum.* 42
- Turlay (Uladislai) *Corona Australis in Polo Poloniae resurgens.* 18
- Valerianus (Jo. Pierius) *de Infelicitate Litteratorum.* 42

VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.

- A** Lcyonii (Petri) *de Exilio Libri duo.* 42
- A** M. Antonini eorum, quæ ad se ipsum, *Libri XII recogniti & notis illustrati.* 401
- Auriæ (Vincentii) *de Rebus a Siculis primum repertis Liber.* 465
- Bælii (Petri) *Responsiones ad Quæsitæ cujusdam Provincialis.*
- Tomus II. 403
- Tomus III. 505
- Tomus IV. 531
- Buchneri (Augusti) *Epistolarum Partes tres, opera M. Jo. Jacobi Stübelsii.* 124
- Campani (Jo. Antonii) *Epistolæ & Poemata ex recensione J. Burchardi Menckenii.* 278†
- Checi (Joannis) *de Superstitione.* 188
- Clarke (Samuelis) *Epistola ad Dodwellum perscripta.* 212
- Cocceji (Joannis) *Opera ævændosa Theologica & Philologica.* 285
- Co.

- Comazzi (Jo. Baptista) *Politica & Religio in persona, dictis & factis Jesu Christi demonstrata.* 548
- Cowardus v. W. C. M. D.
- Dodwelli (Henrici) *Discursus Epistolaris, probans quod anima sit principium naturaliter mortale, sed immortale, reddendum, &c.* 207
- Q. Ennii *Fragmenta ex recensione Fr. Happelii.* 9
- Erasmi (Desiderii) *Operum omnium Tomus III. VIII. IX. X.* 280
- Geddes (Michaelis) *Miscellaneorum Volumen II.* 482
- Germon (Barthol.) *de veteribus Regum Francorum diplomatibus Disceptatio II.* 290
- Goetzii (Georgii Henrici) *Meletemata Annæbergensia varii argumenti.* 11
- Grævii (Jo. Georgii) *Prefationes & Epistola.* 400
- Julii Pollucis *Onomasticon Græce & Latine, ex recensione Jo. Henr. Lederlini & Tiberii Hemsterhuis.* 1
- Lyseri (Polycarpi) *Epistolarum Sylloge.* 514
- Maffei (Pauli Alexandri) *Explicatio Statuarum a Dominico de Rossi publicatarum.* 385
- Menckenii (Jo. Burchardi) *Analec̄ta de Calamitate Litteratorum.* 42
- - - *Prefatio ad Jo. Ant. Campani Epistolas & Poemata.* 278†
- de Mey (Joannis) *Opera omnia, tum Theologica, tum Physica.* 261
- Paschii (Georgii) *de variis modis Moralia tradendi liber.* 327
- Paschii (Joannis) *Descriptio genuina Artis Saltatoriae.* 552
- Pastritii (Joannis) *Patena argentea Mystica Descriptio.* 300
- Philelphi (Francisci) *Epistolæ breviores elegantioresque.* 281
- Politiani (Angeli) *Epistole quædam.* 281
- Relandi (Hadriani) *Dissertationum Miscellanearum Pars I.* 67
- - - *Decas Exercitt. Philol. de vera pronuntiatione Nominis Jehova.* 530
- Rossi (Dominici) *Collectio Statuarum explicata a P. A. Maffeo.* 385
- Schulzii (Joannis) *Florum sparsio in Loca quædam in re litteraria controversa.* 117
- Spanhemii (Ezechielis) *Lib. Bar. Dissertationes de Præstantia & Usu Numismatum. Tomus I.* 49. 227

Trieri (Joannis Wolfgangi) <i>Questiones succinctæ de Affectibus humanis.</i>	284
Turlay (Uladislai) <i>Corona Australis in Polo Poloniæ refulgens.</i>	18
W. C. M. D. <i>Scrutinium exactum, seu inquisitio seria in modernas Animæ notiones.</i>	351
Weisii (Christiani) <i>Questiones Oratoriæ, in modum Spicilegii adornatæ.</i>	144
- - - - - <i>Systema Oratoriæ.</i>	345
Wolfii (Christiani) <i>Solutio nonnullarum difficultatum circa mentem humanam obviarum.</i>	507

INDEX RERUM NOTABILIORUM IN HOC VOLUMINE OBVIARUM.

A Bælardi (Petri) <i>Vita & mores.</i>	66	Acidi particula quæ?	320
	<i>Epitaphium.</i>	446. seq.	Acidum vindicatum.
Abdominis <i>ligamenta suspensoria.</i>	308	Actio ex nudo pacto datur jure Canonico, non Civili.	379
Abgari <i>Reges num in clientela Antoniorum fuerint?</i>	231	De Actionibus opus Henningi Hamelii commendatum.	377
Academia <i>ad excolendam linguam Italicam a Friderico II Imp. & ejus filiis instituta.</i>	466	Acus Magnetica delineatio. declinationis varietates unde?	304. 305
Academia <i>Judeorum, quæ sub Æchmalotarchis erecta?</i>	456	Adamus <i>quomodo loqui didicerit?</i>	165
Acceleratio <i>motus unde?</i>	365	Æchmalotarcharum <i>origo & fata.</i>	455. seq.
Accentuum <i>Hebraicorum ratio.</i>	217	Ædium <i>ad arbores exoticas per hiemem condendas descriptio.</i>	496
			Ægy-

Ægyptiorum doctrina Moralis qua? 28	habuerit? 450
Monarcha primus	De Agrippinæ & Claudii matri- monio dissertatio. 267
Sesoebri, seu Sisacus, 497	Alcali particulae qua? 320
Ænigmata Schyrlæi de Rheita so- luta. 157	Alchymistarum experimentum fallax. 321
Æolismus ut in Latium migrave- rit? 120	Alcoranus Maroccii Germanice editus. 24
Æquationum analysis. 176. 310	refutatus. 24
constructio. 311	Alcyonii (Petri) laudes & fata. 43. seq.
Aer quid? 362	liber de Exilio an Ci- ceroni vindicandus? 44. 278
Aerearum particularum structu- ra. 320	Alcyonius (Petrus) adversus quo- rundam accusationes vindica- tus. 278. seq.
Aeris inclusi mutationes. 304	an fustibus castigatus? 279
refractio. 478	Alfredi Regis Angliæ in litteras propensio. 172
definitio. 362	Algebra Philosophica. 157
vis in corpus humanum. 130	Algebrae definitio. 91
condensationis & dilatatio- nis lex ut exploranda? 305	Allatius (Leo) a Dannhauero & Veielio impugnatus. 188
particularum constructio. 320	S. Almachius, primus in Marty- rologio Rom. Sanctus, confictus. 490
Æstus minus speculorum causti- corum effectum. 306	ab Almelveen (Theodori Jansso- nii) in Strabonem merita. 433
Æstus marini causa. 364	Alvi obstructio ex uteri vitio. 85
Æther quid? 361	Alphabeta Gothica, Latina & Runica descripta. 58
Affectio hysterica opiata non fert. 81	Amatorii libelli noxii. 404
Affectus animi ut operentur? 129	Ameloti de la Houssaie Opera quædam promissa. 429
examinati. 284	Amœnitatum Juris divini Eclo- ga
S. Afræ natalis in Martyrologio Romano notatus. 492	Bbb b 3
Agadici qui? 458	
Agrippa II quando mortuus? 449. seq.	
quot Regni epochas	

- ga. 13
- Amontoni (Guilielmi) vita. 312.
- seq
- Analyseos recentioris defectus. 106
- differentia ab Analyfi veterum. 106
- studiosis opus utile. 105.
- 178
- Analysis veterum maximi habenda. 105
- equationum. 176. 310
- ad trigonometriam applicata. 177. 310. 313
- Analytici libri veterum restituti. 105
- Analyticorum Scriptorum veterum Catalogus. 106
- Anasarca motus corporis prodest. 276
- Anastomoses vasorum non dantur. 272
- dantur. 407
- Anatomia artificialis. 416. 417. 418
- Anaxagoræ doctrina Moralis quamnam? 29
- Ancillarum, Digne, Euprepie & Eunomie nomina in Martyrol. Rom. supposititia. 492
- Angeli corpora habent. 355
- Angelorum custodia. 186
- sedes quæ? 79
- In Angina sulphuris vires. 81
- Angli quando Danis cæperint esse tributarii? 63
- Anglicanæ Ecclesie doctrina & disciplina quomodo stabilita? 171
- moderna facies, an eadem, quæ Ecol. Hispanicæ antiquissima? 483
- Anglorum methodus concionandi commendata. 185
- Anima naturaliter mortalis. 207
- Animæ Gentilium quam diu existant? 208
- Animæ immortalitas probata. 185
- notio recepta a Gentilibus conficta. 352
- facultates temperamenti imperio obnoxia. 284
- De Animæ natura paradoxa opinio. 513
- Circa Animam obvia dubia soluta. 513
- Annæ Jagellonia vita. 531
- Anni climacterici non sunt negligendi. 130
- Annuli Saturni formatio. 319
- Antimonium quid? 321
- Antinomiarum in jure componendarum ratio. 268
- Apollonii libri de Sectione rationis quomodo reperti? 103. 104
- quando in linguam Arabicam translata? 104
- libri de Sectione spatii commendati. 105
- Appeldornii (Petri) Cras credo, hodie nihil. 262
- Apte

Apte vocabuli verus usus,	120	Arnaldi epistola ad Regem Gal-	
Aqua ignis ope quomodo elevan-		lia in causa Jansenistarum elo-	
da?	420	quentissima.	245
in lapidem transire apta.	154	liber de perpetuitate fi-	
principium Physicum.	362	dei laudatus.	248
Aquæ in tubis minoribus ultra li-		an Turen-	
bellam ascensus.	160	nium ad fidem Romanam am-	
definitio.	362. seq.	plectendam permoverit?	248
in vinum mutatae miracu-		Arnaldus laudatus.	92
lum S. Cœnæ symbolum.	549	Jansenistarum caput &	
Aquæ supra cœlestes assertæ.	90	defensor.	370. seq.
quænam?	163	excusatus.	177
celerius moventur in Jove,		Arsacidarum numi explicati.	
quam in Terra.	320		229
Marina cur salsa?	320. sq.	Ascensus Mercurii in Barometro	
ut intra Oceanum sint col-		cur major tempore sereno,	
lectæ?	164	quam pluvio?	364
Arbores sylvestres descriptæ.	493	Asperæ arteriæ rami delineati.	
Archelaus indifferentismi mora-			323
lis defensor.	29	Astronomia Geometrica.	160
Arena ex aqua generatur.	154	Cometica.	218
per microscopia quomodo		ut perficienda?	151
appareat?	184	Astrorum influxus efficaciam.	130
Arialdistæ qui?	65	est indifferens.	
Aristotelis Philosophia Moralis,			317
quomodo & Platonica diver-		unde depen-	
sa?	31	deat?	364
errores in Moralibus		Ex Atestina familia num Brun-	
notati.	31	suicenses Principes oriundi?	
Arithmeticæ definitio.	91		463. seq.
speciosæ compendi-		S. Athanasii Vita & Scripta.	438
um.	92	Athei num præstent idololatriam?	
pars characteristica			532
ubi explicata?	40	num perniciosi Reipublicæ?	
numerosæ ac spe-			532
ciosæ elementa.	479	Theoretici num dentur &	
		qui?	

<i>qui?</i>	532	<i>obitus.</i>	329
<i>Atmosphæra Solis defensa.</i>	151.	Baillet (<i>Adriani</i>) <i>obitus.</i>	427
	317	Bainbridgii (<i>Joannis</i>) <i>Vita.</i>	147
<i>Attentio quid?</i>	153	Bajus (<i>Michael</i>) <i>motuum Lovaniensium autor.</i>	374. sq.
<i>Atys Lydorum Rex qualis?</i>	52	Baji (<i>Michaelis</i>) <i>dogmata quædam a Pio V damnata.</i>	376
<i>d'Avalo (Marci) Descriptio urbis Macai.</i>	341	Balneorum <i>frigidorum usus.</i>	277
<i>Augmentationis ratio.</i>	473	<i>veterum structura.</i>	388
<i>D. Augustini Operum nova Editio promissa.</i>	94. sq.	Banneſii <i>adversus Prudentium in Hispania motus.</i>	389
	<i>novissima</i>	Baptismus <i>non nisi autoritate Episcopi rite administratur.</i>	208
<i>editio castigata.</i>	299	Bargellinus <i>pacis inter Jansenistas & curiam Romanam conciliator.</i>	285. seq.
<i>In Aure inventa nova.</i>	419	Barometra <i>familia cur non conspirent?</i>	305
<i>De Aure observationes.</i>	308	Barometrum <i>marinum.</i>	304
<i>Auri capillis inspergendi usus apud Veteres.</i>	122	Barometri <i>phenomena explicata.</i>	364
<i>Avtochiria in nullo casu licita.</i>	40	Barones <i>a Brabantia Ducibus creati quot?</i>	289
<i>De Auxiliis gratiæ divinæ controversiarum historia.</i>	366. sq.	Baronius <i>notatus.</i>	485
<i>librorum impressio decreto Pontificis interdicta.</i>	396	<i>refutatus. 62. 63. 64. 66.</i>	
<i>Azimuthum non mutat refractione.</i>	479	Bartani (<i>Petrus</i>) <i>Concilia Toletana omnia pro schismaticis declarat.</i>	486
B (<i>Beta</i>) <i>quid in Macedonia Regum nummis denotet?</i>	228	Bataviæ <i>urbis origo.</i>	341
<i>Baccalaurei qui in clave Jansenistica?</i>	371	Bateana <i>Pharmacopœa.</i>	181
<i>Bacchi sacrificium depictum.</i>	204	Beatorum <i>domicilium ubi?</i>	80
<i>Bacmeisteri (Luca) vita descripta.</i>	218	Bellarminus <i>num in beatorum numerum referendus?</i>	373
<i>Bælius (Petrus) notatus.</i>	503	Bellarmini <i>Controversiarum libri, num adulterati?</i>	391
<i>Bælii (Petri) de duobus principiis bono & malo sententia.</i>	503		

D. Bene-

D. Benedicti ordo in Gallia re- formatus. 202. sq.	fata. 148
<i>cur cognomen</i>	Bibliothecæ Patrum enarrate. 441. sq.
a S. Mauro adsciverit? 203	Bigamia vel simultanea, vel suc- cessiva. 379
Bentlejus (Richardus) laudatus. 44	Le Blanc (Augustinus) nomen fi- ctum P. Serri. 366
<i>notatus.</i> 121	<i>in Historia Congregatio- num de auxiliis gratiæ nota- tus.</i> 366. sqq.
Bernhardus (Eduardus) notatus. 56. 57.	Boavepyès num duo scribe in Sy- nedrio magno? 398
S. Bernhardi Lutheranismus. 13	Bodlejana bibliotheca laudata. 103
<i>Vita descripta.</i> 66	Bonifacii (Joannis) liber 1 ^o Arte di Cenni commendatus. 467
Berni (Francisci) in P. Alcyonium odium. 279	Bordingi (Jacobi) vita descripta. 218
Bernwardus Ep. Hildesensis Che- micæ artis peritus. 462	Bospori Regum numi explicati. 230
Bethphage num fontis, an domus nomen? 264	Brabantia a Jacobo le Roy illustra- ta. 289
De Biblicorum Commentariorum lectione Ecloga. 13	In Brabantia dignitatis officia ad pauciores numerum redacta. 290
Bibliorum Genevensium fata va- ria. 241. sq.	Brandenburgensium Scriptorum Notitia promissa. 93
<i>editiones omnes a Jac.</i>	<i>rerum Com- mentarii promissi.</i> 93
<i>le Long recensenda.</i> 257. sq.	Breschit pars Cabbale recentio- ris. 457
<i>Polyglottorum histo- ria.</i> 259	Briggii (Henrici) Vita. 147
<i>Germanicorum editio</i>	Brocardi Monachi Descriptio Ter- re Sanctæ. 530
<i>Wittebergensis corrupta.</i> 516	Brunsuicenses Principes num ex Atestina familia oriundi? 463. sq.
Bibliotheca Bodlejana commen- data. 103	Cccc Bubo-
<i>Aulico-Politica com- mendata.</i> 191	
Bibliothecæ exstructio & cura quomodo instituenda? 12	
<i>Sanctæ Sixti Senen- sis institutum.</i> 12	
<i>privatæ Jacobi Ufferii</i>	

- Bubonocetes causa est diverticulum ilei. 322
- Buchneri (Augusti) Orationes & Epistolæ commendatæ. 124
- C**Abbalæ divisio in Mercaviam & Breschit. 457
 quot species? 458, seq.
 apud Græcos & Romanos usus. 459
- Cabbalistarum apud Judæos origo & fata. 457. sq.
- Cabiri Dii qui? 72. sq.
- Cacochymix noxa. 129
- Cadavera ut conservanda? 416
- Cadmi alphabetum quot literis consistat? 56
- Cainus num salvus fuerit? 13
- Calendarium hortense. 496
- Calculi infinitesimalis objectum. 88
 differentialis & exponentialis principia. 177
- Caloris graduum scala. 479
- Cameræ obscuræ usus. 156
- Campani (Jo. Antonii) Opera commendatæ. 278
 Vitæ memorabilia. 280
 odium in Germanos. 280
- Cancer Macedonia inferioris symbolum, 227
- Candidii (Georgii) Descriptio Insule Formosæ. 341
- Canonicorum regularium origo. 64
- Cantabriæ populorum lingua antiquissima. 99
 lingue specimen varia. 99. 100
- Cantabrigiensis Academia antiquitas examinata. 171
- Cantharidum usus internus tutus. 182
 analysis Anatomica & Chymica. 183
- Cantica Lutheranorum illustrata. 534. sq.
 vindicata. 535
- Camus (Melchior) primus Dominicanorum, Jesuitarum societatem ægre ferens. 373
- Capaccius (Jul. Cesar) emendatus. 280
- Capitulorum trium a Gregorio M. damnatorum causa. 175. sq.
- Capuccinorum Ordinis quis auctor? 405
- Caraitarum origo & doctrina. 454
- Carbones quinam ad observationes speculo caustico institundas apti? 306
- Carchesium Græcis quid? 204
- Carmelitarum Ordinis decreto quot anni Philosophiæ aliisque Facul.

<i>Facultatibus impendenda?</i>	250	Checi (Joannis) <i>tristia fata</i> .	
Carolus VIII Rex Galliae an An-			190
nam Britannicam plagio sub-			<i>apostasia.</i>
<i>duxerit?</i>	505	Chemica principia quantum in	
Caron (Francisci) <i>Historia Im-</i>		<i>Medicina valeant?</i>	234
<i>perii Japonici.</i>	341	Cheynæus (Georgius) <i>notatus.</i>	85.
Cartesius (Renatus) <i>veterum</i>			86. 87.
<i>laudi in doctrina de Locis de-</i>		<i>de Abr. Moivre quid</i>	
<i>traxit.</i>	105	<i>quid judicet?</i>	87
<i>notatus.</i>	163	Chiliasmus <i>Petersenii.</i>	12
Casaubonus (Mericius) <i>laudatus.</i>		Christi voluntas, congregare vo-	
	149	<i>lentis non volentes congregare.</i>	
Catenæ Patrum <i>descriptæ.</i>	441.		186
	seq.	<i>septem verba in cruce,</i>	
Catenariæ proprietates.	478. sq.	<i>illustrata.</i>	186
Cellarii (Christopheri) <i>vita.</i>	383	<i>ad Abgarum Epistola</i>	
Centurio <i>sub cruce Christi.</i>	12	<i>fraudis convicta.</i>	451. seq.
Cerebri <i>subsidentia insignis.</i>	307	Christo <i>perperam attributa Cab-</i>	
Cessionarius <i>privilegio, quod uxori</i>		<i>bala ex Matth. V, 18.</i>	459
<i>ratione dotis competit, non</i>		Christianismi <i>essentialia & acci-</i>	
<i>fruitur.</i>	38	<i>dentialia quanam?</i>	185
Chaldæorum <i>doctrinæ moralis</i>		Chronologicum <i>studium cur ple-</i>	
<i>præcepta quæ?</i>	27. seq.	<i>rique fastidiant?</i>	402
Chaloner (Jacobus) <i>ἀπολογία.</i>		Chylificationis <i>ratio.</i>	406
	45	Ciceronis <i>doctrina moralis exa-</i>	
Charitatis, <i>Spei & Fidei, Virgi-</i>		<i>minata.</i>	33
<i>num Sanctarum Romæ passio</i>		Cineres <i>sine ferro an dentur.</i>	309
<i>num genuina?</i>	491	Clarkii (Samuelis) <i>scripta recen-</i>	
Charmot, <i>alias Barlon, num ma-</i>		<i>sita.</i>	212
<i>chinator in causa Sinensi præ-</i>		Clemens XI <i>Papa Jansenii li-</i>	
<i>cipuus?</i>	371	<i>brum Bulla quadam conde-</i>	
Checi (Joannis) <i>Vite auctores.</i>		<i>mnat.</i>	173
	188		<i>condemnationi li-</i>
<i>laudes.</i>	189. sq.	<i>bri Jansenii clericos omnes sub-</i>	
<i>merita in Jo.</i>		<i>scribere, renitentibus multis,</i>	
<i>Chrysostomum.</i>	190	<i>cupit.</i>	174. sq. 177

- Clemens XI sui & suorum in
honorum distributione negli-
gens. 20
ob modestiam lauda-
tus. 528
 Clementem VIII Pontificem &
Petri Successorem credere, de
sede non est, ex mente Jesuita-
rum. 394
 Cleri vocabulo tam Monachi,
quam Canonici veteribus ap-
pellati. 196
 Clericus (Joannes) refutatus. 506
hæreseos & fi-
elæ pietatis accusatus. 533
 Clerici (Joannis) versio N. Test.
Gallica a P. Cherubino notata.
 258
merita in Euse-
bium. 529
 Clyster per urinam rejectus. 412
 Cocta ligna quid in Digestis? 122
 Coctio humorum in quo consi-
stat? 411
 Cœlibatus Sacerdotum institutum
recens. 65
 S. Cœnæ verba: hoc est corpus
meum explicata. 399
 Cœruleum pigmentum ex Cobal-
to preparandi ratio. 127
 Cogitationes ex corde cur proce-
dere videantur? 513
 Cogitationis definitio. 153. 355
subjectum materia.
 355
 Cognitio Philosophica non nisi
conjecturalis, 163
 Cognitio Symbolica cur locum
habeat? 512
 In Colico dolore Rhabarbari vi-
res. 81
 Colli magnus tumor. 82
 Colorum natura. 365
 Columnæ (Hieronymi) in Ennium
merita. 9
 Cometa anni 1607 quando redi-
turus? 221
 Cometæ moventur in orbibus val-
de eccentricis circa Solem. 221
 Cometarum natura. 152. 159
caudæ non sunt me-
re apparentiæ. 152
motus quomodo sup-
putandus? 220. seq.
figuræ. 158
origo ex Sole. 319
 Cometas ex atmosphæra nostra
quinam primum removerint?
 152
 Commandinus notatus. 105
 Commentarius in quatuor Ev-
angelistas & Acta Apostolorum
Hunnii. 205
 Computus credibilitatis testimo-
nii humani. 478
 Concilium Hierosolymitanum.
 187
Tridentinum nequa-
quam liberum. 482
 Concilii I Oecumenici & Triden-
tini ultimi σύγκρισις. 188
 Concilia Toletana Curie Roma-
næ exo-

<i>na exosa.</i>	485	<i>ra effessorum descriptio.</i>	154
Concionatores illustres.	13. sq.	Cosini (Joannis) Vita.	146
Concionatorum castrensi- um officium.	12	Cowardi (W.) Scripta Metaphy- sica.	352. seq.
Concordia Ecclesie Gallicane re- stituta in nummo.	248	Cras credo, hodie nihil.	262
Concubinatum exercens, si pœni- tentiam egerit, irregularitatem Jure Can. non incurrit.	379	Creationis historia vindicata.	161. seq.
Condensationis aeris lex.	305	Credibilitatis testimonii humani computus.	478
Conringius (Hermannus) nota- tus.	54	Creech (Thomas) ἀπολογία.	45
Constantinus M. saepe sermones sacros ad populum habuit.	14	Cresollius emendatus.	5
falso accusatus.	554	Criteria revelationis immediata.	168. seq.
Constructio problematum solido- rum.	478. seq.	Critica quid?	4
Consubstantiationem num Lu- therani statuunt?	348	Cromwellius cur Arausionenses Principes a Praefectura Belgii seclusos voluerit?	109
Convulsiones puerorum sangui- nis missionem admittunt.	80	Crucifixio recens apud Judaeos supplicii genus.	266
Copernicana hypothesis absolute falsa.	90	Cruditas humorum in quo consi- stat?	411
Cor motuum reciprocorum prin- cipium.	424	Curatoris rati habitio negotia mi- norum valida reddit.	38
Cordis motus unde?	407	Curva descensus ex accelerato re- tardati.	133
palpitatio a sanguine acri est.	407	per motum diametri circu- li descripta.	311
Corneliae legis fictione in testa- mentis Christianorum a Turcis captorum opus est.	38	celerrimi descensus.	478
explanatio.	267	analogochrona Leibnitii.	526
Corporis & mentis equilibrium.	410	Curvae brachystochronae natura.	518
Corporum petresactorum ex ter- ra		Curvarum comparatio.	87
		areae quid?	88
		Geometricè irrationa- lium quadratura.	478
		Cccc 3	Cur-

- Curvatura continuarum refractionum. 521
 Cuspinianus emendatus. 505
 Cycloidis spatia quadrabilia. 478
 Cycloidum dimensio. 478
 Cynicorum principia moralia. 30
DAgobertinae vitae Scriptor anonymus subleste fidei accusatus. 195
 Dagobertus an ecclesias corporibus Sanctorum spoliaverit? 197
 Dannhauerus a L. Allatio impugnatus & a Veielio defensus. 188
 David num dignitatem regiam & sacerdotalem conjunctam habuerit? 13
 Daumius laudatus. 446
 Daumii in emendando J. A. Campano studium laudatum. 279
 Decalogus una cum legibus ceremonialibus illustratus. 414. sq.
 Decretum Dei absolutum Eccl. Reformatae palladium. 74
 ab Apostolo Rom. IX neutiquam traditum. 74
 Decretales Pontificum epistolae num spuriae? 487. seq.
 Dee (Joannes) num Magiae jure inculpandus, nec ne? 148. sq.
 Ex Definitionibus quomodo deducantur veritates? 511
 Deglutitio fluidorum cur subinde difficilis, solidorum facilis? 406
 Delirantium somnus an bonus? 476
 hemorrhagiae an bona? 476
 risus an bonus? 476
 respiratio parva & debilis lethalis. 477
 Deliria post morbos soporosos an bona? 477
 Delirii signa prognostica. 476
 effectus ex Planta Urbis Jacobi usu. 335
 Deliriorum causa. 476
 Delirus sanitati restitutus. 418
 omnium aetorum memor. 418
 Dentientibus pueris calida alimenta ne dentur. 80
 Descensus corporis gravis per arcum cycloidis. 479
 Deus an sit substantia? 354
 Dei existentia probata. 162. 360
 Devus. Vide Dee.
 Dherbelotius notatus. 70
 In Diabete Rhabarbari vires. 81
 Diabolus hostis hominum in V. T. 213
 Diameter Solis prope horizontem eadem, quae in Zenith per quadrantem deprehenditur. 479
 cur prope horizontem major appareat, quam in Meridiano. 479. sq.
 Dierum naturalium inaequalitas. 89
 Dii Cabiri qui? 72. seq.
 Diffe-

Differentiales logarithmorum. 86.	blicæ? 298
Differentialium criterium. 88	Diroësius sententiæ, quod Ecclesia libros innoxios damnare possit, auctor. 177
Difficilia quomodo facilia reddantur? 402	Dispensatio num locum habeat circa pœnas lege universali positiva definitas? 42
Dignitatis officia in Brabantia restricta. 290	Ditmari Gesta Saxonum emendatius edita. 462
Dilatationis aeris lex. 305	Divortiorum olim apud Romanos usus & licentia. 267
Diluvium quomodo contigerit? 361	Dodwellus (Henricus) refutatus. 356
Diogenis & Cynicorum principia moralia. 30	Dodwelli (Henrici) de anime immortalitate hypothesis paradoxa. 207. 333
S. Dionysii monasterii Abbates olim Gallie quidam Reges. 198	de necessitate Hierarchie Episcopalis hypothesis a Buddeo impugnata. 333
Commen- datarii qui dicantur? 201. sq.	hypothesis de anima impugnata. 212. sq. 358
Abbatibus jus mitra, annulo & sandaliis utendi concessum. 198	quæ habeat incommoda? 215. 358.
sepultura locus ubi? 194. sq.	Dominicani in Clave Jansenistica dicti Baccalaurci. 371
Ecclesia qualis olim? 195	Dominicanorum cum Jansenistis amicitia num simulata? 371
De S. Dionysii reliquiis Gallos inter & Germanos controversia. 198	cum Jesuitis æmulatio num controversiarum Jansenisticarum origo? 373
Dionysius Lusitania Rex Poeta & Poetarum Patronus. 466	Dominium an usucapione tolli possit? 270
Diplomata antiqua Merovingiorum Gallie Regum impugnata. 292. sq.	Dominus gloriæ crucifixus. 187
genuina a falsis discernendi ars Mabilloniana explorata. 290. seq.	Donati (Christiani) Kœnigius illustra-
ut discernantur, quantum intersit Reipu-	

- Iustratus promissus. 430
 Dormientes quid cogitemus? 513
 Druides unde dicti? 122
 Ductus thoracici descriptio. 272
 dubii. 416
 novi glandularum thyroi-
 dearum. 417
 Duello singulari causæ olim in
 Germania & Gallia decise. 379
 Dunstani Archiep. Cantuariensis
 fata. 172
 Duræ Matris glandule. 322
 motus. 412
Eccentricitas Solis nulla. 89
 Ecclesia Anglicana moderna
 num antiquissimæ Ecclesiæ Hisp.
 faciem referat? 483
 Hispanica quando ver-
 ba Filioque Symbolo C^Ptano
 addiderit? 485
 Græca hodierna con-
 tra L. Allatum defensa. 188
 cujus culpa a
 Latina separata? 65
 num in rebus facti
 falli possit? 176. 287
 num libros innoxios
 condemnare possit? 177
 Æthiopica. 188
 Ecclesiæ Malabarice historia. 482
 Gallica & Hispanica Ca-
 pitula tria a Gregorio M. da-
 mnata, damnare nolunt. 175
 Eclipses Lunares observatu diffi-
 ciles. 160
 Eclipses Satellitum 2 Lunaribus
 qua in re præferenda? 160
 Ecloga & Satyra quomodo a se
 invicem differant? 281
 Eduardi VI Angliæ Regis præce-
 ptor quis? 189
 Egbertus primus Angliæ Monar-
 cha. 172
 Elastica linea qualis? 312
 Elasticæ particule cum cylindro
 comparatæ. 320
 Elater aeris non minuitur. 362
 Elateris natura. 320
 Electionis & reprobationis decre-
 tum ab Apostolo Rom. IX non
 stabilitum. 74
 Electorum Saxonie prerogativa
 in legibus provincialibus contra
 Imperii jura ferendis. 77
 Rom. Imperii origo. 63
 Eliæ apparitio. 358
 Ellipseos descriptio. 133
 Q. Ennii Fragmentorum editiones
 varia. 9. seq.
 Epicurus jure Atheus dictus. 32
 Epicureæ Ethicæ qui defectus? 32
 Epicycloidum dimensio. 478
 Epiglottis humana quatuor habet
 musculos. 273
 Anti-Epileptica quæ? 131
 Επιμεληται qui dicti? 233
 Epiphanius refutatus. 70
 Episcopalis communio ad salu-
 tem necessaria. 208
 Episcopi soli spiritum conferunt.
 210
 Epi-

Episcoporum potentia non major, quam clericorum.	357	tur?	163
ambitio Christianismi corrupti causa.	24	Evangelistæ num unam historiam bis quandoque memorent?	16
Ἐπιστάται qui dicti?	233	num chorum musicum representent, in quo unus quandoque solus cantat?	17
Ἐπισημονάρχης preses quinam apud Byzantinos?	14	num contra temporum ordinem quandoque scripserint?	16
Epistolæ character.	280	Evangelium quis prædicet defunctis?	209
Ad Epistolam ad Hebræos Adnotationes Exegeticæ Joannis de Mey.	261	Evidentiæ gradus, quo nititur mentis existentia cognitio.	168
Jude brevis introductio.	12	Eutyches qua in re erraverit?	177. seq.
Epistolarum Latinarum Scriptores laudati.	125	Eusebius refutatus.	70
Jo. Cocceji ad alios & aliorum ad eundem collectio.	288	Vercellensis an Eusebii Cesariensis Comm. in Psalmos Latine verterit?	435
Epitaphium hominis morsu felis enecti.	555	Cesariensis an fuerit Hebraice doctus?	436
Equitationis commoda.	277	Euvlus de Roscio Mauros ex Hispania ejecit.	485. seq.
Erasmii (Desiderii) Oratio funebris auctore Guilielmo Insulano.	278	Exheredandi liberos jus parentibus concessum.	38
Error in planimetria receptus notatus.	478	Existentia Dei probata.	162. 360
Apostolorum & Discipulorum circa Regnum Christi mundanum.	187	Experimentandi methodus.	157
Eraditorum pauperum exempla.	45	Experimentum caudas Cometarum illustrans.	156
miserorum exempla.	45	F Abulæ Romanenses examinate.	327
Ἐρυθρὰ quæ Græcis dicta?	70	Fasciæ & maculæ Jovis quid sint?	320
Esseni num Christiani?	454	De la Faye (Joan.) laudatus.	281
Essentiæ rerum cur ignorentur?		In Febre Epidemica verminosa vinum conducens.	410
		Dddd	In

<i>In Febribus puerorum comatosis</i>		<i>Firmiamenti motus apparens.</i>	89
<i>Mercurius dulcis sexies subli-</i>		<i>Mosaici explicatio.</i>	
<i>matus conducens.</i>	80		363
<i>Anti-Febrilia quæ?</i>	131	<i>descriptio.</i>	163. 363.
<i>In Febrium principio an purga-</i>		<i>Fisco num competat tacita hypo-</i>	
<i>tio conducatur?</i>	409	<i>theca ratione pœnarum?</i>	38
<i>Felis morsu enecti epitaphium.</i>		<i>Fixarum motus.</i>	90
	555	<i>natura.</i>	151. 317
<i>Fell (Joannis) institutum edendi</i>		<i>Flagellatio a sustigatione diversa.</i>	
<i>Vitas eruditorum Anglorum.</i>			265
	145	<i>Focorum in catoptrica inventio.</i>	
<i>obitus.</i>	145		139. seq.
<i>Fenelon Archi-Ep. Cameracensis</i>		<i>Fœcunditas terre unde?</i>	494
<i>subscriptionem Bullæ Anti-</i>		<i>Fœminas an imperio præesse de-</i>	
<i>Jansenianæ impugnat.</i>	177	<i>ceat?</i>	550. sq.
<i>Ferri elogium.</i>	319	<i>Formosa insula Belgis a Chinen-</i>	
<i>Festum corporis Christi.</i>	187	<i>sibus quando erepta?</i>	341. sq.
<i>Feustelius (Christianus) laudatus</i>		<i>Formosæ insulæ Descriptio.</i>	341
	283	<i>Fosi populi unde dicti?</i>	460
<i>Fibræ structura & motus.</i>	470	<i>Foxiæ (Germanæ) historia expli-</i>	
<i>Fibrarum elater & oscillatio.</i>	412	<i>cata.</i>	404
<i>De Ficorini (Francisci) Opera</i>		<i>Franciscus I num cum Turcis pa-</i>	
<i>promissa.</i>	428	<i>ctus blasphemio juramento se</i>	
<i>Fidei, Spei & Charitatis, Virgi-</i>		<i>obstrinxerit?</i>	505
<i>num Sanctarum, Passio num</i>		<i>De Fresne in causa Janseniana</i>	
<i>genuina?</i>	491	<i>nomen Quesnellii.</i>	369
<i>De Fideicommissis & Legatis an</i>		<i>Frictionis commoda.</i>	277
<i>tinomia excussa.</i>	268	<i>Fridericus I Imp. ab Alexandro</i>	
<i>Fideles V. T. quomodo salvati.</i>		<i>III Pont. pedibus neutiquam</i>	
	208. seq.	<i>conculcatus.</i>	67
<i>Figura Telluris spheroidica.</i>	155	<i>II Imp. rhythmorum.</i>	
<i>Filia vocis supersticiosum apud</i>		<i>Italicorum primus auctor.</i>	466
<i>Judeos sortis genus.</i>	456	<i>Frigoris natura.</i>	362
<i>Filices Americana.</i>	324	<i>Frigus non est mera privatio ca-</i>	
<i>Filicinarum plautarum fructus.</i>		<i>loris.</i>	362
	324	<i>Fulguris generatio.</i>	480
			Funa-

Funalium descriptio.	121	Glandulæ circa penis coronam.	
Furia & Fusia lex eadem.	122	detectæ.	417
Fusio corporum volumen minuit.	320	S. Godehardus Ep. Hildesimensis	
Fustigatio a flagellatione diversa.	265	quando mortuus?	462
Futuri status existentia.	184	Goetzii (God. Christ.) observatio-	
		nes de Imperatoribus Byzanti-	
		nis.	14
		Goldastus (Melchior) refutatus.	
			63
G Alera quod vehiculi genus		Gonzagæ (Mariæ Ludovica) res	
Hispanis?	102	gestæ.	531
Gallilæus notatus.	312	Græca quando ignorata Anglis	
Gallionismus.	187	fuerint?	189
Gallicanæ Ecclesiæ concordia re-		Græcæ Scripturæ origo & muta-	
stituta in numo.	248	tiones.	55. seq.
Gallicani Officii in Ecclesiis Hi-		In Græcæ linguæ pronuntiatione	
spanicas mira introductio.	66	frustra tentata emendatio.	189
Gallois Abbatis obitus.	427	Græcorum studium doctrinæ mo-	
Gaones Judæis qui?	457	ralis commendatum.	28. seq.
Garizim mons qualis.	70	Grævius (Jo. Georgius) laudatus.	
Geddesii (Michaelis) Scripta.			400
	482. seq.		
Gemaristæ qui?	456	Grandinis generatio.	480
Generatio equivoca non datur.		Gratiolæ virtutes.	308. 309
	165	Gravii (Joannis) vita.	147
Geometria Gerardi van Kirck-		Gravina (Jo. Vincentius) lauda-	
huysen commendata.	106	tus.	19. 22
Geometriæ definitio.	91		quos li-
Elementa.	91. 92		broz promittat?
Gerberon (Gabriel) Jansenista.		Gravia cur non semper subsidant	
	368	in specificè levioribus fluidis.	
auctor hi-			480
storiæ generalis Jansenismi.	372	Gravitas pro ratione distantie a	
Germania num sit Systema Re-		centro Terræ decrescit.	159
rumpubl. fœderatarum?	77	in eodem loco variabi-	
Per Gestus loquendi artis origo.		lis.	156
	466	corporum non ubivis	
		terra-	

- terrarum eadem.* 166
 Gravitatis *masse proportionalis.* 166
 specifica Planetarum.
 diversa. 303
 Gravitatis *natura.* 159
 proprietates. 151. 159
 Graviorum *descendentium veloci-*
 tas ut inquirenda? 151
 Gregorius M. *num in condemna-*
 tione trium Capitulorum erra-
 verit? 175. sq.
 Gregorii M. *ingenium placidum*
 laudatum. 177
 litera duæ in Biblio-
 theca Vaticana suppositiæ. 485
 Gronovius (Jacobus) *cenfura per-*
 petuæ reus actus. 59
 Grotius (Hugo) *laudatus.* 34
 Guldini *regula centrobarica ve-*
 teribus nota. 105
 Güstrovienfium *res explicatæ.* 236
 origo a Slavis. 237
 converfio ad Chri-
 ftianifmum quando facta? 237
 Güstrow *quid fit lingua Slavi-*
 ca? 237
In Hæmorrhoidibus *cæcis ful-*
 phuris vires. 81
 Hæmorrhoidum *fluxus nimius*
 per folum fpiritus vini fiftitur.
 81
 fluentium caufæ,
 commoda & incommoda. 474
 Hæreditas. *Vide Hereditas.*
 Hærefis *in qua re confiftat?* 24
 Hærefis *num fit objectum poenæ-*
 rum? 42
 Hærefium & Hærefiarum
 hiforia. 24
 Hæreticos *natos inter & factos*
 Maimburgii diftinctio, 41
 Halley (Edmundi) *in Apolloni-*
 um Pergæum merita. 103
 Harduinus (Joannes) *refutatus.*
 227. 228. 230. 231. 448. 490
 Harmonia *nova quatuor Evan-*
 geliftarum CXX ftationibus
 Chrifti accommodata. 15. feq.
 Hemfterhufius (Tiberius) *lauda-*
 tus. 3
 Henrici IV Imp. & Gregorii VII
 Pont. gefta accurate difcriptæ.
 65
 Hereditate *excludendi liberos jus*
 parentibus conceffum. 28
 Ex Hereditate *titulo emtionis*
 comparata res certa ufucapi
 poteft. 270
 Hereditati *paternæ an valide*
 renuntiari poffit? 379
 Herodes *num fuerit Judæus?*
 448
 num in Synedrium, ve-
 lut iudicium, vocatus fuerit?
 40
 Herodianorum *origo.* 454
 Hefſelii (Francifci) *in Ennium*
 merita. 9
 Hevelius *notatus.* 158
 Hexaemeron *Dei opus.* 186
 B. Hilarii *Operum Editio nova ca-*
 ftiga-

<i>stigata.</i>	299	<i>lorum Commentarius.</i>	205
Hildefianorum <i>Concionatorum</i>		Hunnii (<i>Ægidii</i>) <i>Vita.</i>	205
<i>Index promissus.</i>	283	Hybridæ, seu voces <i>Hebraico-Bar-</i>	
Hillel num <i>Patriarcha</i> fuerit?		<i>baræ, num in S. Literis repe-</i>	
	455	<i>riantur?</i>	264
Hispaniæ <i>Topographia curiosa.</i>		Hypochondriaco <i>malo motus</i>	
	97	<i>corporis prodest.</i>	276
Historia <i>ecclesiæ Malabarica.</i>	482	Hypopiasmus <i>Paulinus.</i>	187
Historiæ <i>V Propositionum au-</i>		Hypotheca <i>usucapione non peri-</i>	
<i>ctur du Mas.</i>	244	<i>mitur.</i>	271
Hobbesius (<i>Thomas</i>) <i>notatus.</i>	34	Hystericæ <i>passioni motus corpo-</i>	
Hollandiæ <i>Frisiæq; ordines quam</i>		<i>ris prodest.</i>	276
<i>præ ceteris Belgii Fœderati pro-</i>			
<i>vinciis prerogativam habeant?</i>	III. seq.	Jacobæ <i>Bojoaricæ pudicitia</i>	
Holofernes <i>Sardanapali Dux</i>		<i>examinata.</i>	404
<i>bellicus.</i>	498	Jacobi <i>Patriarchæ morientis ver-</i>	
Homicidii <i>pœna num ad jus po-</i>		<i>ba ultima.</i>	414
<i>sitivum universale referenda?</i>		S. Jacobi <i>de Compostella Legenda</i>	
	40	<i>notata.</i>	483
Hooke (<i>Roberti</i>) <i>vita.</i>	160	Jacobus <i>Philippus Bergomensis</i>	
<i>Van Horne (Joannes) illustratus.</i>		<i>notatus.</i>	404
	271	Jansenii <i>liber Augustinus ab Ale-</i>	
Horologii <i>oscillatorii inventor</i>		<i>xandro VII & Clemente XI</i>	
<i>Rob. Hooke.</i>	160	<i>damnatus.</i>	244
Hortense <i>Calendarium.</i>	496	<i>condemnatio num de jure</i>	
Hortorum <i>cultura.</i>	381	<i>an de factò intelligenda?</i>	244.
Huetius (<i>Petrus Daniel</i>) <i>notatus.</i>			sq. 174. sq.
	68. 69	Jansenistæ <i>celebriores.</i>	368. sq.
Humorum <i>coctio & cruditas in</i>		<i>num doctrinæ sanæ de-</i>	
<i>quo consistat?</i>	411	<i>fensores?</i>	370
Hungari <i>cujus opera ad fidem</i>		<i>jussu Regis Gallie in</i>	
<i>Christianum conversi?</i>	62	<i>custodiam detrusi.</i>	371. sq.
Hunnii (<i>Ægidii</i>) <i>elogium.</i>	205	<i>num in mentiendo sa-</i>	
<i>in quatuor Ev-</i>		<i>tis audaces?</i>	372
<i>angelistarum & Actus Aposto-</i>		<i>num in votis habeant,</i>	
		<i>ut Thomistica æque ac Jesuiti-</i>	
		<i>ca do-</i>	

- ca doctrina proscrubatur?* 372
 Jansenistarum & Dominicanorum consensio & amicitia num simulata? 370. 371. 395
 Jansenistica Clavis. 369
 Jansenium inter & Curiam Romanam pacis historia. 244
 Jansenisticarum controversiarum in Belgio scaturigo Dominicanorum cum Jesuitis emulatio. 373
 Jaquelotus refutatus. 506
 Ideæ quid? 152
 Idololatriæ ortus & varia genera in templo Judaico-Ethnico. 23
 De Jehova nominis pronuntiatione Auctores varii collecti. 530
 Jesaias, an Hesaias dicendum? 440
 Jesuitæ, mortuo Ignatio, doctrinam Thomisticam deserunt. 374
 num Pelagianismi rei? 396
 num Academiarum osiores? 377
 num Præcursores Antichristi? 372. 374
 Jesuitarum & Dominicanorum in causa Jansenistica consensio. 370. sq. sub
 Paulo V Pont. dissensio. 395
 contra Jansenistas motus. 245. sq.
 Ignatius Lojola num heresi Lutheri & Calvinii expugnandæ divinitus datus? 389
 Ignes subterranei. 409
 Ignis ope ut elevanda aqua? 420. seq.
 ut plumbum liquefaciat? 511. seq.
 principia non transmutat. 362
 R. Jifaschar notatus. 457
 Ilei diverticulum. 322
 Illustris tituli quis usus olim? 118
 Imaginis motus in speculo accurate determinatus. 141. 142. 143
 Immaterialitas anime demonstrata. 214
 Immortalitas anime privilegium pacti specialis inter Deum & homines. 207
 quomodo & per quem conferatur? 207. seq. in V. T. ignorata. 208
 ad puniendum unde? 357
 anime ab Ægyptiis conficta. 358
 Imperatores Romano Germanici quinam fidem Lutheranam morte confirmaverint? 13
 Byzantini cur ἐπισημονάρχαι dicti? 14
 jus circa Sacra in actu

<i>actu primo, non secundo, habent.</i>	78	<i>ne Philippus Marnixius.</i>	507
<i>Imperii Status. Vid. Status Imperii.</i>		<i>Jonicum num Cadmi alphabetum dici possit?</i>	56. 57
<i>Incluti titulus unde?</i>	118	<i>Josephus (Flavius) notatus.</i>	262. 264
<i>Incommensurabiles quantitates negatae.</i>	365	<i>Josephi nova editio promissa.</i>	429
	asser-	<i>historia continuata.</i>	448
	tae. 365. 366	<i>vita quando scripta?</i>	449
<i>Individuationis principium.</i>	508	<i>Jovius (Paulus) cur in P. Alcyonium male animatus?</i>	44
<i>Induratio Pharaonis.</i>	187	<i>Ipecacuanhæ radix commodum infantum emeticum.</i>	80
<i>Infallibilitas Pontificis negata & asserta.</i>	175. 176	<i>S. Irenæi nova Editio promissa.</i>	427
<i>Infantum morbi acuti. febribus comatosis Mercurius dulcis sexies sublimatus conducit.</i>	79. 80	<i>Iris.</i>	478
<i>Infernus cui destinetur? ubi?</i>	207. 80	<i>Isidorus Hispalensis Officii Mosarabici auctor.</i>	100
<i>Influxus siderum nullus. unde? Surinamensium Metamorphosis.</i>	317. 364. 481	<i>Israelitæ non stando, sed accumbendo Pascha comederunt.</i>	399
<i>Innocentes an & quomodo possint puniri?</i>	40	<i>Itinerum a Belgis in Indiam Orientalem susceptorum Sylloge.</i>	337. sq.
<i>Insectorum Scriptores.</i>	481	<i>Jubilæum Annebergicum.</i>	11
<i>Intellectus voluntati non imperat.</i>	284	<i>Judæorum Regum numi explicati.</i>	230
<i>Joabus in ministri aulici probati & improbatum exemplum propositus.</i>	192	<i>Reges num sacerdotio subjecti?</i>	451
<i>Jobi liber cum Terentii scriptis & Æneide Virgilii collatus.</i>	12	<i>Judicii extremi universalitas asserta.</i>	357
<i>Jochaides (Simon) Cabbalæ inventor.</i>	457	<i>particularitas asserta.</i>	209
<i>Jomlacula (Nicolaus) vero nomine</i>		<i>Julia lex explicata.</i>	267
		<i>Julii Pollucis Onomastici variae Editiones.</i>	I
		<i>cognomen, patria, paren-</i>	

- parentes, munus.* 4. 5
S. Julianus num cum quinque millibus martyrium in Ægypto subierit? 490
Jungermannus (Godofredus) laudatus. 1
Juniorum (Petri & Patricii) vite. 147
Jupiter a Sole non illuminatur. 364
Satellites suos illuminat. 364
Jovis fascia & macula quid sint? 320
phenomena. 318. 320
Juramenta quam sancte semper a Gentibus habitata, Perizonii commonitio. 266. sq.
Jurandi constitutionum apud Hebraeos historia. 265
gratiam ut facere possint Princeps & Magistratus? 267
Jurare num Christiano per idola, aut jusjurandum ab Ethnico accipere liceat? 266
Jurius (Petrus) palinodia reus aeternus. 405
Jus Imperantium in vitam civium. 40
in vitam propriam habuit solus Christus. 40
Nature, Gentium, Mosaicum, Græcum, Romanum, Canonicum a Pontificiis Seculo XVII permistum. 469
Jus Patronatus principaliter oppignorari non potest. 38
Canonicum Status Protestantes an & quatenus abrogare possint in suis territoriis? 77
hereditarium longissimi temporis lapsu amittitur. 270
Circa Jus Naturæ ne Deus quidem dispensare potest. 77
Divinum mere positivum Deus, non homines dispensare possunt. 78
Papa de facto dispensat. 78
Canonicum & Civile solus Imperator dispensare potest. 78
De Jure gratiæ Principis judicium. 42
Jureconsulti Romani Stoicæ Philosophiæ sectatores. 33
Juris Divini amœnitatum Ecloga. 13
Naturæ principia sunt facilissima. 25
cognoscendi difficultas in applicatione principiorum latet. 26
scientia certa, licet non absoluta, acquiri potest. 26
Systema primus Grotius construxit. 27. 470
doctrinam Judæi corruerunt. 27
Patres neglexerunt. 27
Juris


Juris Gentium fontes quinam aperuerint? 431	Van Leenhof (Friederici) Cœlum in terra aliaque. 328. sq. Cœlo &c.
Civilis & Canonici Reperto- rium quoddam commendatum. 547	quenam scripta opposita? 330. seq.
R ämpfgericht, kämpfliche Sachen quid? 379	dogmata in Belgio damnata. 329. 332
Kepleri lex de motu Planetarum stabilita. 364	Lederlinus (Jo. Henricus) lauda- tus. 2. 3
King (Guilielmus) notatus. 404.	Legata ad pias causas nocent non solum heredi Falcidiam, deducturo, sed & legatariis.
504	38
Kirchmanni (Joannis) Vita. 218	De Legatis & Fideicommissis an- tinomia excussa. 268
Kmetones Polonis qui? 19	Legenda S. Jacobi de Compostel- la graviter notata. 483
Knisenak cerevisie nomen quid notet? 238	Leges motus. 180
Kuhnus (Joachimus) laudatus. 2	Legibus civilibus an & quousque Status Imperii subsint? 76
Kunigundæ, Imperatricis, inno- centia num vera? 42	& Recessibus Im- perii Status Imperii obligan- tur. 77
L Actucarum catalogus. 495	naturalibus quoad pro- hibitiones nuptiales Principes subsunt. 76
preparatio. 495	Legum naturalium existentia. 359
Lætitia vera Christianorum quæ- nam ex Leenhofii sententia? 530	88. pr. §. 1. ff. de Legat. 3. & 44 §. 2. ff. de Legat. I. antinomia difficulter tollenda.
Lamy commendatus. 91	269
A Lapide (Cornelii) Comment. in Scripturam S. historia. 12	Lehmanni (Christ.) de Threnis Jeremiæ epistola. 12
Lapidum vegetatio. 409. 411. 413	Leibnitius (God. Guil.) lauda- tus. 460
durities. 409	Eeee Lelan-
Lapilli agris proficui. 494	
Latitudo locorum. 159	
Launojus refutatus. 196	
S. Le:nde num in Concilio To- let. XIII Gregorii M. Delega- tus fuerit? 486. 488	

- Lelandus (Joan.) phreneticus. 45
- De Lemos (Thomas) Scriptor in
in causa Janseniana Domini-
canis favens. 394
- Leopoldi Imp. Vitæ Autores lau-
dati. 345
- Vita promissa. 549
- Lepidi Comici veteris Philodoxi-
os fabula spuria. 528
- De Lepore vivo num Nebucad-
nezar comederit? 266
- Lessii (Leonhardi) apologia ad-
versus Censuras Lovaniensem
& Duacensem. 396. seq.
- Λευκός quid Græcis? 7. 8
- Levitarum electio & officium. 414
- Leutici quo loco in Germania ha-
bitaverint? 64
- Leuthingeri (Nicolai) Operum
nova editio promissa. 93
- Lex divina universalis. 357
- Julia explicata. 267
- Cornelia explicata. 267
- pen. ff. ad Leg. Corn. de Si-
car. emendata. 239
- 9 ff. de Leg. Rhod. de Factu
emendata. 240
- 22 ff. de Condit. & Demonstr.
explicata. 270
- 1 ff. de adim. Leg. explicata.
270
- 11 ff. de Condit. instit. illu-
strata. 268
- 48 ff. de Judic. explicata. 268
- Libros innoxios num Ecclesia con-
demnare possit? 177
- Lichenis anapodocarpi descri-
ptio. 325. sq.
- Lienis cum ventriculo consensus.
272
- Ligna qua etate cadenda? 494
- Lignorum decocta quid præstent?
81
- Loaisa (Garsias) Conciliorum To-
letanorum editor. 484. 486. sq.
- Lockius (Joannes) refutatus. 532
- Locorum Geometricorum con-
structio. 311
- Logarithmi Logarithmorum
quando non adhibendi? 86.
seq.
- Logarithmorum differentiales.
86. seq.
- Logarithmicæ curvæ quadratu-
ra. 478
- Logarithmos construendi metho-
dus. 478. sq.
- Lojola (Ignatius) Thomam So-
cietati Jesu prælegi sanxit.
374
- Lombardi (Petri) obitus. 67
- Longævitas Antediluvianorum
causa. 361
- Longitudines locorum invenien-
di nova methodus. 311
- Longitudo locorum. 159
- Loquendi per gestus artis origo.
466
- Lords vocis Anglicæ origo. 122
- Lucanus (Joannes) Jctus lauda-
tus

<i>tus.</i>	238	<i>ferta.</i>	163. sq.
Lucianus an Jul. Pollucem per-		Luminis theoria Newtoniana vin-	
strinxerit?	6	dicata.	163
Ludovici Pii diploma suppositi-			im-
tium.	61	pugnata.	365
Lues Venerea morbus antiquus.		Cartesiana refu-	
	81	tata.	163
venena-		natura. 151. sq. 364. sq.	
tus & maxime deleterius.	81	proprietates & effectus.	
infantum ut cu-		151. 157. 158. 163	
randi?	81	Luminosus tractus in Tauro un-	
precaveri potest.	381	de?	158
Luis Venereæ cura.	81. 183	Lunæ lumen inefficax.	153
phenomena in ca-		Lusitanorum conatus Belgas a	
davere.	418	commercio Indorum removen-	
In Luis Venereæ cura errores.		di.	338
	418	Lutheranismus D. Bernhardi.	13
Lumen quid sit?	157. sq.	Lutherani num revelationes ra-	
propagatur in instanti.		tioni contradictorias statuunt?	
	157		347
non propagatur per line-		num consubstantiatio-	
as rectas.	158	nem statuunt?	348
in Zodiaco observandum.		num liberum arbitri-	
	319	um in negotio Justificationis	
ab igne actuali produci-		mere passive se habere negent?	
tur.	151		395
quomodo ante Solem existi-		Lutherano-Evangelicam fidem	
terit?	163	quinam Imperatores morte con-	
Mosi est medium, per quod		firmaverint?	13
lumen propagatur.	163	Lutherus num iniquus S. Scriptu-	
Luminis Solaris productio.	151	re censor?	12
Lunaris efficacia.	153	Lux primigenia quomodo Solem	
materia pondus corpo-		antecedere potuerit?	163
rum auget.	309	Lyseri (Polycarpi) Vita.	515
propagatio successiva as-		Eeee 2	Mabil-

- M**abillonius (Joannes) refu-
 tatus. 290. sq.
 Macedonia olim in superiorem
 & inferiorem divisa. 227
 Macedonia inferioris symbolum
 cancer. 227
 Macedoniani ab Athanasio refu-
 tati. 437
 Machina visionis phenomena de-
 clarans. 152
 ad columnam facile eri-
 gendam & demittendam. 419
 ad liquorem ex pomis ex-
 primendum. 494
 aquam ignis ope attol-
 lens. 420. sq.
 Saveriana Papiniana ce-
 dit. 422
 Macularum Solarium natura. 151
 319
 Jovis descriptio. 320
 Madrutii Cardinalis scripta num
 supposititia? 392
 Magdeburgensis Archiepiscopa-
 tus ab Ottone M. institutus.
 61. sq.
 Magnes artificialis. 416
 Magnetis phenomenorum causa.
 365
 vis a particulis nitro-
 sis. 365
 Mahumetis Imp. Turcici crudeli-
 tatis exemplum. 551. sq.
 Majestas vere talis num compe-
 tat Statibus Imperii? 77
 Malatesta (Francisca) quomodo
 ad incestum inducta? 404
 Malebranchii Philosophia lau-
 data. 177
 de ideis doctrina ab
 Arnaldo examinata. 177
 Manichæismus ante Manichæos.
 499
 Manichæorum affectus veteres &
 recentiores. 502
 Manometri descriptio & usus.
 306. seq.
 Manutius (Aldus) castigatus. 528
 Marcelli Ancyрани doctrine sum-
 ma. 438
 Mare Rubrum quod? 69
 unde dictum? 69
 seq.
 Maris falsedo a rupibus salinis.
 320
 æstus unde? 364
 circulationis cum sanguinis
 circulatione comparatio. 413
 Marmor variis lapillis distin-
 guendi artem quis invenerit?
 466
 Marsaciorum sedes ubi? 461
 S. Martini in Eccl. Hispanicam
 merita. 486
 Martyrologii Romani a Gregorio
 reformati errores. 489. seq.
 reformato-
 rum errores. 489
 Martyrum multa millia num in
 Martyrologio Romano fictitia?
 491
 Masoræ auctores veri. 457
 Masoræ

Maforetæ qui?	457	Medicina gymnastica.	274
Materia motus principium in se habet.	356	Medicinæ difficultatis, confusio- nis & incertitudinis cause.	127
Matheseos elementa.	91	In Medicina Mechanicorum ra- tiociniorum usus vindicatus.	234
Matrimonium Clericus Jure Can. inire nequit.	379	Medicus quando spectator esse debeat?	131
Principum Prote- stantium contra Jus Can. ini- tum, si alter Conjugum ad Pontificios transeat, nullum declarare Pontifex haud po- test.	79	Mediolanenses Principes quo- modo ad Principatum perve- nerint?	114
quousque jure		Melchisedeci persona, officium & facta.	186
Naturali, Civili, Canonico &c. prohibitum?	76	A Melle oppido familia Melle- niorum dicta.	218
ob mutatam re- ligionem non dissolvitur.	38	De Mellerajo Mareschallo singu- laria.	404
De Matrimonio Claudii & Agrip- pine Dissertatio.	67	Memoria quid sit?	153
In Matrimonialibus jus dispen- sandi Pontifici a Protestantibus negatum.	78	Menagius (Ægidius) notatus.	281
Dispensatio		Menckenii (Ottonis) obitus.	431
num extra Principis dispensan- tis territorium valeat?	79	(Jo. Burchardi) in	
dispensatio- nem Protestantes Principes ipso jure exercent, Catholici a Pa- pa petunt.	79	J. A. Campanum merita.	280.
A S. Mauro nomen cur Benedi- ctinorum ordo adsciverit?	203		282
Maximilianus Henricus El. Co- lon. Chemicæ artis peritus.	462	Mensium fluxus nimius per vo- tum spiritus vini sistitur.	81
Medicam artem num exercere liceat Theologo?	12	causa.	474
Medicamentorum classes. 130. sq.		Mensura fixa.	155. seq.
		Mentis paradoxa definitio.	514
		definitio realis desidera- tur.	508
		actiones Mechanice expli- cata.	152. 153
		sedes.	152
		& corporis æquilibrium.	410
		Mercurii ascensum in barometro	
		Eeee 3	Spiri-

- Spiritus vini impedit.* 305
In Mercurium gravitans materia subtilis. 305
Mercurius dulcis sexies sublimatus in febris puerorum comatosus conduxit. 80
Meridiana linea ut invenienda? 155
Merovingici in Gallia Reges non nomine sed potestate tales. 198
Metamorphoseos librorum Ovidii physica interpretatio, 155
Metaphysica principia Cowardi. 352. seq.
Methodus approximandi in indicibus irrationalibus. 91
philosophandi de anima. 508
experimentandi. 157
modos naturæ in operando detegendi. 157
demonstrandæ veritatem religionis Christianæ. 167. seq.
Methodi medendi ratio. 130. seq. 411
Metropolis jura & privilegia ratione coloniarum descripta. 231
quæ signa in nummis? 232
De Metropolitibus provinciarum Romanis subjectarum Dissertatio. 231. seq.
Mevii (Davidis) Juris prudentia gentium communis typographis oblata. 430
Micrographia Hookii commentata. 150
 *Mina Hebraeorum.* 266
Miracula num hodie cessent? 185
Mischnæ auctores. 456
In Misnia cultus quondam Abrahami & Josephi. 13
Missio Spiritus S. extraordinaria. 12
Moderationis in decidendis controversiis specimen. 41
De Moivre (Abraham) notatus. 87
Cheynæi adversarius. 85. 86
Moivreani theorematis pro infinitinomio ad potentiam indeterminatam elevando origo. 87. seq.
Molarum novum genus. 422. sq.
Molinæ (Ludovici) liber, nec editus, nec visus, a Bannesio Pelagianismi postulatus. 390
liber de Concordia permissu Inquisitionis Lusitanicæ editus. 391
a Clemente VIII damnatus. 392
causa defensa. 393
appendix ad librum de Concordia. 397
Molleri (Justi) Fasciculus remedium commendatus. 80
Molochi cultus in pictura exhibitus.

<i>bitus.</i>	398		211. 214
Moluccarum insularum expugnationis historia.	342. seq.	Mortis ex morbo causa quintuplex.	130
Momentorum temporis a gravi per curvam descendente consumti expressio Analytica.	518	naturalis causa.	410
Mongitore (Antonii) Bibliotheca Sicula promissa.	528	Mosarabicum Officium unde dictum?	101
Monothelitarum heresis in Anglia quando invaluerit?	171	a Ximeno iterum restauratum.	102
Mons ignivomus Pietra - mala.	418	duello & igne in Hispania probatum.	66. 100. sq.
Monstrosus foetus.	419	Mosci. Vide Russi.	
Montfaucon (Bernardi) Palaeographia Graeca promissa.	424. seq.	Moses & Moschus an iidem?	119
Moralis (Ambrosius) Scriptor Hispanus.	486	Mosis apparitio.	358
Moralis doctrinae historia.	26. sq. 328	Motus firmamenti apparens.	89
methodus varia.	327	oscillatorius quis?	471
Morbus quid?	128	imaginis in speculo accurate determinatus.	141. seq.
Morborum varietas unde?	128. seq.	Planetarum circularis unde?	363
quatuor genera.	129	vertiginis Planetarum cur diversae celeritatis?	363
causae propriae.	129	Telluris diurni causa.	364
remotae ut agant?	129	inaequalis.	160
analogismus.	408	causa.	317
acutorum signa prognostica.	475	leges.	180
Moreriani Dictionarii nova Editio.	426	Planetarum theoria perfecta.	311
Mortalitatem animae naturalem cum Patres asseruerint?	210.	rotae molaris quomodo esse possit?	422
		Elliptici Planetarum causa.	318. seq.
		corporis qualem usum habeat?	275
		Motuum reciprocorum theoria.	423
			Le

- Le Moyne (Stephanus) emendatus.* 121
Muhamedanæ religionis ortus, sectæ & ritus varii. 24
Muhamedismus in Angelis Euphrateis S. Johanni præmonstratus. 187
Mundus immediata virtute a Deo creatus. 162
num possit esse ens a se? 62
num solius hominis gratia conditus? 165
Mundi æternitas negata. 360
Systema novum. 89. 363
De Mundo Christianorum veterum sententia ex testimonio Cosmæ. 439
Muretus notatus. 118
Musei seu Bibliothecæ instructio qualis esse debeat? 12
Mysticæ Theologiæ origo. 469
Doctores rationis usum suppresserunt. 469
N *Asos vel labia refingendi ars a quo inventa?* 466
Natalis Alexander Jansenistis adscriptus. 370
Natura optimus Medicus. 131
Naturæ æqualitas inter curvas cistissimorum descensuum & curvaturas continuarum refractionum. 517. seq.
Nebucadnezar num de lepore vivo comederit? 266
De Neronis adoptione Dissertatio. 267
Nervi acustici tractus singularis. 419
Nerveus succus nutritius. 473
Neuseri (Adami) transitus ad Turcarum cultum contra Sandium comprobatus. 13
Newtonus (Isaacus) notatus. 364
refutatus. 360
Nicolius Jansenista. 176
Ecclesiam in rebus facti errare posse defendit. 176
quid scripserit contra Diroesium? 177
Nimrod cur turrim magnam extruxerit? 497
num Monarchiæ Assyriacæ conditor? 497
Nitri natura. 361. seq.
Nobilissimi qui olim dicti? 118
Nomina propria Hebraica enucleata. 262
Noribergensium Eruditorum Vita promissa. 283
Normannorum in Apulia gesta illustrata. 64
Notarii num instrumenta communi sigillo valide obsignare possint? 38
Notio Dei vera. 354
Notionum distinctarum & confusarum origo. 508
formatio. 509. seq.
realitas quando & quo-

<i>quomodo adstruenda?</i>		<i>Oleum in simpliciora resolubile.</i>	
<i>Novellarum Scriptores castigati.</i>			362
	532	<i>Olei definitio.</i>	362
<i>Nubis distantia ut ex audito tonitru & viso fulgure determinanda?</i>	164	<i>Onomasticon Urbium & Locorum S. Scripturae.</i>	264. 529
<i>Numus in pacem Jansenianam cusus.</i>	248	<i>Opassum & Possum idem animal.</i>	336
<i>M. Antonii & Cleopatra perrarus.</i>	412	<i>Ophir terra qua & qualis? 71. sq.</i>	
<i>Numi explicati & illustrati.</i>	266. 449. seq.	<i>Orationes sedendo an stando olim recitatae?</i>	5
<i>Samaritani quomodo veri a spuris discernendi?</i>	51	<i>Orbis crystallinus supra fixis.</i>	90
<i>adpensi qui olim apud Romanos?</i>	51	<i>Ordinatio a Presbytero fieri potest.</i>	357
<i>Numorum Judaicorum origo.</i>	51	<i>Origenes notatus.</i>	262
<i>Gracorum origo.</i>	51. seq.	<i>Orthium carmen quomodo a σκολίω differat?</i>	122
<i>Nutritio ut fiat?</i>	471	<i>Orthodoxorum & Mysticorum Ecclesiae Doctorum Sectae.</i>	469
O <i>bservationum circa fixas usus.</i>	160	<i>Os porci cognomen cui Pontificum vere tribuendum?</i>	63
<i>Halensium</i>		<i>Ossis femoris ligamenta.</i>	323
<i>Autores notati.</i>	554	<i>Otto (Joachimus) laudatus.</i>	238
<i>Obsides an & quomodo puniri possint?</i>	40	<i>Otto M. Imp. cur Pontificibus Rom. exosus?</i>	61
<i>Oculus artificialis.</i>	152	<i>Pipini & Caroli M. donationes confirmavit.</i>	61
<i>Odor unde?</i>	364	<i>instituit Archiepiscopatum Magdeburgensem.</i>	61. sq.
<i>Oesophagi tunica vasculosa.</i>	272	<i>Ovariorum hydatides.</i>	84
<i>Officii Gallicani in Ecclesias Hispanicas mira introductio.</i>	66. 100. seq.	<i>Ovidii Metamorphoses laudatae.</i>	155
<i>Olearii (Jo. Christopheri) Bibliotheca Canticorum commendata.</i>	534	<i>Oxonienſis Academia antiquitas examinata.</i>	171
		Ex P <i>ACTO nudo an detur Actio?</i>	379
		F <i>fff</i>	Pal-

- Palla quid? 171. seq.
 Pancreaticus ductus duplex. 273
 Pandectæ Florentina commenda-
 te. 118
 Papæ Primatus in Eccl. Hisp. pri-
 mis seculis ignoratus. 483. sq.
 non jurisdictionis
 & autoritatis, sed ordinis &
 dignitatis nomen. 483
 per Phocam par-
 rucidam introductus in Eccles.
 Rom. 484
 per Oecumenicum
 quoddam Hisp. Concil. impu-
 gnatus. 485
 potestas ab Episcopis Ponti-
 ficis impugnata. 246
 a quibus suffulca? 172
 in Lusitania quondam artes
 & machine. 483
 Papatus historia. 24
 Parabolæ descriptio. 133
 Paradisi situs in Armenia. 67
 flumina descripta. 68
 In Paralyti Terebinthinæ vires. 81
 Parallaxis orbis annui asserta.
 165
 Parisius, apud Parisium & simi-
 les locutiones pro territorio
 Parisiensi explicanda. 194
 Particularum minimarum spe-
 cies. 361
 Parvæ stature natio. 343
 Pascha non stando, sed accum-
 bendo Israelite comederunt.
 399
 Paschales Epistola quæ dicta?
 439. seq.
 Patarini qui? 65
 Patrarum urbs qualis? 231
 Patriarchæ apud Judæos origo,
 officium, exitus. 455
 Pelagii & Massiliensium errores.
 396
 Pelagianismi num Jesuite rei?
 396
 Penduli Astronomici errores. 155
 mutationes. 156
 Pendulorum longitudo. 166
 Penis glandule novæ. 417
 Pennotus (Gabriel) refutatus. 64
 Pentateuchus questionibus exe-
 geticis illustrata. 413. sq.
 Samaritanorum
 defensa. 453
 Pentecostes Festum ut in numis
 designatum? 231
 Perez (Antonii) triflis catastro-
 phe. 483
 Perire sine lege quid Rom. II, 12?
 213
 Perizonii (Jacobi) de juramento-
 rum apud gentes sanctitate
 Epistola. 266. seq.
 Perronii Cardinalis in causa Jan-
 senistica effatum. 395
 Persarum doctrina moralis. 28
 Petechiæ retrocedentes per scari-
 ficationem & inundationes re-
 vocabiles. 412
 Peterfentii Chiliasmus. 12
 Petrefactionis causa. 154
 Petre-

Petrefactorum descriptio.	154	Pignus usucapione non perimitur.	271
Petrus II Rex Lusitaniae vini abstemius.	102	Du Pin (Ludov. Ellies) Bibliotheca Profana promissa. 426. seq.	
Pezron (Pauli) obitus.	427	E Pipere quantum pecunie redeat ad Societatem Orientalem in Belgio?	337
Phaenomenorum quorundam natura collectio.	477	Piscariensis Abbatis dignitas summa.	446
Pharmacologiae supplementum.	126	Placcii (Vincentii) de Anonymis & Pseudonymis Opus promissum.	430
Philelphus (Franciscus) num librum de contemptu mundi Ciceroni plagio subduxerit?	281	Planetæ sunt cavi.	318
Philelphi Epistolarum editiones variae.	282	Planetarum motus elliptici unde? incole rationales.	319
Philippucci (Gabrielis) moderatio ac humilitas singularis.	20. sq.	motus a radiis Solaribus.	317
Philosophia Scripturae lapis Lydius esse nequit.	161	unde?	363
Philosophica cognitio est conjecturalis.	163	Plantarum vegetatio in creatione mundi.	164
Philosophorum veterum studium Theologiae mysticae.	459	Plantæ ut in creatione tam cito procreverint?	164
Phocæ nominis derivatio. 59. sq.		Platonis principia moralia quæ?	29
Phocas, parricida, Primatum Papalem Gregorio M. confirmat.	484	Plethoræ noxæ.	129
Phœnicia litteræ an a Samaritanis diversæ?	53	Πνεῦμα quid significet?	209
Phthisi motus corporis prodest.	276	Podagræ medentur Cantharides.	183
Physica Sacra Joannis de Mey.	261	Pœna num irroganda, delicto nondum probato?	41
Physicæ defectus.	150	homicidii num ad jus universale positivum referenda?	40
principia octo.	361		
Physicum tentamen.	360	Pœnam num delinquentes debeant?	41
Pictorum error notatus.	399		

- Pœnam num paribus irrogare
liceat? 41
- Pœnarum necessitas demonstrata.
39
objectum non est hære-
sis. 41
dispensatio num locum
habeat circa pœnas lege uni-
versali positiva definitas. 42
potestatem non habet
naturaliter innocens in nocen-
tem, nec inferior in superio-
rem. 40
- Pœnis num etiam debita ante le-
gem pœnalem subjaceant? 41
- Pœtæ cur genus irritabile dicti?
117
veteres Theologiæ mysticæ
cultores. 459
- Politica Bibliotheca commenda-
ta. 191
- Pollux. Vide Julius Pollux.
- Poloniæ Reginarum ex Austriaca
familia Panegyrici. 18. seq.
- In Poloniam quando Christiani-
smus illatus? 62
- Polus rotationis telluris mutabi-
lis. 155
- Pomarii (Samuelis) vita. 218
- Pomerani quando facti Christia-
ni? 66
- Pomorum theoria. 494
- Pondus corporum augetur per
materiam luminis. 309
- Ponti Regum nummi explicati. 230
- Portugalliæ Topographia curio-
sa. 97
- Possessio non est species juris in
re. 271
- Possevinus refutatus. 63
- Possum animalis Virginiae descri-
ptio. 335. seq.
& Opassum idem. 336
- Potentia Dei in explicandis phæ-
nomenis admitti potest. 356
- Potentiarum differentia. 310
- Prænomena Romana indicium
clientelæ. 231
- Præscriptio non est pœna. 41
- Præservatio a morbis. 131
- Presbyter, Sacerdos, & Episcopus
in Sacris synonyma. 357
- Princeps concionator. 13
Hebraice doctus. 13
pœnis exemptus. 40
- Principes legibus naturalibus quo-
ad prohibitiones matrimonia-
les subsunt. 76
civilibus Imperii
an & quousque subsint? 77
- Problematum Geometricorum
constructio. 311
Solidorum constru-
ctio. 478. seq.
- Προσάται Athenis qui? 121
- Prostatarum corpuscula dura.
12. 82.
- Πρώτη quid in numis Metro-
leon Romanarum & urbium
Macedonicarum denotet? 232
- Proverbiorum Salomonis Expositio
Joannis de Mey. 261

Pruta monetae genus apud Hebraeos. 266	Radicem ex equatione quacunque extrahendi methodus. 478
In Psalmos Commentarius Eusebii Caesariensis laudatus. 435	ex infinita equatione extrahendi methodus. 478
Pfellus (Michael) laudatus. 65	Radicum irrationalium extractio. 91
Pseudo-membrana ex sanguine confecta. 323	numerus in equationibus solidis. 478
ΨΥΧΗ in Sacris quid denotet? 207	Radii Solares pondus antimonii calcinati augent. 361
Ptolemaica hypothesis resuscitata. 360	Radzievii (Michaelis) Cardinalis natales. 531
Puerperarum tormina & vigilia opiata non ferunt. 81	Rapinus notatus. 31
Pufendorffii (Samuelis) doctrina moralis studium. 35	Ratiocinandi artificium in quo consistat? 510. seq.
Pulveris Ryffeliani autor Barker. 182	Ratiocinatio quid? 153
Pupillus quo in casu Tutorem apte convenire possit? 38	quomodo fiat? 153
Purgantium noxa. 406	Rationis usu qui careant? 507. seq.
Quakerorum ortus, progressus & dogmata. 181	cur careant aliqui? 513
De Quadratis Magicis quinam scripserint? 309. sq.	natura ut investiganda? 508
Quesnellius (Paschasius) Historia Congregationum cum Serrio auctor. 368	Rationem secare quid sit? 103
Fresne. 369	Reflectio aeris. 478
ob renovatam Baji & Jansenii doctrinam condemnatus. 368. 372	non mutat azimuthum. 479
Quinquessis memorabilis. 53	Regula Fidei, Conciliis Toletanis annexa, num genuina? 488
R litera in S saepe olim mutata. 122	Regis (Petri Sylvani) obitus. 427
	Reinesii in emendando J. A. Campano studium. 279
	Religio Pontificia num muliebris? 12
	naturalis corrupta. 359
	Religionis Mahumedanae historia. Ffff 3

- ria.* 23
 De Religione naturali Dissertatio. 41
 Ob Religionem mutatam num. dissolvi possit matrimonium? 38
 Renum succenturiatorum usus. 407
 structura. 307. sq.
 Rerumpubl. liberarum sensim sub dominium redactarum exempla. 115
 Respiratio magna centum musculis absolvitur. 273
 Respirationis necessitas. 407
 mechanismus. 424
 Ex Resurrectione Christi hominum immortalitas demonstrata. 184
 Revelationes rationi contradictorias num Lutherani statuunt? 347
 Revelationis immediata necessitas. 358. seq.
 Reusneri (Jeremia) Jcti vita. 218
 Rhabarbari vires in ventriculi dolore. 81
 Rhythmos Izalicos quis primus invenerit? 466
 Roborantia Medicamenta quae? 131
 Rodericus Toletanus Scriptor Hispanus vetustus. 486
 Roemerus castigatus. 157
 Rohaulti Physica Latine versa & notis aucta. 212
 Rokosz vocabuli origo. 19
 Rossæi (Alexandri) de Religionibus mundi liber Germanice, versus & auctus. 23. seq.
 Rotæ molaris motus quantus esse possit? 422
 Le Roy (Jacobi) studium illustranda Brabantie commendatum. 289
 Rubrum quid dicatur Græcis? 70
 Russi quo tempore a Græcis idem acceperint? 63
S litera pro R saepe olim posita. 122
 Sabbatati qui dicti in Hispania? 67
 Sacerdotio Judæorum num fuerit in Reges potestas. 451
 Sacius, Defensor Jansenii, incarceratus & liberatus. 246. seq.
 Sacii vita & mores. 248
 in transferendo N. T. Montensi opera. 246
 Sadducæorum doctrina & fata. 454
 Sal principium physicum. 363
 Salia cum aqua evaporantur. 321
 Salium divisio & natura. 320
 Salmasius (Claudius) notatus. 56
 Salomonis navigationes in Indiam & Hispaniam. 498
 Saltationum Gallicarum nomina unde? 552. sq.
 Saltatoriæ artis Systema. 551
 usus. 553
 Magistri requisita. 553.

<i>ta.</i>	553	Schlüsselburgius refutatus.	506
Salutis accipiende conditiones.		Schmidii clari.	12
	208	Scribæ qui dicti Christo Luc. XI,	
Samaritani schismatis origo & progressus.	452	44?	454
Samaritanarum, an Assyriacarum litterarum in S. Litteris usus antiquior?	53	Scripturæ S. loca illustrata:	
		Gen. I, 2 & 21	242
		26.	550
		27.	551
Samaritanorum Pentateuchus defensa.	453	II, 6.	243
		VI, 14.	243
Sanctorum reliquias ad Concilia deferendi origo.	64	XLIX, 10.	146
In Sanctorum numerum quis primus relatus?	63	Exod. IV, 21.	243
		Lev. VII, 26.	265
Sanguis animalium terram fecundat.	494	Deut. XIII. 9. 10.	39. 41
		XIX, 17.	41
Sanguinis mechanismus.	128	XXVIII, 5. 6.	266
missio omnis inutilis.	407	Judic. XI, 30. seq.	186
		1 Reg. X, 27.	399
Sanitas quid?	128	XV, 1.	456
Satellites a ☿ & ♃ illuminantur.	364	Pf. LX, 10 & CVIII, 10.	399
		Matth. V, 18.	459
Satellitum Jovis & Saturni phenomena.	318	VI, 23.	123
		VII, 1.	120
Saturnus a Sole non illuminatur.	364	XVI, 18.	285
		XVIII, 10.	186
Satyra & Ecloga quomodo a se invicem differant?	281	XXI, 1.	264
		8.	399
Saxonix Electores & Principes prerogativa quadam in ferendis legibus gaudent.	77	XXIII, 37.	186
		Marc. III, 17.	398
Scaliger (Josephus) notatus.	54	VII, 22.	123
Sceptrum Jebude.	186	Luc. II, 27.	120
Schismata Ecclesie quo pacto tolli possint absq; Syncretismo?	24. seq.	XI, 44.	454
		XII.	123
		Job. II, 4.	549. seq.
		27.	120
		X, 3.	121
		Job.	

<i>Job.</i> XIV, 26.	12	<i>gnoscatur?</i>	162. 185
XIX, 5.	119	<i>Scripturæ S. sensus quinam genuinus?</i>	209
<i>Act.</i> II, 24.	122	<i>auctoritas num eadem, quæ fabularum Æsopi & Titi Livii Historiarum?</i>	12
XIII, 48.	343	<i>lectio num cuius permittenda?</i>	258. seq.
XVII, 17.	121	<i>assertiones universales num & quando admittant limitationem?</i>	209. 214
XVIII, 12—16.	187	<i>Scripturam S. interpretandi methodus demonstrativa.</i>	169
XXIII, 23.	119	<i>Seburei Judeis qui?</i>	457
XXV, 23.	218	<i>Secantes angulorum multiplo- rum quomodo inveniuntur?</i>	310. 311
XXVII, 25.	119	<i>Secantium collectio.</i>	478
<i>Rom.</i> II, 12.	213	<i>Sectio rationis quid sit?</i>	103
III, 28.	187	<i>Sectiones Conicæ quando tractanda?</i>	133
VIII, 19—23.	187	<i>Sectionum Conicarum ubi usus?</i>	132
28.	243	<i>in plano</i>	
IX,	74	<i>descriptio.</i>	133
XI, 25.	187	<i>De Sectionibus Conicis commentaturi scopus.</i>	132
33—36.	187	<i>Seldenus notatus.</i>	40. 34
XVI, 2.	121	<i>Seleucidarum Regum series e numeris descripta.</i>	228. sq.
<i>1 Cor.</i> I, 20.	397	<i>Senarii proprietates.</i>	511
II, 8.	187	<i>Sensatio ut fiat?</i>	471
IX, 27.	187	<i>Sepeliendi mortuos in insula Banda ritus.</i>	343
XV, 22.	210. 214	<i>De Sephirotis quid judicandum?</i>	458
29.	398		
<i>2 Cor.</i> XII, 20, 21.	13		
<i>Gal.</i> VI, 13.	124		
<i>Eph.</i> II, 19.	121		
<i>1 Tim.</i> V, 17.	118. 121		
<i>2 Tim.</i> II, 19.	187		
<i>Ebr.</i> II, 9.	118		
XIII, 10.	397		
<i>Jud. vers.</i> 9.	187		
<i>Apoc.</i> III, 5.	397		
XVI, 15.	398		
XIX, 13.	21		
<i>Scripturæ S. veritas ex Philosophia judicari nequit.</i>	162		
<i>divinitas unde co-</i>			

Septem verba Christi in cruce.	rum.	455
186	Simonis (Richardi) versionis N.	
Serapis ut in numis Seleucida-	T. Gallica historia.	258
rum representatus?	Sinenfium doctrina moralis.	28
229	Sinus anguli multipli ex sinu sim-	
Series infinites infinitæ quanti-	pli inventio.	313. seq.
tatum irrationalium rejiciun-	Sixti Senensis in Bibliotheca San-	
tur.	ctæ institutum.	12
86	Societatis Orientalis Indicæ apud	
necessaria vendi-	Belgas origo & incrementa.	
tantur.		337. fq.
88	Socrates cur quæstionum metho-	
pro Sinubus & eorum Lo-	do usus?	29
garithmis.	Sol circa medium anni ut ultra	
177	12 horas supra horizonte com-	
Serrius, alias Augustin. le Blanc,	moretur?	89. 90
Historiæ Congreg. de Auxiliis	Solaris revolutionis quantitas.	89
gratiæ auctor.	Solidarum partium medicina.	
368		410
notatus.		differentia.
368		472
Servitutes personales usucapione	Solidæ partes aque ac fluida ab-	
non tolluntur, nisi certo in	sumuntur.	472
casu.	Solidum minimæ resistantiæ.	478
270	Solis substantia eadem, quæ Tel-	
In Servitutibus usucapio locum	luris.	151
non habet.	ingressum in Tropicos deter-	
270	minandi methodus.	479. seq.
Sichem urbis descriptio.	igneæ natura asserta.	317
70	motus.	89
Siceras conficiendi methodos qui	recessus & appropinqua-	
tradiderint?	tionis ratio.	89
494	magnitudo.	151
Sicli Hebraorum.	macule quid?	151
266	macularum ratio.	319
Sicula Bibliotheca promissa.	Solum vocule Rom. III genuina	
528	Gggg	Lutheri
Siculi multarum inventionum		
auctores.		
465. seq		
Sigillo communi num instrumen-		
ta a Notariis valide obfignen-		
tur?		
38		
Signorum ad ratiocinandum ne-		
cessitas.		
510		
Simeon Metaphrastes quo tem-		
pore vixerit?		
62		
Simeon primus Patriarcha, qui		
tertius in Catalogo Judæo-		

- Lutheri versio.* 187
Somnia divina hodie dantur. 185
Soni propagatio definita. 164
genesis. 365
Sophianus non Michael, sed Nicolaus dictus. 122
A Sophistis gesti magistratus indicium in numis. 233
Soporosus affectus rarus. 278
Spanhemius (Ezechiel) laudatus. 49
Spatium secare quid significet? 104
Spasmodica remedia que? 130
N. Spee auctor Cautiois criminalis contra Sagas. 507
Speculorum causticorum quantum maximus effectus? 306
Spei, Fidei & Charitatis Virginum Sanctarum Romae passionum genuina? 491
Sperlingius (Otto) notatus. 52
Spicis Festum Pentecostes in numis designatum. 231
Spinozæ doctrina a Leenbosio re cocta. 328. sq.
Vite scriptores. 329
magistra filia van den Ende. 329. sq.
amores. 330
Anti-Spinoziana scripta. 329
Spiritus definitio. 362
vini impedit ascensum & in barometro. 305
Sancti missio extraordinaria. 12
- Spiritus num negaverint Sadducei?* 454
Sponsalia ob mutatam religionem solvi possunt. 38
Statuæ Romanæ antiquæ & modernæ delineatæ & descriptæ. 386. sq.
Status Catholici in matrimonialibus dispensationem a Papa, Protestantes ipso jure habent. 79
Imperii legibus civilibus subesse, unde judicandum? 77
Romanis & Recessibus Imperii obligantur. 77
num habeant Majestatem? 77
Protestantes num Jus Canonicum in suis territoriis abrogare possint? 77
A Statibus Imperii leges latæ, non proprie, sed analogice tales sunt. 77
Stella quid in Arfacidarum numis denotet? 229
Stellæ temporariæ quænam sint? 151. seq.
Stellarum fixarum natura. 151.
317. 363 circa vortices suos motus. 90
Stephanorum (Roberti & Henrici) in Ennium merita. 9
Stobæus, an Stobensis dicendum? 123
Stoi-

Stoicorum vita & doctrina moralis examinata.	33	Systema mundi ex mente Cosmæ & Christianorum Veterum.	439
Stolterfohtorum (Jacobi & Joannis) Vita.	218	T Abernaculorum in numis Festum spicis & tabernaculo designatum.	231
Strabonis varia editiones.	433	Tabulæ pro supputando motu Cometarum.	222. seq. ut construenda?
Sturmius notatus.	365	Taciti (C. Cornelii) nova Editio promissa.	428
Substantia immaterialis impossibilis.	353. seq.	Talio simplex non possibilis semper, nec justa.	41
Subterranearum cavitatum effectus.	318	Tanaitæ qui?	456
Succeffionis quæ sit indoles ac modus?	38	Tangentes angulorum multiplo- rum quomodo inveniantur?	310
Sugeri Abbatis San- Dionysiani laudes.	200. seq.	Telescopia nova inventa. Campani commenda- ta.	419. seq. 419
Suidas quo tempore vixerit?	62	Tellus a creatione immutata.	154. seq.
Sulphuris natura. vires in hæmorrhoidibus cæcis.	309 81	Telluris revolutio annua. figura spheroidica. theoria Whistoni paradoxa.	89 155 161
Ryffeliani auctor Barker.	182	productioni cur plus temporis impenderit Deus, quam astris?	164. seq.
descriptio.	182	motus annuus assertus. diurnus demonstra- tus.	165 165
Sulpitius Severus, Sanctus, e Martyrologio Romano ab Urbano VIII expunctus.	490	unde?	364
Surdi natura, qui legere & scribere didicit, exemplum.	467	mutationes.	155
Symbolo Cæptano verba Filioque sine Papæ consultatione ab Eccl. Hisp. addita.	485	centrum gravitatis mu- tatum.	155
Synedrium M. num ante Hasmo- neorum tempora exstiterit?	40	motus unde?	317
Synodorum XL Hispanicarum Collectio perantiqua.	484		
Synoris e Sanctarum catalogo ex- puncta.	446		
Systema mundi novum.	89		

- Temperamentorum *natura* & *diversitas.* 128
ratio. 284
 Templum *Judaico-Ethnicum.* 23
stercoreum quodnam? 70
 Temporis *notio unde?* 153
 Tensiones *viribus tendentibus an proportionales?* 312
 Tenzelius (*Wilb. Ern.*) *laudatus.* 461
 Terebinthinæ *vires in paralyfi.* 81
 Ternatensium *Regum mira, sed fabulosa origo.* 343
 Terra *principium physicum.* 363
sanguine fecundatur. 494
 Terræ *motus Neapolitanus.* 411
genera & cultura. 494
lapilli non sint noxii. 494
fecunditas a sale. 494
 Terræ *motuum generatio.* 159
causa ignes subterranei. 409. 411
effectus mirandi. 419
 In Testamento *Parentum inter liberos nuncupativo femina testes esse possunt.* 38
Christiani a Turcis capti Legis Cornelia fictione opus est. 38
 De Teste *falso lex forensis explicata.* 41
 Testes *quando esse possint femina?* 38
 Thalmud *liber quando & a quibus compositus?* 456
 De Thecla *historia conficta.* 446
 Theologi *Pseudo-Medici.* 12
 Theologo *num liceat artem Medicam exercere?* 12
 Theologia *Gentilium notata.* 532. 533
Mystica a Poetis olim exculta. 459
 Theologiæ *revelate principium Tillianum, ratio, fallax, insufficientis & obscurum.* 348
Studioso num Philosophia, an lingua Sancta primum addiscenda? 287
mystica origo e Judæorum Cabbala & Gentilium Philosophia. 469
 Thermarum *Titi delineatio.* 388
 De Threnis *Jeremiæ epistola.* 12
 Thurway (*Simonis*) *tristia facta.* 45
 Thyroedarum *glandularum ductus novi.* 417
 Van Till (*Salomonis*) *dogmata quedam notata.* 347. sq.
 Tillemontius *notatus.* 452
 Timor *non admittit venæ sectionem.* 407
 De Toletano *vel Gallicano Officio in Eccl. Hisp. recipiendo certamen.* 66. 100. sqi
 Tonitru *generatio.* 480
 Torcular *pro succo ex pomis exprimendo.* 495
 Transsubstantiatio *cum aquæ in vinum mutatione comparata.* 549
 Treuga *quid?* 379
 Treuga

Treuga Domini a Conventionali & Legali seculari diversa. 379	In Venerea lue curanda errores. 418 Vide Lues Venerea.
Tumor magnus colli. 82	Venti impetuosiores in Jove, quam in Terra. 320
Tunicarum villosarum textura. 323	Ventorum origo. 364
Turcis, vel Imperatoris, vel pro- pria manu necari, gloriosum. 40	In Ventriculi dolore rhabarbi vi- res. 81
Turennius libri Arnaldini perle- tione ad fidem Romanam con- versus. 248	Veritates Scripturae Philosophicis evidentiores. 162
Turris Babylonica cur a Nimrodo exstructa? 497	quomodo deducantur ex definitionibus? 511
Turrium peculiarium inventores Siculi. 467	Versionis Gallicae Bibliorum Ge- nevensium fata varia. 241
Tutor quo in casu conveniri a pupillo possit? 38	Vulgata auctoritas. 121
De Tuyd (Don Lucas) Scriptor Hispanus vetustus. 486	Vestes sacrae in administratione S. Coenae. 13
Tympani membrana in aure non habet hiatus. 273	Ughellus emendatus. 280
Vaginae uterinae in puella bi- mestri descriptio. 308	Villani (Jo. Petrus Jacobus) vero nomine Angelicus Aprosius Ven- timiglia. 528
Vaillantius emendatus. 233	Vioneus (Petrus) Chirurgus ex- cellentissimus. 466
Vallonius refutatus. 506	Vires ad ligna frangenda necessa- ria. 494
Variolae retrocedentes ut revoca- te? 411	Virginiae Historia. 333 historia naturalis a Ba- nistris exculta. 335
Vasa cadaveris preparandi me- thodis. 417	Viscerum preparationes Anato- micae. 416. seq.
Vegetationis causa. 364	Vita quid? 128
Vejelius (Elias) Dannbaueri con- tra L. Allatium defensor. 188	In Vita aeterna num futuri sint gradus gloria? 187
Velocitas corporum descenden- tium per instrumentum exami- nanda. 151	Vites num arboribus accensenda? 122
Veneficii in morbis abigendis u- sus damnatus. 435	Vitia cardinalia quatuor. 284
Venenorum ratio. 129	Unicornu fossilis ratio. 153. seq.

Unio Ecclesiarum ut fieri possit? 25	Vulnerum suctio quando admittenda? 380
De Unione Reformatorum & Lutheranorum judicia & responsa quædam Reformatorum. 261	Ab Uxore ulcerosa marito abstinentium. 516
Unwani merita in Hamburgenses. 64	W aldensium Ecclesia facies. 188
Volaterranus refutatus. 280	Weisii (Christiani) Opera Latina commendata. 346
Voluntas num imperare possit intellectui? 284	Wels (Eduardi) Arithmetica commendata. 479
Vomitus puerorum narcoticis sistitur. 80	Westmonasteriensis S. Petri Basilica in Anglia a quo primum exstructa? 173
Vortices in aquis supracælestibus. 90	Whistonus castigatus. 161
ætherei cælo dejecti. 163	De Wilhelmo Principe Arausionensi ejusque posteris a Belgii Fœderati Præfectura excludendis consilium & decreta. 107. sq.
novi. 90	Witizæ, Regis Hisp. contra Pontificis auctoritatem decretum. 485
Votum Jephthæ. 186	Witty (Joannis) elogium. 162
Urinæ incontinentia ex uteri vitio. 85	Ximenii Cardinalis epitaphium. 100
Usserii (Jacobi) vitæ Scriptores. 146	Z accagnius (Laur.) laudatus. 461
Bibliothecæ instruetissimæ fata. 148	Zedekias num Nebucadnezarem de lepore vivo comedentem viderit? 266
Usucapio an & quatenus perimat jura in re? 270	De Zohar libro Cabbalístico judicium. 457
an dominium & jus hæreditarium tollat? 270	S. Zynorides Sanctus & Martyr Martyrologii Romani spurius. 490
in servitutibus locum non habet. 270	
Usurarum computus. 176	
Uterus scirrhusus. 84	
Uteri singularis figura. 416	
cervicis & intestini recti ulcus. 85	
textura. 416	
Vulnera sugendi methodus nova. 380	

ERRATA.

Pag. 333 lin. 4 lege mense Majo: p. 359 disjecta sunt Typographi incuria priora verba ex lin. 31 in 30, quare legendum: qui ad ipsius similitudinem componi desiderat, quod Deus laudet virtutes, vitia odio prosequatur: p. 420 post fabricam insere in Fig. 4 & adde in margine TAB. VIII. Fig. 4: p. 485 lin. 18 l. ubi & lin. ult. Envlum.

* * *



